



HARVARD
COLLEGE LIBRARY
CHRISTO
ET
ECCLESIAE
VE
RI
TAS
FROM THE FUND BEQUEATHED BY
ARCHIBALD CARY COOLIDGE
A·B·1887 PROFESSOR OF HISTORY
1908-1928 DIRECTOR OF THE
UNIVERSITY LIBRARY 1910-1928

P. Theodor Bergman

ACTA ET DECRETA

CONCILII

PROVINCIAE PRAGENSIS

ANNO DOMINI MDCCCLX.

PONTIFICATUS

PII PAPAE IX.


DECIMO QUINTO

CELEBRATI.

PRAGAE.

IN AEDIBUS CAROLI BELLMANN.

MDCCCLXIII.



TYPIS ET CHARTA CAROLI BELLMANN.

Conspectus.

Acta Concilii.

Decreta Concilii.

TITULUS I. De Sacerdotio.

TITULUS II. De Fide et Institutione catholica.

TITULUS III. De Cultu divino.

TITULUS IV. De Sacramentis.

TITULUS V. De Fabrica et Supellectili ecclesiastica.

TITULUS VI. De Regimine ecclesiastico.

TITULUS VII. De Regularibus.

TITULUS VIII. De Bonis ecclesiasticis.

Appendices.

ACTA CONCILII PROVINCIALIS.

I.

ACTA PRAEVIA.

1) Relationes ad Sedem Apostolicam de praeparatione Concilii.

Beatissime Pater!

Saluberrimae instructioni, qua Sanctitas Vestra Literis Apostolicis ad Antistites Herbipolensis Conventus datis Cajetae die 17. Maji 1849 Germaniae Archiepiscopos paterne monuit, ut praescriptae per sacros Canones Synodi provinciales rite celebrentur, filiali obedientia obtemperaturus, jam usque a suscepto in hac metropolitana Ecclesia ministerio meo nihil ardentius in votis habui, quam ut exoletam a saeculis in hac provincia Synodorum memoriam et praxim feliciter instaurare miseratione divina contingat.

Pastorali autem peramplae longeque diffusae Archidioecesis meae sollicitudine nimis distentus, propriae prius Ecclesiae, quam totius provinciae causis consulere aequum et justum duxi, vetusque mentis propositum vel ideo quoque salva conscientia prorogandum censui, ut, cum interea de certo ordine rerum rationumque Ecclesiae catholicae constituendo inter Sanctitatem Vestram et Augustissimum Austriae Imperatorem ageretur, facta demum auxiliante Deo solemni Conventione sacra Synodorum negotia eo majori securitate sperandoque stabili successu expediri queant.

Quum itaque remotis pristini saeculi difficultatibus et via Deo providente faustis conatibus strata nil amplius impediat, quominus sancitus ab aevo Synodorum usus in hac quoque provincia resuscitetur: implorato Dei auxilio, et exquisito Episcoporum suffraganeorum consilio Concilium provinciale proximo mense Augusto convocare intendo, ut quae summopere ex votis et verbis Sanctitatis Vestrae *„conducunt ad catholicam religionem amplificandam, ad ecclesiasticam disciplinam retinendam et instaurandam, ad pietatem morumque honestatem fovendam et excitandam, ad grassantes errores radicitus extirpandos*

atque ad vesanae incredulitatis pestem profligandam," juncto comprovincialium Episcoporum studio ac fervore proponantur, fusis ad Deum precibus deliberentur, et deliberata supremo Sanctitatis Vestrae judicio humillime subjiciantur.

Ad pie auspicandum tam grave, tamque arduum negotium Apostolicam Sanctitatis Vestrae benedictionem devotissime petiturus, ut res agendae stabilito sacrorum Canonum tenori et disciplinae ecclesiasticae nusquam adversentur, *Methodum totius actionis*, ad normam Caeremonialis Episcoporum et Pontificalis Romani delineatam, consulta quoque potissimum synodali Ecclesiae Beneventanae praxi per Eminentissimum Vincentium Mariam Cardinalem Ursini, postea Summum Pontificem, felicis recordationis Benedictum XIII. introducta, nec non *Elenchum generalem tractandorum*, summa qua decet reverentia et submissione providissimo Sanctitatis Vestrae judicio ac censurae substerno, enixe rogans, ut humillime proposita, prout in Domino consultum videbitur, paterno favore corrigere atque imbecillitati meae in tanto negotio, impigrae executioni mandando, benevole succurrere dignetur.

Interim rem omnem assiduis Deo precibus commendaturus, debita quoque vota persolvam, ut ad Ecclesiae suae solamen ac tutelam Sanctitatem Vestram diutissime servet incolumem, ad cujus Sedem Apostolicam provolutus paternam benedictionem pro suscipiendo opere, simulque gratias quasdam speciales, ad fervorem Cleri populique hac occasione excitandum devotissime exoro.

Sanctitatis Vestrae

Pragae die 21. Aprilis 1859.

humillimus devotissimus obedientissimus

Fridericus Cardinalis Schwarzenberg,

Archiepiscopus Pragensis.

Beatissime Pater!

Eo ipso tempore, quo Eminentissimus S. Congregationis Concilii Praefectus Cardinalis Cagiano literis die 28. Maji anni lapsi datis faustissimum mihi nuntium retulit, quod Sanctitas Vestra consilium meum, celebrandi videlicet Synodum provincialem, Sedi Apostolicae devotissimis literis meis de die 21. Aprilis 1859 patefactum clementissime probaverit, nefasti belli supervenerunt calamitates et seditionum pericula, quae quum et Clerum et populum Imperii Austriaci funestissimis auspiciis exagitaverint, prorogationem praefati Concilii in dies tractandae rei tam gravi magis faventes svadebant adeo, ut collatis Episcoporum comprovincialium consiliis Synodum in hunc annum differendam decreverim.

Etsi his quoque diebus admodum turbulentis non pauca timenda sint, quae congregandos ad Synodum anxiare quodammodo videntur: nihilominus Deo fidens publicato die 15. hujus mensis convocationis Edicto Concilium provinciae proximo festo Ss. Nominis Mariae, in diem 9. mensis Septembris incidente in nomine Domini aperiendum, omnibus et singulis, ad quos spectat, nuntiavi.

Restat, ut dum omnes hujus provinciae Episcopi una cum Clero et populo ad gravissimum hoc negotium indefesso labore et impensis orationibus sese praeparare conantur, meo eorumque omnium nomine ad thronum Beatissimi Patris totius orbis catholici supplex confugiam, maxima qua decet humilitate postulans, ut Sanctitas Vestra mihi et omnibus in proxima Synodo congregandis Apostolicam benedictionem largiri dignetur, qua roborati sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut in nullo a Jesu Christo, ejusque sancta Ecclesia dissentiat voluntas nostra, sed semper rationabilia meditantes, quae Deo placita sunt, dictis exequamur et factis.

Pro quo benedictionis sperandae beneficio assiduis precibus a Deo postulabo ardenter, ut Sanctitatem Vestram ad Ecclesiae catholicae solamen ac tutelam diutissime servet incolumem, detque, quam omnes Christifideles hisce diebus flagitant, Sedi Apostolicae victoriam et pacem.

Sanctitatis Vestrae

Pragae die 1. Augusti 1860.

humillimus devotissimus obedientissimus

Fridericus Cardinalis Schwarzenberg,

Archiepiscopus Pragensis.

2) Responsum S. D. N. Pii divina providentia Papae IX. in forma Brevis Apostolici.

Dilecto Filio Nostro Friderico Josepho S. R. E. Presbytero Cardinali Schwarzenberg, Ecclesiae Pragensis Archiepiscopo.

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili Noster Salutem et Apostolicam Benedictionem. Cum primum Nobis innotuit Te aliosque Venerabiles Fratres istius provinciae Pragensis Episcopos simul propediem conventuros, ut Pragae Concilium habeatis, ingenti gaudio affecti fuimus. Hac enim ratione vos gregibus pastorali vestrae curae commissis continenter advigilare ostenditis, ut dum vestrarum ovium saluti ac felicitati sempiternae consulitis, vobis ipsis in coelis aeterna gaudia comparare adlaboretis. Quo vero res in hujusmodi Concilio statuendae, Deo favente, plenum et auspicatum sortiantur effectum, nec non fideles vobis commissi suorum Pastorum vocibus obsequentes catholicae religioni firmius asserendae, sanctisque et incorruptis moribus servandis vigilantius incumbant, coelestes Indulgentiarum thesauros, quorum Nos Altissimus Dispensatores esse voluit, reserare censuimus. Quamobrem de Omnipotentis Dei misericordia, ac BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, Tibi, dilecte Fili Noster, die, quo in civitate Pragensi Synodus provincialis finem habitura erit, faculta-

tem benedicendi populo cum plenaria omnium peccatorum Indulgentia, Auctoritate Nostra Apostolica tenore praesentium concedimus et elargimur; ita ut omnes et singuli utriusque sexus Christifideles, vere poenitentes, confessi ac S. Communione refecti, qui dicto die benedictioni a Te impertiendae adstiterint, nec non ecclesiam metropolitanam Pragensem visitaverint, ibique pro christianorum principum concordia, haeresum extirpatione, et S. Matris Ecclesiae exaltatione pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum indulgentiam et remissionem, quam etiam animabus Christifidelium, quae Deo in charitate conjunctae ab hac luce migraverint, per modum suffragii applicare posse impertimur, libere ac licite consequantur. In contrarium facientibus non obstantibus quibuscumque. Praesentibus pro hac vice tantum valituris.

Datum Romae apud S. Petrum sub Annulo Piscatoris, die 24. Augusti 1860. Pontificatus Nostri Anno Decimoquinto.

Pro Domino Cardinali **Macchi**
Jos. B. Brancaleoni Cancellarius.

3) Edictum convocationis Concilii.

Fridericus, S. R. E. Tituli Sancti Augustini Presbyter Cardinalis Schwarzenberg, Dei et Apostolicae Sedis gratia Ecclesiae Pragensis Archiepiscopus et Princeps, ejusdemque provinciae Metropolita,

Reverendissimis Fratribus Episcopis comprovincialibus, Capitulis metropolitano, cathedralibus et collegiatis, Abbatibus et Praepositis Regularium, et universo totius provinciae Clero

Salutem in Domino!

Nullum a sacratis Ecclesiae primordiis tam solidum conservandae fidei catholicae fulcimen et vigilantiae pastoralis insigne documentum, nec aliud unquam Patribus ad reformandos Cleri populique mores visum est remedium magis opportunum, quam unita in Synodis provida eorum solertia, quos *Spiritus sanctus posuit Episcopos, regere Ecclesiam Dei* (Act. Ap. XX. 28.). Hanc illustrissimo Apostolorum exemplo acceptam traditionem pia fide custodientes, primi proceresque Ecclesiarum Antistites fervescente potius spiritu, quam legis litera cogente salutiferis Conciliorum suppetiis eo citius crebriusque usi sunt, quo majus in mora periculum gregibus imminere et quo gravior communis formidinis causa videbatur adeo, ut non nisi conjunctis studiis precibusque *consolidare quod infirmum, sanare quod aegrotum, alligare quod confractum, reducere quod abjectum, et quod perierat, quaerere* maluerint (Ezech. XXXIV. 4.). Qualem autem et quantam exantlati laboris mercedem receperint: tum

pretiosissimus actionum et decretorum synodalium thesaurus tum ecclesiasticae historiae fasti abunde testantur, e quibus nimirum facile patet, vineam Domini saluberrimo potissimum Conciliorum subsidio mirum in modum refloruisse, et iterum iterumque renovatam esse faciem terrae. Quapropter profusis gaudiis omnes in orbe terrarum celeberrimi Antistites Synodos *fidei catholicae stabilimentum, Ecclesiae salutem et hostium ejus terrorem, officii pastoralis solamen: populi christiani medicinam, — mox agri dominici praecipuam culturam, mox corporis Ecclesiae nervos* (Bened. XIV. de Syn. dioec. I. 2.) appellare consueverunt; novissima autem oecumenica et generalis Synodus Tridentina, in Spiritu sancto legitime congregata id inter caetera censuit statuendum, ut cum tam luculenta ex uberrimo Synodorum fonte in Ecclesiae Corpus ordinemque sacrum per saecula derivata fuerit utilitas, primum *„provincialia Concilia, sicubi omissa sunt, pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris Canonibus permissis renoventur.“* (Sess. XXIV. de Ref. c. 2.)

Quorum Nos numquam non memores, cum primum Deo disponente ad hujus metropolitanae Ecclesiae munus admoti sumus, omnes industriae nervos in id intendimus, ut totius regiminis ecclesiastici rationem sacris Canonibus ad amussim conformemus, et vel ideo sancitum quoque Synodorum usum eo potiori pietate instauremus, quo gravius morem hunc salutarem, saeculorum iniquitate in hac provincia exspirasse dudum lugebamus.

Remotis tandem auxiliante Domino omnibus et singulis, quae pro vicissitudine rerum hucusque supererant, obstaculis divina miseratione confidentes et Sedis Apostolicae, cui vota Nostra devotissime patefecimus, clementia erecti Concilium provinciae Pragensis *Festo Ss. Nominis B. V. Mariae,* hoc anno *in Dominicam XV. post Pentecosten et diem 9. mensis Septembris* incidente in sacra metropolitana ecclesia Nostra inchoandum decrevimus, et per praesens Edictum in nomine sanctae et individuae Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti convocamus. Eapropter Reverendissimos Fratres, provinciae Coëpiscopos, pariterque Reverendissimum Episcopum ad personam suffraganeum et Vicarium Nostrum Generalem ac Officialem, item Procuratores venerabilium provinciae Capitulorum, nec non Abbates et Praepositos Regularium, denique omnes et singulos, quibus praeter isthoc Indictionis decretum literis singillatim per Nos scriptis propositam in Domino Concilii celebrationem denuntiavimus, quique de jure vel consuetudine Synodo interesse jubentur, canonica metropolitici officii Auctoritate publice ac sollenniter advocamus, legitime requirimus et in nomine Domini monemus, ut statuto tempore ad faciendam Synodum compareant. Si autem eorum, quos requirimus, justo quispiam impedimento se detentum existimaverit: excusationis legitimae causam opportuno tempore ad Nos deferendam et judicio Nostro probandam esse meminerit.

Cum porro divino potius auxilio, quam ullo hominum conatu propositum in Synodo spiritualis innovationis negotium provide inchoari et peroptata sorte expediri possit: omnes universim provinciae Nostrae sacerdotes assiduis tum propriis precibus, tum fidelium suffragiis sacratam Synodi actionem Deo bono-

rum omnium largitori humillime commendare non intermittant, ut *quibus dedit regimen disciplinae, Spiritum sanctum benignus infundat, quatenus in nomine Ejus collecti, sic in cunctis teneamus cum moderamine pietatis justitiam, ut in nullo* a Jesu Christo Ejusque sancta Ecclesia *dissentiat voluntas nostra, sed semper rationabilia meditantes, quae Deo placita sunt, dictis exsequamur et factis;* spemque habeamus, fore ut *de profectu sanctarum ovium fiant gaudia aeterna pastorum!* (Pontif. Rom. Ord. ad Synod.)

Volumus insuper et praecipimus, ut praesens Indictionis decretum in valvis cathedralium aliarumque per provinciam ecclesiarum insigniorum affixum pateat, quo publicationis modo ita omnes et singulos, qui ad Synodum requiruntur, adstrictos esse pronuntiamus, ac si nominatim vocarentur.

In quorum fidem has literas propria manu subscripsimus, et ut sigillo hujus Sedis archiepiscopalis muniantur et rite publicentur, Curiae Nostrae Cancellario hisce mandamus.

Datum Pragae in Octava Visitationis B. Virginis Mariae die decima quinta Julii anni a salute per Christum reparata millesimi octingentesimi sexagesimi.

Fridericus,
Cardinalis et Archiepiscopus.

Ex mandato Eminentissimi ac Reverendissimi Ecclesiae Pragensis Archiepiscopi Metropolitae:

Adalbertus Hron,
Cancellarius.

4) Promulgatio celebrandi Concilii in civitate et Archidioecesi metropolitana.

Fridericus, miseratione divina et sedis Apostolicae gratia S. R. Ecclesiae Presbyter Cardinalis Tituli s. Augustini et Princeps Archiepiscopus Pragensis,

Venerabili et dilecto Archidioeceseos Clero tam saeculari quam regulari

Salutem et benedictionem in Domino!

Auxiliante Domino Deo et Salvatore nostro Jesu Christo Concilii provinciae convocare prosperrima sorte Nobis contigit. Quanto perfusi gaudio Vobis publicum convocationis Edictum communicemus, Deus Ipse, scrutans corda et renes Nobis testis est, cum quippe ab ipsis metropolitici regiminis Nostri primordiis assidue in eo versarentur cogitationes et preces Nostrae, ut legibus ecclesiasticis non minus quam conspirantibus Cleri Nostri desideriis ex animo satisfacturi, avitam Conciliorum praxim faustis auspiciis in hac provincia instauremus.

Cum autem sacrati operis instaurationem, et fortunatum instaurationis fructum non Nostris exiguis conatibus tribuere, sed Vestris potius pietatis suffragiis ac meritis lubenter in acceptis referre desideremus: pias praeprimis charitatis Vestrae et Christifidelium preces ac postulationes in Domino requirimus. — Orate Fratres, ut Deus ac Dominus noster „Synodum visitare, disponere et benedicere dignetur." Hortamini, dilecti pastores! charissimos curae vestrae concreditos fideles, ut Sacramentorum frequentatione purificati, eo uberiorem Nobis opem de coelis supplicationibus, jejuniis aliisque piis operibus impetrare mereantur, „*hoc praecipue*, monente s. Carolo Borromaeo, *precantes, ut adjutrice Dei gratia, quae ad suam et ad illorum, quorum curae commissi sunt, salutem pertinent, pia religiosaque sollicitudine in Concilio agantur.*" (Edict. de Conc. Prov. V.)

Quem in finem sanctiones et traditiones ecclesiasticas pie venerantes sequentia ordinamus:

1. Tertia ante indictum Synodi exordium hebdomade, id est *Dominica XII. post Pentecosten,* praelectis primum ex ambone literis Nostris pastoralibus saluberrimam Conciliorum institutionem nervoso sermone exponetis, populumque docebitis, quanta sit fidelium ad faciendas supplicationes obligatio, et bonorum operum, quorum exercitium supra commendavimus, redundans tum in Synodum, tum in ipsos fideles meritoria utilitas.

2. Ab hoc tempore usque ad Concilii terminationem singuli sacerdotes Missam celebrantes praescriptis tenore officii orationibus *Collectam de Spiritu sancto* adjungant, exceptis duntaxat festis duplicibus primae et secundae classis; post Missam autem parochialem *quinquies orationem dominicam et salutationem angelicam,* nec non sequentes Collectas lingua vernacula persolvent:

Omnipotens sempiterne Deus, qui populis tuis et indulgentia consulis et amore dominaris, da Spiritum sapientiae tuae, quibus dedisti regimen disciplinae, ut de profectu sanctarum ovium fiant gaudia aeterna pastorum.

Deus, qui facis mirabilia magna solus, praetende super famulos tuos et super congregationes illis commissas spiritum gratiae salutaris; et ut in veritate Tibi complaceant, perpetuum eis rorem benedictionis infunde.

Adesto, quaesumus, invocationibus nostris auctor ipse pietatis et praesta, ut quod fideliter petimus, efficaciter consequamur. Per Christum Dominum nostrum. Amen.

3. *Dominica XVI. post Pentecosten,* in quam hoc anno incidit Festum S. Ludmilae Martyris et Patronae Regni, *ruri* a meridie ordinabitur Processio fidelium ad vicinam vel ecclesiam filialem vel capellam aut publicam statuam, ibidemque praeter orationes praefatas Litaniae majores cum precibus consuetis peragantur. *Pragae* autem eadem Dominica hora 6. matutina communis omnium Parochiarum Processio ordinabitur ex basilica Teynensi ad sacram metropolitanam ecclesiam. In ea Processione Litaniae majores pie

decantentur, et peracto Sacro sollenni eaedem Litaniae cum precibus praedictis dicantur.

Sic agite Fratres et Filii in Christo charissimi, una cum populo assiduis orationibus Synodo conjungendi; *ferit* enim *aethera Cleri populique Deum collaudantium clamor.* (Off. de Translat. St. Viti, Adalb. in Propr. Boh. Lect. V.) Ipse autem Deus, omnium in Eo sperantium fortitudo, adsit propitius invocationibus nostris; et quia sine Eo nihil potest mortalis infirmitas, praestet auxilium gratiae suae, ut in exsequendis mandatis divinis et voluntate Ei et actione placeamus. Per Dominum nostrum Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto laudabilis et gloriosus sit in saecula saeculorum. Amen.

Datum Pragae in Octava Visitationis B. Virginis Mariae, die 15. Julii 1860.

Fridericus,
Cardinalis et Archiepiscopus.

5) Norma celebrandi Concilii ab Eminentissimo Metropolita definita.

Prooemium.

Actiones Concilii provincialis, cujus celebrandi norma servato ordine *Caeremonialis Episcoporum* et *Pontificalis Romani,* *) consulto ecclesiasticae traditionis more, et expetito insuper *S. Congregationis Concilii* judicio hisce exponitur, **) auxiliante Domino expedientur in *Congregationibus,* et *publicis Sessionibus* eorum, qui legitime vocati ad faciendam Synodum convenient.

I. *Congregationes* habebuntur:

1. *privatae* Episcoporum in aedibus Archiepiscopi Metropolitae;

2. *particulares* in aedibus archiepiscopalis Seminarii, praesidentibus videlicet Episcopis et praesentibus illis Synodi *Officialibus et Sodalibus,* qui ad *singulas* hasce Congregationes vocabuntur.

3. *generales,* in ecclesia Seminarii ad Ss. Salvatorem clausis valvis celebrandae, quibus praesidente Metropolita Patres et omnes Synodi Sodales atque Officiales interesse jubentur.

Congregationibus *generalibus* interesse poterunt alii etiam viri ecclesiastici, quatenus pro singulis vicibus annuente Metropolita admissi fuerint. Ut admittantur, immediate ante Congregationem habendam in sacristia ecclesiae Ss. Salvatoris veste talari et pallio induti compareant, et *Promotori* Concilii petitionis instar schedulam cum scripto suo nomine et officio, quo funguntur, exhibeant.

---

*) Caerem. Episc. Lib. I. cp. XXXI. — Pontif. Rom. P. III. Ord. ad Synod.

**) Literae Eminent. Card. Cagiano S. Congr. Conc. Praefecti ad Emin. Archiep. Metrop. Prag. de die 28. Maji 1859.

II. *Sessiones*, quae dicuntur *publicae*, celebrantur in sacra metropolitana ecclesia, et quidem in *sacello s. Wenceslai M. et Patroni Regni*, praesentibus quippe omnibus et singulis, qui ad Concilium vocati sunt.

De prima Congregatione tum privata, tum generali.

I. Die 8. Septembris, ipso festo Nativitatis B. Mariae Virginis hora 10. ante meridiem praevia habebitur Congregatio *Episcoporum* adscitis Concilii *Promotoribus* et *Cancellario archiepiscopali*.

Facta per Metropolitam oratione „*Adsumus Domine*" *) conferent Antistites de Synodi Officialibus, de distributione materiae in Congregationibus deliberandae et de reliquis, quae ad faustum actionis synodalis progressum conducere videbuntur. Quibus peractis fiet gratiarum actio.

II. Eodem die hora 4. pomeridiana prima Congregatio *generalis* locum habebit.

1. Omnes ad Synodum rite vocati, *saeculares* veste talari cum pallio, *regulares* habitu sui Ordinis, *Officiales* vero *veste chorali* induti, designata sua loca occupabunt.

2. Cum venerint Patres *rochetto* et *mozetta* induti, Metropolita accepta *stola rubei coloris* flexis genibus incipit hymnum: „*Veni Creator*," quo alternatim recitato dicit orationem „*Adsumus*."

3. Sequitur brevis *allocutio* Metropolitae, qua finita ex ejus mandato praelegetur per *archiepiscopalem Cancellarium* Catalogus synodalis, exhibens nomina Patrum et reliquorum membrorum Concilii.

4. Idem *Cancellarius* mox colliget *instrumenta procurationis* Metropolitae exhibenda, et eodem mandante promulgabit decretum *de Judicibus synodalibus*, et nomina reliquorum Synodi *Officialium*.

5. Facta promulgatione *Notarius* actionum synodalium accedit mensam praeparatam, munere suo functurus; *Secretarius* autem, quem Metropolita designaverit, praeleget *instructionem* seu *Agenda Officialium*.

6. Accedunt dein *Promotores*, quorum unus nomine eorum, qui petierunt, ut ad praesentem Congregationem admittantur, supplicat pro admissione concedenda. Admissos Metropolita monet de officio servandi secretum.

7. Mox per *Secretarium* promulgabitur decretum generale *de servando secreto*, et singuli pro ordinis dignitate accedunt ad Metropolitam, sponsionem manu pectori admota edituri.

8. Sequitur praelectio reliquorum decretorum et ordinationum, quae formam Concilii concernunt; dein indictio proximae *Sessionis publicae* et *gratiarum actio*.

Eodem vespere a hora 7. usque ad 8. campanae omnium civitatis ecclesiarum pulsabuntur.

---

*) Ex Ord. ad Synodum.

De precibus pro gratiarum actione peragendis.

Actiones synodales Congregationum *finiuntur in quolibet consessu precibus sequentibus per Praesidem dicendis:*

Antiphona: Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis a templo sancto Tuo, quod est in Jerusalem.

V. Benedicamus Patrem et Filium cum sancto Spiritu.

R. Laudemus et superexaltemus Eum in saecula.

Oremus. Deus, apud quem pro perceptis donis gratitudo secura est alterius beneficii impetratio: da nobis dignas Tibi pro collatis beneficiis gratias rependere, ut misericordiam Tuam ad impertienda nobis nova bona provocemus. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

In honorem B. Virginis Mariae. *Oratio ab omnibus recitanda:* Sub tuum praesidium confugimus, sancta Dei Genitrix: nostras deprecationes ne despicias in necessitatibus nostris; sed a periculis cunctis libera nos semper Virgo gloriosa et benedicta. Domina nostra, Mediatrix nostra, Advocata nostra: tuo Filio nos reconcilia, tuo Filio nos commenda, tuo Filio nos repraesenta.

V. Vultum tuum deprecabuntur.

R. Omnes divites plebis.

Oremus. Defende, quaesumus Domine, beata Maria semper Virgine intercedente istam ab omni adversitate familiam: et toto corde Tibi prostratam ab hostium propitius tuere clementer insidiis. Per Christum Dominum nostrum. *R.* Amen.

Divinum auxilium sit semper nobiscum. *R.* Amen.

De prima Sessione publica.

I. Festo Ss. Nominis B. Virginis Mariae, quod hoc anno incidit in 9. Septembris, Concilium provinciae *prima Sessione publica* inchoabitur.

1. Hora fere *dimidia octava matutina* Patres convenient in *sacello* aedium archiepiscopalium; reliqui ad Synodum vocati, et quotquot e Clero civitatis tum saeculari, tum regulari ad sollennitatem convenire poterunt, adibunt *ecclesiam metropolitanam;* unde *tertio quadrante ad octavam* ordinabitur *Processio cleri* ad aulam Metropolitae.

2. Interim campanae omnium civitatis ecclesiarum pulsabuntur usque ad *dimidiam nonam.*

II. Ordo *Processionis* sequens erit:

1. Praeferentur vexilla cum umbella metropolitanae ecclesiae; procedent mox

2. Regulares eo ordine, prout in Processione theophorica moris est;

3. Clerici saeculares, qui fors ad sollennitatem convenient, et Parochi civitatis.

4. Subdiaconus cum Cruce Capituli metropolitani et duo Ceroferarii;

5. Clerus s. metropolitanae ecclesiae;

6. Chorus Cantorum;

7. Magister caeremoniarum, Acolythi et Ministri pro Sacro pontificali;

8. Theologi Patrum et Procurator Facultatis theologicae;

9. Notarii, Secretarii et Promotores Concilii;

10. Superiores Regularium provinciales eo ordine, quo familiae regulares procedere solent;

11. Procuratores Capitulorum collegiatorum, dein cathedralium, iique secundum ordinem promotionis suorum Antistitum;

12. Prior Conventus Melitensium; Abbates Regularium secundum ordinem suae benedictionis; Generalis ac Magnus Magister Ordinis Crucigerorum;

13. Praepositi Capitulorum Vyšehradensis, Veteroboleslaviensis et ad OO. Sanctos;

14. Capitulum metropolitanum in corpore procedens. *)

III. Eodem modo, cum *Patres* Concilii, peractis in *sacello archiepiscopali* precibus praeparatoriis Clero se junxerint, processio ex aula Metropolitae ordinabitur ad ecclesiam metropolitanam.

1. Praeeunte Clero procedent *Episcopi* secundum ordinem suae promotionis rubeis pluvialibus induti, mitras auriphrigiatas deferentes; dein

2. Subdiaconus cum *Cruce archiepiscopali* et Ceroferarii; tandem

3. *Metropolita*, indutus amictu, alba, cingulo, stola, pluviali rubro, et mitram gestans pretiosam, assistentibus *Canonicis Diaconis* et *Archidiacono* atque reliquis *Caeremoniariis*. **)

IV. Ibunt praefati Clerici et Dignitates, prout *Caeremoniale Romanum* monet, supplicantes et psallentes, prout in Processionibus, quae *Litaniae* appellantur, moris est.

Ecclesiam ingressi Regulares, Parochi et reliqui Clerici, qui ad sollennitatem convenerunt, hinc inde pro opportunitate loca capiant; caeteri vero Sacri faciendi Ministri atque Synodi Officiales et Sodales *in Choro majori seu Presbyterio* designata loca occupabunt.

V. Paratis omnibus, quae ad Sacrum requiruntur, Metropolita procedens ad Altare intonabit *Antiphonam: „Veni s. Spiritus,“* et absolutis versiculo, responsorio et oratione celebrabit *Missam votivam sollennem de Spiritu s.* ***). Sub Sacrificio Missae *communio Cleri.*

---

*) Clerici *saeculares*, *Parochi civitatis*, *Theologi* Patrum, *Notarii et Secretarii* superpelliceis, et birettis, *Superiores Regularium provinciales* habitu sui Ordinis, — reliqui Regularium *Praepositi et Abbates*, prout et *Promotores Concilii*, *Procuratores* et *Praepositi* Capitulorum, *Canonici* metropolitanae ecclesiae *pluvialibus rubei coloris* sine stolis induti sint. Usum Pontificalium habentes, et quibus pro hoc actu concessum est, *mitras simplices albi coloris* deferent, prout *Caeremoniale* Romanum praecipit.

**) Idem modus servabitur in omnibus, quae habebuntur, *Sessionibus publicis*. Quodsi vero aura non faveret, Metropolita et Episcopi convenient in ecclesia metropolitana: in capella s. *Sigismundi* sacris paramentis induentur, et Processio ordine praefato fiet per ecclesiam.

***) Glor. una orat. Credo, Praef. de Sp. s., ult. Evang. s. Joannis.

In fine non datur *Benedictio*, sed absoluto ultimo Evangelio Metropolita depositis paramentis Missae propriis usque ad tunicellam inclusive, accipit pluviale rubrum cum mitra et promulgato fidelibus decreto *de Synodo aperienda* ordinatur Processio ad *sacellum S. Wenceslai*, pro consessu solemni paratum, ubi singuli designata sua loca occupabunt.

VI. Metropolita ante Altare genuflexus incipit *Antiphonam „Exaudi"*, et persolventur preces, prout Ritus Pontificalis Romani praecipit. *)

His peractis recedunt Acolythi et reliqui Ministri, remanentibus tantummodo iis, qui ad Synodum vocati sunt.

1. Ostia sacelli clauduntur, et Sessio inchoatur *sermone synodali*, quo finito *Promotores* more in Conciliis usitato instant pro publicatione Decretorum de aperienda Synodo, de emittenda fidei professione, de promulgatione decreti Tridentini de residentia, de modo vivendi in Concilio, de servando secreto, de praejudicio non afferendo, de non discedendo et de indictione proximae Sessionis publicae. Singula decreta annuente Metropolita per *Secretarium* praeleguntur, et expetitis Patrum votis ab ipso Metropolita sollenni declaratione publice confirmantur.

2. Promulgato Decreto de *emittenda fidei professione Metropolita* deposita mitra conversus ad Altare genuflectit, et manu libro Evangeliorum admota, voce elevata professionem fidei emittit, caeteris eum communi recitatione sequentibus.

Dein sedens accipit *mitram et librum Evangeliorum;* mox accedunt singuli Episcopi et reliqui in Synodo congregati, et manu libro Evangeliorum admota formulam juramenti finalem dicunt: *„Ego idem spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia."*

3. Promulgatis promulgandis instant *Promotores* pro publicando actionis instrumento, quod ex mandato Metropolitae per *Notarium* actorum synodalium publicatur.

4. Mox aperiuntur sacelli ostia, pulsantur organa, et processio ordinatur ad *Altare majus*, ubi per Metropolitam sollennis benedictio impertitur.

5. Depositis in faldistorio sacris vestibus Metropolita accipit *cappam*, *Patres mozettas*, et ordinatur recessus.

De Congregationibus particularibus.

Actiones Congregationum *particularium* expedientur per quatuor *Sectiones* seu *Commissiones* synodales, quarum singulae Episcopum habebunt *Praesidem* et insuper *Vicarium*, quem ipse Episcopus e membris suae *Sectionis* designaverit.

Pro primo consessu die 10. Septembris habendo omnes Synodi Officiales et Sodales *dimidia nona matutina* compareant in aedibus archiepiscopalis Seminarii, ubi pro qualibet *Sectione* peculiare conclave paratum erit, in quo ejusdem Sectionis membra actioni synodali vacabunt.

*) Ordo ad Synodum.

Sessiones Congregationum particularium durante Synodo quotidie ante et post meridiem habebuntur, exceptis diebus illis, quibus Congregationes *generales* et Sessiones *publicae* celebrabuntur. Caeterum Episcoporum erit, qui singulis Sectionibus praesunt, determinare non tantum dies et horas pro consessu habendo, sed et totum ordinem, quo materia synodalis tractanda erit.

Actionibus Congregationum praemittitur oratio „*Adsumus*“ per Praesidem dicenda; finita actione praelegitur instrumentum ipsius actionis per *Notarium* synodalem conficiendum, et persolvitur *gratiarum actio.*

De reliquis Congregationibus generalibus et Sessionibus publicis.

I. Congregationes *generales* tot celebrabuntur, quot Sessiones *publicae*, et quidem diebus, publicas Sessiones proxime antecedentibus, hora 9. ante meridiem.

Ordo actionis fere idem erit, prout supra dictum est. *) Praemissa nimirum oratione „*Adsumus*“ et facta, prout in Domino expedire videbitur, brevi allocutione Metropolitae *Promotores* primum instabunt pro admissione eorum, qui fors, ut admittantur, petierunt. Dein instantibus iisdem Concilii *Promotoribus* Synodi materia successive praelegetur et discutienda proponetur. Absoluta lectione et discussione promulgabitur decretum indictionis proximae *Sessionis publicae* et Congregatio *gratiarum actione* finietur.

II. Sessiones *publicae,* praeter primam, auxiliante Domino celebrabuntur quatuor, et quidem *feria V. Dominicae XV. post Pentecosten*, quae erit 13. Septembris; *Dominica XVI.* post Pentecosten, in quam hoc anno incidit festum *S. Ludmilae* Viduae, M. et Patronae Regni; *feria V. ejusdem Dominicae,* quae erit 20. Septembris, et sequenti *Dominica XVII.*, quae erit 23. Septembris.

1. De hora et loco, de processione et ordine harum Sessionum eadem valent, quae superius exposita sunt. **)

2. Missae solemnes in *secunda, tertia* et *quarta* Sessione alternatim ab Episcopis provinciae coram Archiepiscopo celebrabuntur, servatis omnibus, quae in *Caeremoniali Romano* de omittenda in Missa benedictione, quam finita *Sessione* ipse Metropolita impertiri debet, praescribuntur.

3. In Sessione *secunda* celebrabitur *solemnis Missa votiva de Ss. Sacramento;* ***) in Sessione *tertia* Missa de *Festo diei;* in Sessione *quarta* Missa

---

*) vide pag. IX. Num. II.

**) vide pag. X. Quum *Dominica XVI. post Pentecosten* communis omnium Parochiarum Processio ad metropolitanam ecclesiam ordinanda sit, Parochi civitatis Processioni synodali hac vice interesse non poterunt, sed venientes cum parochianis in ecclesiam prope valvas Processionem synodalem expectabunt.

***) Gl. una orat. Credo, Praef. de Nativ. D., ult. Evang. s. Joannis.

votiva solemnis de B. Virgine Maria; *) in Sessione *ultima* ipse Metropolita Missam votivam de *Ss. Trinitate* pro gratiarum actione celebrabit. **)

4. Preces et Evangelia, quae in *Pontificali Romano* ***) posita sunt, peractis tribus *Sessionibus* in reliquis statuto ordine repetentur.

5. Sermones synodales item per Patres alternatim habebuntur; in *Sessione ultima* vero sermonem habebit ipse Metropolita.

6. *Ultimae Sessionis* ritus finalis sequens est:

a) Publicatis ultimis Concilii decretis et absolutis omnibus, quae formam *finiendae synodi* concernunt, ordinatur solita Processio e *sacello* ad *altare majus*, ubi per Metropolitam intonatur hymnus: „*Te Deum laudamus,*" congruo versiculo, responsorio et oratione finiendus.

b) His peractis idem Metropolita servato ritu *Pontificalis Romani* dicit orationem: *Nulla est Domine,* †) et dein solemniter omnibus *benedicit.*

c) Sequuntur *Acclamationes* per *Promotores* alta voce legendae, Patribus caeterisque membris Synodi cum exultatione respondentibus.

d) Mox *Patres* ad Metropolitam accedunt pro *osculo pacis;* eodemque osculo caeteri Concilii sodales mutuo sibi gratulantur.

e) Tandem primus Diaconus Metropolitae assistens alta voce dicit: „*Recedamus in pace;*" cunctisque acclamantibus: „*In nomine Christi*" Metropolita et Patres deponunt sacras vestes, et ordinatur recessus.

Conclusio Synodi.

1. Die 24. Septembris hora 7. matutina convenientibus in metropolitana ecclesia Patribus caeterisque Synodi membris Archiepiscopus Metropolita celebrabit Sacrum pro defuncto totius provinciae Clero et fideli populo. Ad Sacrum istud faciendum invitantur etiam Parochi civitatis et universim omnes, qui interesse poterunt Clerici tum saeculares, tum regulares.

2. Acta et decreta Concilii quantocius ad Sedem Apostolicam deferentur Sanctissimi Patris judicio examinanda, corrigenda, et si Ei in Domino placuerit, approbanda, ut demum more canonico ad laudem et gloriam Dei omnipotentis, et utilitatem Cleri populique hujus provinciae publicari queant. ††)

---

*) Gl. una orat. Credo, Praef. de B. V., ult. Evang. s. Joannis.

**) Gl. una orat. Credo, Praef. de Ss. Trin., ult. Evang. s. Joannis.

***) Ordo ad Synod.

†) Ordo ad Synod.

††) In Appendice hujus Normae typis datae et inter Synodales distributae appositus erat integer textus *Ordinis ad Synodum*, prout in *Pontificali Romano* habetur. Additae erant tres *delineationes locorum*, seu dispositiones *consessus* Synodalium in Congregationibus et Sessionibus publicis.

6) Instructio Officialium Synodi ab Eminentissimo Metropolita edita.

a) Officia Judicum Synodalium.

Etiamsi judicum synodalium, qui alias judices querelarum et excusationum appellantur, primum ac potissimum munus, excipiendi videlicet in Synodo causas criminosas et lites civiles, atque summaria sententia de utrisque judicandi, hodie passim conquieverit: non idcirco tamen, prout verissime notat Benedictus Papa XIV., eorumdem judicum electio censenda est superflua; tum quia adhuc possent, si qui vellent, constitutos adire judices synodales, eorumque judicio acquiescere; tum quia ad eosdem judices pertinet, aliis insuper ad utilitatem Synodi vacare officiis, quae potissimum ad sequentia redeunt.*)

1. Judicum erit, recognoscere literas Procuratorum, et quaerere de Patrum mandato, cujus tenore theologi ad Synodum praesentem vocati sunt.

2. Examinabunt excusationes tum eorum, qui ad Synodum rite vocati, justo tamen impedimento detenti non comparuerunt, tum illorum, qui eveniente fors casu necessitatis libello supplici ad Praesidem hujus Judicii scripto deferendo postulaverint, ut Synodo nondum finita in Domino dimittantur. Accepta discedendi venia materiam Concilii typis scriptam, quae singulis tradebatur, Praesidi Judicii restituent.

3. Quum stante decreto de praejudicio non afferendo provide alioquin cautum sit, ne quid de cujuspiam jure vel majoritate detrahatur: confidimus in Domino, fore ut querelae de jure praesentiae vel praecedentiae nullae moveantur. Quodsi tamen hujusmodi quaestio moveretur, scripto ceterum ad Praesidem Judicii deferenda: ejusdem Judicii erit, obortas difficultates brevi manu, prout Benedictus XIV. ait, componere. De caetero sciant omnes et singuli ad Synodum vocati, quod ad forum Concilii spectet, de praecedentia seu majoritate in Synodo habenda, omni recursu prorsus rescisso, pronuntiare.

4. Volumus tandem et mandamus electis judicibus, ut quantum poterunt, decreti de servando secreto vigiles custodes sint, et vindices discreti.

5. Praesidis erit curare, ut acta Judicii in peculiari instrumento, quod protocollum dici solet, consignentur, et finita Synodo relatio de actis Archiepiscopo Metropolitae exhibeatur.

b) Officia Promotorum Concilii.

Promotorum, quos pro praesenti Concilio Provinciae duos constituimus, gravissimum munus paucis verbis exposuit Benedictus Papa XIV., docens eorum esse, urgere actiones synodales, seu insistere, ut omnia, quae in Synodo facienda sunt, celeriter et fructuose perficiantur. In specie de eorum officiis sequentia ordinamus:

1. Promotorum erit, debito modo instare, ut materia in Congregationibus generalibus et Sessionibus publicis opportuno tempore parata et bene ordinata sit.

*) Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. IV. cap. 2.

2. Eorum erit providere, ut quae formam actionis synodalis, potissimum in Sessionibus publicis usitatam concernunt, servato tum sacrae liturgiae ordine, tum traditionis ecclesiasticae more expediantur.

3. Rituali officio in Congregationibus et Sessionibus alternantes fungentur, praelegentque pariter cum Secretariis Concilii alternantes materiam decretorum in Sessionibus publicandam.

4. Eorum tandem erit, colligere tum confecta a singulis Notariis instrumenta seu protocolla actionum synodalium, tum illa decretorum exemplaria, quae ceu authentica publicatam Concilii materiam continent.

5. Finita Synodo omnia actionum instrumenta, una cum congrua relatione Metropolitae exhibebunt.

c) Officia Secretariorum.

Secretariorum, quos pariter pro hujus Concilii actione duos constituimus, erit:

1. curare, ut saltem pridie, quam Sessiones publicae celebrentur, Edictum celebrandae Sessionis valvis tum ecclesiae metropolitanae, tum ecclesiae ad Ss. Salvatorem affigatur.

2. Decreta ad formam Concilii pertinentia alternando promulgabunt, materiam in Congregationibus et Sessionibus publicandam praelegent alternantes cum Promotoribus et illis, qui e numero Notariorum vel alias ad idem lectionis officium deputabuntur.

d) Officia Notariorum.

Notarios pro Synodo praesenti constituimus quatuor, quorum unum principalem actionis synodalis Notarium designavimus. Officia Notariorum hisce exponimus:

1. Eorum erit, conficere instrumenta actionum, quae in singulis Sessionibus Congregationum particularium expedientur. Instrumenta ista, quae prout Praeses Congregationis ordinabit, praelegentur, eidem Praesidi tempore opportuno exhibebunt subscribenda et custodienda.

2. Quae per Congregationis Praesidem quoad actionis expediendae modum ordinabuntur, reliquis istius Congregationis membris promulgabunt.

3. Excusationes eorum, qui una alterave vice justo impedimento detentis Sessioni particulari interesse haud poterunt, ad Praesidem deferent.

4. Finitis actionibus, quae per Congregationem particularem expediendae erunt, materiam Synodi typis scriptam, cujus exemplaria in prima Sessione particulari singulis Concilii membris communicabuntur, colligent restituendam, et finita Synodo cuncta exemplaria Promotoribus exhibebunt.

5. Ille vero, qui e numero Notariorum officio insuper Notarii actorum synodalium fungetur, conficiet instrumenta quoque actionum, quae in Congregationibus generalibus et Sessionibus publicis expedientur, quorum instrumentorum tenorem in fine Congregationum et Sessionum promulgabit. Instrumenta

ista exhibebit Metropolitae pro subscriptione et subscripta tradet Promotoribus asservanda.

c) Officia Caeremoniariorum, et Magistri eorum.

Eorum erit curare, ut in Congregationibus generalibus et sollennitatibus publicis omnia et singula secundum normam in celebrando Concilio servandam et alioquin typis datam ordinentur et peragantur.

Datum Pragae in festo Ss. Angelorum Custodum die 2. Septembris 1860.

Fridericus Cardinalis Schwarzenberg,
Archiepiscopus Metropolita.

II.

ACTIONES SYNODALES.

1) Acta Congregationum generalium et Sessionum.

Prima Congregatio generalis.

Ad rite praeparandum actum Synodi provincialis, cujus apertio in diem 9. Septembris 1860 indicta fuerat, praecedente huic die, id est *Festo Nativitatis B. M. V.* hora *pomeridiana quarta* in ecclesia seminarii archiepiscopalis ad SS. Salvatorem, sub praesidio Eminentissimi Metropolitae habita est *Congregatio generalis.*

Convenerunt itaque Reverendissimi Patres Concilii, rochetto et mozetta induti, caeteri omnes, qui ad Synodum vocati fuerant vel ut adparerent jus habuerunt, saeculares sacerdotes vestem talarem cum pallio, regulares vero habitum sui Ordinis deferentes: atque singuli eas sedes, quae antea iis designatae fuerant, occupaverunt. Illi, qui Officiales ab Eminentissimo Metropolita nominati erant, veste chorali induti apparere jussi fuerant. Quod idem in subsequentibus quoque Congregationibus generalibus observandum erat.

Omnibus praesentibus et assignato ordine positis Eminentissimus Metropolita rochetto et mozetta indutus, ecclesiam ingressus est, et ad altare majus, imposita stola rubri coloris, potentissimum sancti Spiritus auxilium per hymnum: *Veni Creator Spiritus* invocavit, quem ab eo incoeptum genua flectentibus omnibus, caeteri recitando prosecuti sunt. Subnexa est ab Eminentissimo Praeside oratio: *Adsumus* et *Omnipotens sempiterne Deus.* Brevi dein allocutione Eminentissimus Metropolita advenientes salutans, gravissimum Concilii opus, quod post tantum annorum intervallum tandem reassumere per divinam gratiam licuit, atque ejus finem salutaresque, qui sperentur fructus, commendavit.

Finita allocutione archiepiscopalis Cancellarius nomina omnium et singulorum, ad hanc Synodum congregatorum, publice legit; et ab illis, qui a quatuor Capitulis cathedralibus, a collegiato porro Vyšehradensi et a Facultate theologica deputati fuerunt, procurationis instrumenta Metropolitae exhibenda expostulavit, quae jussu Eminentissimi Domini Judicibus synodalibus ad examen commissa et ab iisdem probata sunt.

Catalogus Synodalium,

praeside Eminentissimo Metropolita congregatorum.

I. Reverendissimi et illustrissimi Patres:

Carolus Borom. Hanl, Episcopus Reginaehradecensis.
Augustinus Barthol. Hille, Episcopus Litomericensis.
Joannes Valerianus Jirsík, Episcopus Bohemo-Budvicensis.
Petrus Franc. Krejčí, Episcopus Oropensis atque Eminentissimi Metropolitae Vicarius Generalis.

II. Capitulorum cathedralium Procuratores:

Capituli metropolitani *Pragensis:*

1. *Wenceslaus* Eques de *Wáclavíček* s. metropol. ecclesiae Praepositus ac primus Praelatus, ss. theol. Doctor.
2. *Nicolaus Tomek*, s. metropol. ecclesiae Decanus et Praelatus, ss. theol. Doctor.
3. *Adolphus Würfel*, s. metropol. ecclesiae Canonicus et ss. theol. Doctor.

Capituli cathedralis *Reginaehradecensis:*

1. *Joannes Rais*, ecclesiae et Capituli Decanus.
2. *Wenceslaus Hrdina*, ejusdem Capituli Canonicus, ss. theol. Doctor.

Capituli cathedralis *Litomericensis:*

1. *Josephus Pfeifer*, ecclesiae et Capituli Canonicus, Illustr. Episcopi Litomericensis Vicarius generalis.
2. *Josephus Akermann*, ejusdem Capituli Canonicus.

Capituli cathedralis *Budvicensis:*

1. *Adalbertus Mokrý*, ecclesiae et Capituli Canonicus, Illustr. Episcopi Budvicensis Vicarius generalis, ss. theol. Doctor.
2. *Joannes Schawel*, ejusdem Capituli Canonicus et civitatis Budvicensis Decanus.

III. Praelati Regularium:

1. *Jacobus Beer*, Ord. Crucigerorum cum rubea stella Generalis ac Magnus Magister, ss. theol. Doctor.

2. *Hieronymus Zeidler*, canoniae Ord. Praemonstr. Strahoviensis Abbas, ss. theol. Doct.

3. *Franciscus Čádstka*, monasterii Montserat. in Emaus Ord. s. Ben. Abbas, ss. theol. Doct.

4. *Marianus Heinl*, canoniae Ord. Praemonstr. Teplenae Abbas, ss. theol. Doct.

5. *Joannes Rotter*, archisterii Břevnoviensis et Braunensis Ord. s. Ben. Abbas, ss. theol. Doct.

6. *Athanasius Bernhard*, Ordinis Cisterc. monasterii de Osseco Abbas, ss. theol. Doct.

7. *Norbertus Sychrava*, canoniae Ord. Praemonstr. Siloënsis Abbas.

8. *Leopoldus Wackař*, Ord. Cisterc. monasterii Altovadensis Abbas.

9. *Joannes Jaresch*, conventus Ord. Joannitarum ad B. M. V. Pragae Prior et Magni Prioratus Vicarius generalis.

10. *Antonius Joechlinger*, Congregationis Ss. Redemtoris per Austriam Superior provincialis.

11. *Theophilus Matějka*, Ord. Praedicatorum Prior provincialis.

12. *Leopoldus Klose*, Ord. Minorum s. P. Franc. Conventualium Minister provincialis.

13. *Adeodatus Schütz*, Ordinis S. P. Augustini Eremitarum Prior provincialis.

14. *Joannes Diener*, Ord. Minorum s. P. Francisci Reformatorum Minister provincialis.

15. *Wolfgangus Köhler*, Ord. Minor. s. P. Francisci Capucinorum Minister provincialis.

Superiores provinciales Ordin. Piarum Scholarum, Societatis Jesu, Ord. Servorum B. M. V., qui ad Synodum invitati erant, propter impedimenta sese excusantes, ut legitime abesse possent, licentiam impetrarunt.

IV. Praepositi Capitulorum collegiatorum.

1. *Joannes Padlesak*, ecclesiae collegiatae Vetero-Boleslaviensis Praepositus et Praelatus, ss. theologiae Doctor.

2. *Franciscus Czeschik*, ecclesiae collegiatae ad Omnes Sanctos Praepositus et Praelatus, ss. theologiae Doctor.

V. Capituli collegiati Vyšehradensis Procurator:

Wenceslaus Sigmund, ejusdem Capituli Canonicus.

V. Facultatis theologicae in Universitate Pragensi Procurator:

Joannes Smutek, ss. theol. Doctor et Professor, Canonicus Capit. ad OO. SS.

VII. *Theologi et Canonistae:*

a) *Eminentissimi Metropolitae:*

1. *Joannes Mařan,* s. metropol. ecclesiae Canonicus, ss. theol. Doctor.

2. *Franciscus Xaverius Plaucar,* s. metropol. ecclesiae Canonicus et ss. theol. Doctor.

3. *Carolus Franciscus Prucha,* s. metropol. ecclesiae Canonicus et ss. theol. Doctor.

4. *Gabriel Güntner,* ss. theol. Doctor et in Universitate Pragensi Professor.

5. *Vincentius Náhlovský,* ss. theol: Doctor et in Univ. Pragena Professor.

6. *Salesius Ant. Mayer,* ss. theol. Doctor et in Univ. Prag. Professor, Ord. Cisterciensis e monast. Ossecensi presbyter.

7. *Eduardus Tersch,* ss. theol. Doctor et clericorum archiepisc. seminarii Rector.

8. *Joannes Gebhard,* eccl. coll. Vyšehrad. Canonicus honor.

9. *Mathias Heinrich,* parochiae principalis Vetero-Pragae B. M. V. in Teyn parochus et Canon. honor. Vyšehradensis.

10. *Antonius Hlavan,* Archidiaconus Pilsnensis et Vicarius foraneus archiepiscopalis districtus Pilsnensis.

11. *Bernardus Sorgenfrey;* parochus Nebanicensis et Vicarius foraneus archiep. districtus Egrensis.

12. *Joannes Ludwig,* parochus in Habelschwerd, archiep. per districtum Glacensem Visitator.

13. *Antonius Jandaurek,* Concionator in Universitate Pragensi.

14. *Antonius Reinwarth,* in Univ. Pragena theologiam docens pastoralem.

Alter, qui e comitatu Glacensi ceu theologus et canonista archiepiscopalis vocatus fuerat, Antonius Ludwig, Vicarius archiep. et Archidiaconus infulatus, morbo impeditus adesse non potuit.

b) *Reverendissimi Episcopi Reginaehradecensis:*

1. *Joannes Stárek,* theologici instituti Reginaehradecensis Professor et ss. theol. Doctor.

2. *Franciscus Pokorny,* Decanus Holohlavii et districtus Jaroměřensis Vicarius foraneus episcopalis.

c) *Reverendissimi Episcopi Litomericensis:*

1. *Joannes Řehák,* Capituli cathedr. Litomeric. Canonicus, ss. theol. Doct.

2. *Joannes Drbohlav,* parochus Magno-Jesenikii, et districtus Nimburgensis Vicarius foraneus episcopalis.

d) *Reverendissimi Episcopi Budvicensis:*

1. *Franciscus Jechl,* theologici instituti Budvicensis Professor, ss. theol. Doctor.

2. *Franciscus Kamaryt,* Decanus Kaplicii, et districtus Kaplicensis Vicarius foran. episcopalis.

Jam Eminentissimo Metropolita mandante Decretum ejusdem lectum est, quo tum *Judices synodales* tum *caeteros Synodi Officiales* constituit. Nominati sunt sequentes:

I. Judices synodales:

Wenceslaus Wáclavíček, s. metropol. ecclesiae Praepositus et Praelatus, uti Praeses.

Joannes B. Mařan, s. metropol. ecclesiae Canonicus, uti Assessor.

Adalbertus Mokrý, cath. eccl. Budvic. Canonicus, uti Assessor.

Wenceslaus Hrdina, cathedr. eccl. Reginaehradecensis Canonicus, uti Assessor.

II. Promotores Concilii:

Franciscus Xaver. Plaucar, ss. metropol. ecclesiae Canonicus.
Carolus Franciscus Prucha, ss. metropol. ecclesiae Canonicus.

III. Secretarii Concilii:

Joannes Gebhard, eccl. colleg. Vyšehrad. Can. honorarius.
Eduardus Tersch, seminarii archiepiscopalis Rector.

IV. Notarii Concilii:

Salesius Mayer, Ord. Cist. presb. et in Univ. Prag. theol. Prof.
Vincentius Náhlovsky, in Univ. Pragena theol. Professor.
Antonius Jandaurek, in Univ. Pragena Concionator.
Antonius Reinwarth, in Univ. Prag. theologiam docens.

V. Caeremoniarum Magister:

Eduardus Tersch, seminarii archiepiscopalis Rector.

In ejus auxilium assignatus est:

Wenceslaus Kratochvil, s. metropol. ecclesiae Sacrista.

Facta horum Officialium promulgatione Eminentissimus Metropolita mandavit, ut de omnibus, quae ab iisdem agenda forent, specialis instructio scripta legeretur, quae etiam scripto singulis tradita est.

Ut materia in Concilio tractanda facilius et maturius considerari posset, placuit Eminentissimo Praesidi, Reverendissimis Episcopis unanimi voce suffragantibus, quatuor Commissiones vel Sectiones synodales formare, quae eas res, de quibus dein publice agendum esset, rite praepararent. Lectum itaque est istud Eminentissimi Domini Decretum, quo hujusmodi Commissiones institutae iisque simul assignatae sunt partes materiarum, ab iisdem singulis pertractandae, quarum exemplaria typis impressa fuerant.

I. Commissio.

Praeses: Reverendissimus Episcopus Reginaehradecensis,
Vicarius seu Vice-Praeses: Joannes Rotter, Abbas Břevnoviensis.
Consultores: Czeschik Franciscus, Cap. colleg. ad OO. SS. Praepos.,
Diener Joannes, Superior provincialis,
Hrdina Wencesl., eccl. cath. Reginaehradecensis Canonicus,
Jaresch Joannes, Prior Conventus Melitensium,
Kamaryt Franc., Vicarius foraneus,
Ludwig Joannes, Visitator archiep. Glacensis,
Mařan Joannes, s. metropol. ecclesiae Canonicus,
Mayer Salesius, ss. theol. Professor,
Rais Joannes, eccl. cathedralis Reginaehradec. Decanus,
Schütz Adeodatus, Prior provincialis,
Sychrava Norbertus, Abbas Praem. Siloënsis.
Sectionis hujus *Notarius* designatus est *Mayer Salesius.*

II. Commissio.

Praeses: Reverendissimus Episcopus Litomericensis.
Vicarius s. Vice-Praeses: Athanasius Bernhard, Abbas Ossecensis.
Consultores: Částka Franc., Abbas in Emmaus,
Gebhard Joannes, Canon. hon.,
Hlavan Ant., Archidiac. Pilsn.,
Jandaurek Ant., Concion. Univ.,
Joechlinger Ant., Sup. provinc.,
Köhler Wolfgang, Sup. provinc.,
Pokorny Franc., Vicar. foran.,
Řehák Joannes, Can. Litom.,
Tersch Eduard. seminarii Rector.,
Eques de *Wáclavíček*, s. metropol. ecclesiae Praepos.,
Würfel Adolph. s. metropol. ecclesiae Canon.,
Sectionis hujus *Notarius* designatus est: *Jandaurek Antonius.*

III. Commissio.

Praeses: Reverendissimus Episcopus Budvicensis.
Vicarius s. Vice-Praeses: Hieronymus Zeidler, Abbas Strahoviensis.
Consultores: Akermann Jos., eccl. cath. Litomeric. Canon.,
Drbohlav Joann., Vicar. foran.,
Heinrich Mathias, Parochus in Teyn,
Klose Leopoldus, Minister prov.,
Mokrý Adalb., eccl. cath. Budv. Canonicus,
Padlesak Joannes, Capit. Vet. Bolesl. Praepos.,

Plaucar Franc., s. metropol. ecclesiae Canonicus,
Reinwarth Ant., theologiam docens,
Schawel Joann., eccl. cath. Budvic. Canonicus,
Tomek Nicol., s. metropol. eccl. Decanus,
Wackař Leop., Abbas Altovadenus.

Notarius hujus Sectionis deputatus est: *Reinwarth Antonius.*

IV. Commissio.

Praeses: Reverendissimus Episcopus Oropensis.
Vicarius s. Vice-Praeses: Marianus Heinl, Abbas Teplensis.
Consultores: Beer Jacobus, Generalis et Magnus Mag. Crucigerorum,
Güntner Gabriel, ss. theol. Professor,
Jechl Franc., ss. theol. Prof.,
Matějka Theophil., Prior provincialis,
Nahlovsky Vincent. ss. theol. Prof.,
Pfeifer Jos., ecclesiae cath. Litomer. Canonicus,
Prucha Carol., s. metropol. ecclesiae Canonicus,
Sigmund Wencesl., Cap. Vyšehrad. Can.,
Smutek Joannes, Cap. ad OO. SS. Canonicus,
Sorgenfrey Bernardus, Vicar. foran.,
Stárek Joannes, ss. theol. Professor.

Notarius hujus Sectionis constitutus est: *Náhlovský Vincentius.*

Caeterum de materia distributa Eminentissimus Dominus summam curam esse habendam monuit, eamque Concilio finito integram fore restituendam.

Quibus rebus constitutis Promotores accesserunt petentes, ut nonnullis presbyteris provinciae, qui ad istam Congregationem admitti rogaverant, accessus concederetur. Cui petitioni lectis eorum nominibus Reverendissimi Patres annuerunt, admissosque Eminentissimus Metropolita de secreti servandi officio admonuit, atque non nisi ad audiendum admissos esse iis significavit.

Quo sanctius singula, quae tum in Congregationibus tum in Sessionibus tractanda essent, sacro tegerentur silentio, Eminentissimus Metropolita Decretum generale *de servando secreto* promulgari jussit, quo lecto singuli praesentes ad Metropolitam accesserunt, manuque pectori admota his verbis solemnem silentii sponsionem ediderunt: *Spondeo et promitto, me secretum esse servaturum.*

Postea instantibus Promotoribus Eminentissimus Metropolita Decreta illa, quae ad inchoationem et formam Concilii pertinent, publice legi jussit, et quidem:

1. *Decretum de non afferendo praejudicio,*
2. *Decretum de modo vivendi in Synodo,* et
3. *Decretum de non discedendo*, quibus omnes praesentes, et praesertim Reverendissimi Patres Concilii assensum praebuerunt.

Promotores dehinc institerunt, ut quum omnia rite jam praeparata sint, prima Sessio publica in diem sequentem, nonam Septembris indiceretur. Emi-

nentissimus Metropolita itaque Reverendissimos Concilii Patres interrogavit: *Placetne vobis, ut prima Sessio publica crastina die habeatur?*

Qui responderunt: *Placet.*

Lectum itaque est *Decretum de aperiendo Synodo,* et ab omnibus probatum.

Antequam finis Congregationi imponeretur, Eminentissimus Metropolita congregatis Synodalibus renuntiavit, ipso die ante initium Synodi felicissime contigisse, ut a Sanctissimo Pio Papa IX. responsoriae literae advenirent, quibus Summus Christi in terris Vicarius, accepto de instante Synodo Pragensi nuntio, suam et gratulationem et paternam benedictionem Eminentissimo Metropolitae significavit, simulque Indulgentiam plenariam pro die conclusionis Synodi concessit. Quae literae, quum mandante Eminentissimo Metropolita ab uno Promotorum publice lectae sunt, toti Congregationi summum cordis solatium et gaudium attulerunt: et quum benignissimi Pontificis paterna vox ad orationum praesertim assiduum fervorem excitaret: Eminentissimus Metropolita praesentes invitavit, ut pro Pontificis et Ecclesiae incolumitate statim preces consociarent, et ipso praesente momento sanctis ejus desideriis satisfacere conarentur. Quod ab omnibus, genua flectentibus, factum est.

Instantibus Promotoribus denique instrumentum hujus actionis, quod interea a Notario confectum erat, praelegi jussum est et per gratiarum actionem Congregatio finem habuit.

Modus gratiarum actionis in hac et sequentibus Congregationibus ille fuit, qui in edita *Norma Concilii celebrandi* habetur. Recitata antiphona: *Confirma hoc Deus,* — et adjecto versiculo: *Benedicamus Patrem cum Filio* — dicta est oratio: *Deus, apud quem pro perceptis donis gratitudo* — et recitata ab omnibus Antiphona de B. M. V. *Sub tuum praesidium* — Eminentissimus Metropolita orationem subnexuit: *Defende quaesumus Domine,* Congregationemque verbis: *Divinum auxilium sit sember nobiscum,* dimisit.

Prima Sessio publica.

Die *nona* Septembris 1860, quae erat *Dominica XV.* post Pentecosten et simul *Festum Nominis B. M. V.*, Reverendissimi Episcopi Concilii sub *horam octavam* matutinam in palatio archiepiscopali convenerunt, ut solemni Processione deducerentur in ecclesiam. Caeteri Synodales omnes cum numeroso Clero in ecclesia metropolitana congregati, tertio quadrante ad octavam horam ad aedes archiepiscopales perrexerunt, ubi Eminentissimus Metropolita et quatuor Reverendissimi Episcopi persolutis in sacello precibus Clero se adjunxerunt, et solemni Processione sub pulsu campanarum omnium ecclesiarum urbis Pragensis ad ecclesiam metropolitanam accesserunt. Litaniae de OO. Sanctis in via altis vocibus psallebantur.

Ordo Processionis hic fuit:

Praeferebantur vexilla cum umbella s. metropolitanae ecclesiae.

Sequebantur Regulares eo ordine, quo procedere iis moris est, dein

Sacerdotes Cleri saecularis et Parochi civitatis.
Subdiaconus cum Cruce Capituli metropolitani inter duos Ceroferarios.
Clerus s. metropolitanae ecclesiae.
Chorus Cantorum.
Magister caeremoniarum, Acolythi et ministri minores.
Theologi Patrum.
Procurator Facultatis theologicae.
Notarii et Secretarii Concilii.
Promotores Concilii.
Superiores Regularium Provinciales.
Procurator Capituli Vyšehradensis.
Procuratores trium Capitulorum cathedralium.
Prior Conventus Joannitarum et
Abbates Regulares secundum tempus acceptae benedictionis.
Generalis et Magnus Magister Crucigerorum.
Praepositi Capitulorum collegiatorum Veteroboleslav. et ad OO. SS.
Capitulum metropolitanum in corpore procedens.
Quatuor Reverendissimi Episcopi Concilii Patres cum Infulariis.
Subdiaconus cum Cruce archiepiscopali et Ceroferariis; tandem
Eminentissimus Metropolita (indutus alba, stola et pluviali rubri coloris) cum Assistentibus.

Clerici saeculares, Parochi civitatis, Theologi Patrum, Notarii et Secretarii superpelliceis et birretis, Superiores provinciales Regularium habitu sui ordinis, reliqui Regularium Praepositi et Abbates, prout et Promotores Concilii, Procuratores et Praepositi Capitulorum, Canonicique metropolitanae ecclesiae, pluvialibus rubris induti erant. Usum infulae habentes simplices mitras albas gestarunt.

In ecclesia quum omnes Synodales in presbyterio suum quisque locum capessivissent, Eminentissimus Metropolita ad altare majus hymnum: *Veni Creator Spiritus* intonavit, cui a Choro musices decantato Collecta de Spiritu s. subnexa est; dein solemnem *Missam de Spiritu s.* celebravit, intra quam fere omnes Synodales et alii quoque e Clero sanctum Christi Corpus e manibus ejus susceperunt.

Missa finita unus Promotorum populo congregato utraque vernacula lingua Eminentissimi Metropolitae propositum ac Decretum celebrandae Synodi, prout ejusdem Eminentissimi Domini adhortationem promulgavit, ut fidelium fervida oratio consultationes Patrum comitaretur.

Dehinc Processio ordinata est ad *sacellum s. Wenceslai,* publicis Sessionibus destinatum, ubi Synodales sua quique loca occuparunt, reliquo Clero et populo, qui numerosissimus confluxerat, ad ostium sacelli in ecclesia remanentibus.

Metropolita cum Assistentibus ad altare sacelli genuflexus incepit Antiphonam „*Exaudi*", et subjuncto Psalmo 68., quem Synodales cum Choro alternando recitarunt, secundum Pontificalis Romani ritum consuetas in Synodo

preces persolvit. Quo facto Acolythi et reliqui ministri discesserunt, ostiumque sacelli clausum est.

Jam Eminentissimus Metropolita synodali sermone de Conciliorum institutione, momento, fructuumque ferari utilitate, prout de damnis ex neglectu eorum ortis verba fecit, et celebres anteriores Synodos Pragenses commemorans, omnium praesentium studium et zelum in rem tantopere sanctam excitavit.

Sermone finito Promotores instituerunt, ut Decreta, quae ad inceptionem Synodi pertinerent, publicarentur. Et primo quidem *Decretum de aperienda Synodo* mandante Metropolita lectum, et approbantibus Patribus Concilii ipsa Synodus ceu aperta et incepta declarata est.

Dehinc Promotores rogarunt, ut *Decretum de emittenda fidei professione* publicaretur. Quod postquam jussu Metropolitae a Secretario lectum fuit, ipse Eminentissimus Praeses deposita mitra ad altare genuflexus et manu libro Evangeliorum admota primus professionem fidei emisit, caeteris omnibus eum communi recitatione sequentibus et dein per ordinem in ejus manus professionem confirmantibus, tangendo Evangelium et dicendo: *Ego idem spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet et haec sancta Dei Evangelia.*

Iterato dein lectum est *Decretum de servando secreto*, et quum nonnulli praesentium sponsionem istam nondum emisissent, poscentibus Promotoribus eam coram Eminentissimo Metropolita ediderunt.

Etiam caetera Decreta in Congregatione generali praeparata, uti: *de modo vivendi in Synodo, de praejudicio non afferendo, et de non discedendo,* rogantibus Promotoribus, quum Reverendissimis Patribus Concilii placuissent, promulgata, et insuper Decreta Eminentissimi Metropolitae *de Judicibus synodalibus et de Officialibus Synodi,* quae jam in Congregatione generali edicta fuerant, repetita sunt.

Secutum est *Decretum de promulgatione Decretorum Tridentinorum* de *Residentia,* (Sess. VI. de ref. cap. 1. et Sess. XXIII. de ref. cap. 1.) quae et ipsa praelecta sunt. Demum *Decretum* publicatum est, quo proxima *Sessio publica* in diem 13. Septembris hora octava *indicebatur.*

Promulgatis promulgandis Promotores pro publicando hujus Actionis instrumento, quod interea a Notario actorum synodalium confectum erat, instituerunt, istudque e mandato Eminentissimi Domini per Notarium lectum est.

Aperto dein sacelli ostio Processio Synodalium pulsantibus organis ad altare majus ordinata fuit, ubi Eminentissimus Metropolita sollennem benedictionem Clero et populo fidelium, qui numerosus adhuc aderat, impertitus est, et depositis sacris vestibus una cum Episcopis a Clero ad reditum in aedes archiepiscopales deductus est.

Secunda Congregatio generalis.

Die *duodecima* Septembris 1860, quae erat feria quarta infra hebdomadem Dominicae XV. post Pentecosten, *hora nona* matutina in ecclesia archiepiscopalis seminarii ad S. Salvatorem habita est Congregatio generalis *altera.*

Solito more convenerunt Synodales suisque locis consederunt. Aberat alter procurator Capituli Litomericensis, Canonicus Josephus Pfeifer, qui e gravi causa a Concilio discedendi facultatem legitime obtinuit.

Initium hujus Congregationis, uti primae, per consuetas preces factum est, et Eminentissimus Metropolita ritualem cohortationem adjunxit. Aliqui dein e Clero, qui ut ad hanc Congregationem admitterentur, rogaverant, lectis eorum nominibus, annuentibus Reverendissimis Patribus Concilii ad audiendum admissi sunt secretumque, Decreto ejus servandi iterum lecto, spoponderunt. Incepto jam Congregationis actu Eminentissimus Metropolita aliqua de ordine deliberandi praefatus est duosque, qui de titulis I. et VII. referrent, constituit.

Ad discutiendum jam propositus est titulus I. *de Sacerdotio*, cujus examen speciale in quarta Commissione per duas Congregationes privatas habitum fuerat. Postquam ea, quae de ista materia praemonenda videbantur vel in particulari consessu animadversa erant, praesentibus Synodalibus per referentem communicata fuerunt, singula ejus tituli capita per unum Synodalem a Metropolita designatum lecta sunt. Absoluta cujuslibet capitis lectione Eminentissimus Metropolita praesentes invitavit, ut si quid animadvertendum in Domino censerent, liberrime id proferrent.

Eodem modo dein actum est de iis, quae titulo VII. *de Regularibus* edicuntur, quorum examen a prima Commissione per duas Congregationes privatas institutum fuerat. Etiam hic lecto quolibet capite singulis occasio data est, ea quae quisque sentiret, libere proferendi.

Deliberatione finita et Promotoribus interrogantibus, num Sessio publica in diem proximum jam indicta revera habenda sit, a Patribus Concilii affirmative responsum est, et Congregatio generalis per solitas preces, eodem modo ac prima, finem habuit.

Secunda Sessio publica.

Die *decima tertia* Septembris 1860, quae fuit feria quinta infra hebdomadem Dominicae XV. post Pentecosten, ad habendam *alteram Sessionem publicam hora octava* matutina Eminentissimus Metropolita una cum Episcopis, qui in palatio archiepiscopali congregati fuerant, solemni Processione, ut ad primam Sessionem publicam, in ecclesiam metropolitanam deductus est.

Missa solemni *de Ss. Sacramento* per Reverendissimum Episcopum Reginaehradecensem celebrata, Processio Synodalium in sacellum s. Wenceslai ordinata fuit, ubi rituales preces in Synodo solemnes persolutae, et dein ostia sacelli clausa sunt.

Rogante Eminentissimo Metropolita Reverendissimus Episcopus Litomericensis sermonem synodalem habuit *de necessitate assiduae orationis in munere pastorali*, quam, et maxime ab exemplo Jesu Christi pastoris pastorum, sacerdotibus cujusvis ordinis tum ad eorum propriam, tum ad gregis sui salutem enixe commendavit.

Sermone finito Promotores institerunt, ut *Decreta* tituli primi *de Sacer-*

dotio et tituli septimi *de Regularibus,* quae in antecedenti Congregatione generali considerata et admissa erant, promulgarentur. Mandante Metropolita singula eorum capita partim a primo Secretario, partim a Notariis publice lecta sunt. Lecto unoquoque capite Eminentissimus Metropolita Reverendissimos Patres Concilii interrogavit his verbis: *Placentne vobis haec Decreta, Reverendissimi Confratres?* Qui omnes responderunt: *Placent.* Eminentissimus Metropolita subjunxit: *Deo gratias.*

Promulgatis promulgandis Promotores institerunt, ut proxima Sessio publica in sequentem Dominicam XVI. post Pentecosten indiceretur, quod quum Patribus placuisset, *Decretum indictionis* est promulgatum.

Denique jussu Eminentissimi Metropolitae instrumentum eorum, quae in ista Sessione acta erant, lectum, sacelli ostium apertum et Sessio per solemnem benedictionem Eminentissimi finita est. Caetera ut in prima Sessione acta fuerunt.

Tertia Congregatio generalis.

Die *decima quinta* Septembris 1860, quae erat Sabbatum ante Dominicam XVI. post Pentecosten *hora nona* matutina in oratorio seminarii archiepiscopalis habita est Congregatio generalis *tertia.*

Synodalibus congregatis Eminentissimus Metropolita per consuetas preces Congregationis actum exorsus est.

Iterum plures e Clero, qui ut huic Congregationi adesse sibi liceret, rogaverant, ad audiendum admissi sunt, et quotquot sponsionem secreti nondum ediderant, eam consueto modo emiserunt.

Praemissa rituali per Eminentissimum Praesidem exhortatione, ex ejus mandato considerationi Synodalium primo oblatus est titulus tertius *de Cultu divino* tractans, quem praecedentibus diebus secunda Commissio speciali examini submiserat. Lectis singulorum capitum Decretis eodem modo, ac in praecedenti Congregatione generali, praesentes ab Eminentissimo Metropolita ad dicendum, quid animadvertere vellent, invitati sunt.

In primo capite ipse Eminentissimus Praeses *legem* servandi ante Ss. Sacrificium Missae *jejunii naturalis,* sacerdotibus celebraturis graviter inculcavit, textuique verba, quae eo pertinent, inseri jussit. Etiam ex congregatis Synodalibus plures occasione suam sententiam libere dicendi usi sunt, atque nonnulla, ubi eorum propositiones probandae videbantur, in textu decernendorum mutata sunt.

Postmodum lecta et approbata sunt illa *de Sacramentis* Decreta, quae titulo quarto comprehensa in pluribus Congregationibus particularibus tertiae Commissionis singillatim examinata fuerant.

Quum denique nemo aliquid obmoveret, negotio hujus Congregationis peracto Promotores interrogarunt, num Sessioni publicae in sequentem diem indictae revera daretur locus. Quod quum a Reverendissimis Patribus affirmatum esset, Congregatio generalis per consuetas preces finita est.

Tertia Sessio publica.

Die *decima sexta* Septembris 1860, quae erat Dominica XVI. post Pentecosten et simul *Festum s. Ludmilae* Martyris et Patronae Regni, in sacello s. Wenceslai ecclesiae metropolitanae habita est *tertia Sessio publica.*

Hora *octava* matutina Eminentissimus Metropolita et Reverendissimi Episcopi Concilii Patres e palatio archiepiscopali solemni Processione ad ecclesiam metropolitanam deducti sunt, ubi numerosissimus eos salutavit populus, qui ex omnibus civitatis parochiis, communi maxime Processione, incipiendo ab ecclesia B. M. V. in Teyn, ducibus Parochis ad metropolitanam ecclesiam ascenderat, ut consociatis et publicis precibus synodalem actum pie comitaretur.

Missa solemni de festo die a Reverendissimo Episcopo Litomericensi celebrata Synodales in sacellum s. Wenceslai secesserunt, ubi preces juxta ordinem ad Synodum in Pontificali Romano contentum persolutae sunt. Foribus dein sacelli clausis, Reverendissimus Episcopus Budvicensis sermonem synodalem dixit *de auctoritate ecclesiastica* tanquam vitali principio, quod Ecclesia a Christo Domino habet, quo conservatur, et Spiritus Sancti assistentia fideles ad aeternum eorum finem dirigit, cujus salutares effectus non in Ecclesiam tantum sed et in civilis reipublicae sospitatem redundant.

Finito sermone institerunt Promotores, ut Decreta, quae titulo tertio *de Cultu divino*, et titulo quarto *de Sacramentis* in praecedenti Congregatione generali perpensa et admissa fuerunt, publicarentur. Eminentissimus Metropolita jam ista Decreta legi jussit, eaque omnia et singula eodem modo ac in praecedente Sessione a Patribus Episcopis per verbum: „*Placent*" approbata sunt.

Denique Eminentissimus Metropolita cum assensu Patrum Concilii Decretum, quo proxima Sessio publica in diem vigesimam Septembris indicta est, publicari jussit, et addito mandato de conficiendo et serius legendo actionis instrumento, per benedictionem solemnem modo consueto Sessioni huic finem imposuit.

Quarta Congregatio generalis.

Die *decima nona* Septembris 1860, quae erat feria quarta infra hebdomadem Dominicae XVI. post Pentecosten, hora *nona* matutina in oratorio seminarii archiepiscopalis habita est Congregatio generalis *quarta,* ad quam omnes Synodales exceptis, qui legitime excusati erant, convenerunt.

Initium ejus consueto modo per rituales preces ab Eminentissimo Metropolita dictas, factum est, et plures e Clero, qui ut Congregationi interesse possent, rogaverant, assentientibus Patribus Concilii admissi sunt, secreti sponsionem, quantum opus erat, emittentes.

Considerationi Synodalium jam Eminentissimus Metropolita proposuit ea, quae titulo secundo *de Fide et institutione catholica* decernenda visa sunt, et quorum examen particulare prima Commissio per plures dies instituerat. Lecto unoquoque capite Synodales, si quid animadvertendum haberent, ut id profer-

rent, invitati sunt. Unus alterve locus opinionibus dicendis ansam praebuit, et nonnulla verba mutata sunt.

Lectus deinde est titulus quintus de *Fabrica et supellectili ecclesiastica*, qui a quarta Commissione examinatus fuerat, et titulus octavus de *Bonis ecclesiasticis*, cujus examen a tertia Commissione particulari habitum erat, paucis animadversionibus ab uno alterove additis.

Congregatio his peractis per consuetas preces finita fuit.

Quarta Sessio publica.

Die *vigesima* Septembris 1860, quae erat feria quinta infra hebdomadem Dominicae XVI. post Pentecosten, in ecclesia metropolitana celebrata est *publica Sessio quarta.*

Postquam Eminentissimus Metropolita et Reverendissimi Episcopi Patres Concilii hora *octava* matutina solito more ex aedibus archiepiscopalibus ad ecclesiam metropolitanam processerant, Missa solemnis *votiva de B. M. V.* a Reverendissimo Episcopo Budvicensi cantata est. Processione dein ad sacellum s. Wenceslai adornata, ibique ritualibus precibus persolutis ostium clausum est, et Reverendissimus Episcopus Reginaehradecensis sermonem *synodalem* habuit de *remediis*, quae contra mala infidelitatis et morum corruptelae, hodie mundum prementia, potissimum a Clero adhibenda sunt, et quae in ejus scientia, exemplo virtutum, charitatis zelo et conjuncta denique omnium opera et oratione inveniuntur.

Finito sermone institerunt Promotores, ut Decreta, quae in praecedenti Congregatione generali examinata et admissa erant, ex voto Synodi textu breviori publicarentur. Annuentibus Concilii Patribus jussu Eminentissimi Metropolitae Decreta tituli secundi *de Fide et institutione catholica*, tituli quinti *de Fabrica et supellectili ecclesiastica*, et tituli octavi *de Bonis ecclesiasticis* per Secretarios et Notarios lecta sunt, eaque omnia a Reverendissimis Episcopis approbata fuerunt.

Indicta denique proxima et ultima Sessione in diem 23. Septembris, lectoque hujus actionis instrumento Sessioni per benedictionem archiepiscopalem in altari majori finis est impositus.

Caetera ut in praecedentibus publicis Sessionibus acta fuerunt.

Quinta Congregatio generalis.

Die *vigesima secunda* Septembris 1860, quae erat Sabbatum ante Dominicam XVII. post Pentecosten hora *nona* matutina in oratorio archiepiscopalis seminarii habita est Congregatio generalis *quinta*, ad quam omnes Synodales exceptis iis qui legitime excusati erant, adfuerunt.

Initium ejus solito more per preces rituales factum est, quas Eminentissimus Metropolita persolvit, dein nonnulli e Clero, qui ut Congregationi interesse iis liceret, rogaverant, ad audiendum admissi sunt, et consueto modo secreti sponsionem, quatenus eam nondum praestiterant, emiserunt.

Eminentissimus Metropolita instante jam Concilii fine Synodales congregatos quibusdam allocutus est verbis, quibus de assiduo et concordi eorum labore gratulatus, spem de felici exitu Synodi expressit.

Promotores dein rogaverunt, ut quae adhuc restabat materia, Synodalium considerationi proponeretur. Mandante itaque Metropolita lectus est titulus VI. *de Regimine ecclesiastico,* et de singulis ejus capitibus sententia Consultorum expetita est, ad quam etiam nonnulla in decernendis aut praetermissa aut adjecta fuerunt. Praeterea pauca hinc inde verba mutanda videbantur. Antequam Congregationi finis imponeretur, jussu Eminentissimi Metropolitae exemplaria Decretorum, quae typis impressa singulis Consultoribus tradita fuerant, ab omnibus reddita sunt.

Denique per consuetas rituales preces consultationes terminum invenerunt.

Quinta et ultima Sessio publica.

Die *vigesima tertia* Septembris 1860, quae fuit XVII. Dominica post Pentecosten in ecclesia metropolitana habita est *quinta* et simul *ultima* Concilii *Sessio publica.*

Hora *octava* matutina Eminentissimus Metropolita et Reverendissimi Concilii Patres, prout in prioribus Sessionibus, solemni Processione ex aedibus archiepiscopalibus in ecclesiam metropolitanam deducti sunt, ubi Eminentissimus Metropolita solemnem Missam votivam de *Ss. Trinitate* in gratiarum actionem celebravit. Ea finita unus Promotorum populo, qui numerosissimus confluxerat, finem Concilii renunciavit Indulgentiasque plenarias gratia Sanctissimi Domini Pii Papae IX. in hunc diem concessas, iterum commemoravit. Dein processum est ad sacellum s. Wenceslai, et ritualibus precibus persolutis ostia sacelli clausa fuerunt.

Promotores jam institerunt, ut Decreta tituli VI. de *Regimine ecclesiastico* quae in hesterna Congregatione generali considerata et admissa erant, publicarentur. Quod annuentibus Concilii Patribus et mandante Metropolita factum est. Interrogante Eminentissimo Praeside num Episcopis ista Decreta placeant? responderunt: *Placent.* Atque ita omnia et singula Decreta hujus Synodi approbata fuerunt.

Restabant adhuc *Decreta,* quibus *Testes synodales* et *Judices,* qui vocantur *„in partibus“* in Synodo designati promulgarentur. Consentientibus itaque Patribus et jubente Eminentissimo Praeside lectum est primo Decretum de *electis Testibus synodalibus,* qui quum omnes et singuli praesentes essent, promulgato Decreto protinus coram Eminentissimo Metropolita jusjurandum rite satisfaciendi muneri emiserunt.

Simili modo promulgati sunt synodales *Judices in partibus,* quorum qui in ipsa Synodo praesentes erant, jusjurandum rite implendi muneris ediderunt, caeteris istud in manus Ordinariorum emissuris. Omnium vero nomina ad judicium Sanctae et Apostolicae Sedis perferenda Ejusque confirmationi commendanda esse constitutum fuit.

Quum igitur omnia, quae in ista Synodo tractare visum erat, Deo opitulante acta et definita essent, rogarunt Promotores, ut finis Concilio imponeretur. Quum interrogante Metropolita Reverendissimi Episcopi assensum praebuissent, promulgatum est *Decretum,* quo Synodus *conclusa* declaratur et omnes congregati Synodales in Domino dimittuntur.

Secutum de more est alterum *Decretum de indictione proximae Synodi* provincialis exacto triennio habendae, et tertium *de subscriptione et interpretatione Concilii.*

Quo facto Eminentissimus Metropolita fores sacelli aperiri jussit, et Processione ad altare majus adornata tum Eminentissimus Praeses, tum reliqui quatuor Concilii Patres Decretis propria manu subscripserunt.

Eminentissimus Metropolita mox sermone synodali omnipotentem Deum de exacto gravissimo opere magnificans, simul Concilii Patribus et Consultoribus de eorum opera et studio gratias egit, et dum futuram Decretorum executionem omnium cordibus paterne demandabat, ad Sanctam et Apostolicam Sedem ea ad examen et confirmationem se delaturum esse edixit.

Solemniter dein hymno Ambrosiano decantato et annexo versiculo cum oratione, Promotores alta voce Acclamationes, quas Synodorum sanctus ordo habet, praecinuerunt, quibus omnes Synodales cum exultatione responderunt. Dato et accepto inter Patres prout inter Consultores osculo pacis, ad vocem Diaconi „*Procedamus in pace,*“ respondentes „*In nomine Christi, Amen*“ a Concilio omnes discesserunt.

Et ita omnia in Congregationibus et Sessionibus acta fuisse, fidem facio.

Salesius Mayer,
Notarius Concilii.

2) Decreta Eminentissimi Metropolitae ad formam Concilii pertinentia.

Decretum de aperienda Synodo.

Fridericus, Dei et Apostolicae Sedis gratia S. R. E. Tituli s. Augustini Presbyter Cardinalis Schwarzenberg, Metropolitanae Ecclesiae Pragensis Archiepiscopus.

Ad majorem gloriam Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti, in honorem immaculatae et gloriosae Virginis et Dei Genitricis Mariae, ac Beatorum Martyrum et Patronorum nostrorum Cyrilli, Methodii, Viti, Wenceslai, Adalberti, Sigismundi, Joannis Nepomuceni, Procopii, Cosmae et Damiani, Benedicti cum fratribus, Norberti, Josephi atque Ludmilae, et omnium Sanctorum, ad ampliandum decorem sanctae Matris Ecclesiae et Sedis Apostolicae, ad utilitatem et salutem Cleri populique totius provinciae, implorato Spiritus sancti au-

xilio et coelestium Intercessorum praesidio, consultis et consentientibus Reverendissimis Confratribus Nostris Episcopis comprovincialibus praesentem Pragensis provinciae Nostrae Synodum auctoritate metropolitani Nostri officii rite indictam et legitime convocatam hac ipsa die 9. Septembris, et Dominica XV. post Pentecosten, incidente simul die festo ss. Nominis Mariae aperiendam esse decernimus, et amodo apertam in nomine Domini pronuntiamus et declaramus. Ipse autem Pater misericordiarum et Deus totius consolationis benedicat nobis, illuminet vultum suum super nos et misereatur nostri; nostrasque actiones aspirando praeveniat et adjuvando prosequatur, ut Synodus nostra dignum sortiatur exordium, felicem progressum et fructuosum exitum. Per Christum Dominum Nostrum.

Decretum de professione fidei emittenda.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Cum inter omnes. pastoralis officii sollicitudines illa potissimum prima esse debeat, ut fides catholica, quam sacrosancta Romana Ecclesia tenet et quae solidissimo petrae fundamento nititur, incorrupta in hac provincia vigeat et augescat: decernimus et statuimus, ut ab unanimi professione ejusdem fidei, quam salutis humanae initium et fundamentum praedicamus, praesentis quoque Concilii actiones sumant exordium et incrementum. Corde enim creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Idcirco Patrum exempla et sacri Concilii Tridentini ordinationem pie venerantes praecipimus et Reverendissimos Confratres Episcopos nec non omnes in hac Synodo congregatos et actu praesentes invitamus in Domino, ut professionem fidei secundum formam a Pio felicis recordationis Papa IV. sancitam palam et publice Nobiscum emittant. Deus autem det nobis fidei, spei et charitatis augmentum, et ut mereamur assequi, quod promittit, Ipse nos faciat amare, quod praecipit. Per Christum Dominum Nostrum.

Forma juramenti.

Ego N. firma fide credo, et profiteor omnia et singula, quae continentur in Symbolo fidei, quo sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem coeli et terrae, visibilium omnium, et invisibilium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum, et ex Patre natum, ante omnia saecula. Deum de Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero. Genitum, non factum, consubstantialem Patri, per quem omnia facta sunt. Qui propter nos homines et propter nostram salutem descendit de coelis. Et incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria virgine: et homo factus est. Crucifixus etiam pro nobis sub Pontio Pilato, passus et sepultus est. Et resurrexit tertia die, secundum Scripturas. Et ascendit in coelum; sedet ad dexteram Patris. Et iterum venturus est cum gloria judicare vivos et mortuos; cujus regni non erit finis. Et in Spiritum sanctum Dominum, et vi-

vificantem, qui ex Patre Filioque procedit. Qui cum Patre et Filio simul adoratur, et conglorificatur: qui locutus est per Prophetas. Et unam sanctam Catholicam et Apostolicam Ecclesiam. Confiteor unum baptisma in remissionem peccatorum. Et exspecto resurrectionem mortuorum. Et vitam venturi saeculi. Amen.

Apostolicas et ecclesiasticas traditiones, reliquasque ejusdem Ecclesiae observationes, et constitutiones firmissime admitto et amplector. Item sacram Scripturam juxta eum sensum, quem tenuit et tenet sancta mater Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu et interpretatione sacrarum Scripturarum, admitto; nec eam umquam nisi juxta unanimem consensum Patrum accipiam et interpretabor.

Profiteor quoque septem esse vere et proprie Sacramenta Novae Legis, a Jesu Christo Domino nostro instituta, atque ad salutem humani generis, licet non omnia singulis necessaria, scilicet Baptismum, Confirmationem, Eucharistiam, Poenitentiam, Extremam Unctionem, Ordinem et Matrimonium; illaque gratiam conferre, et ex his Baptismum, Confirmationem et Ordinem sine sacrilegio reiterari non posse. Receptos quoque et approbatos Ecclesiae catholicae ritus, in supradictorum omnium Sacramentorum solemni administratione recipio et admitto; omnia et singula, quae de peccato originali, et de justificatione, in sacrosancta Tridentina Synodo definita et declarata fuerunt, amplector et recipio.

Profiteor pariter, in Missa offerri Deo verum, proprium et propitiatorium sacrificium, pro vivis et defunctis; atque in sanctissimo Eucharistiae Sacramento esse vere, realiter et substantialiter Corpus et Sanguinem una cum anima et divinitate Domini nostri Jesu Christi, fierique conversionem totius substantiae panis in Corpus, et totius substantiae vini in Sanguinem, quam conversionem Catholica Ecclesia Transubstantiationem appellat. Fateor etiam, sub altera tantum specie totum atque integrum Christum, verumque Sacramentum sumi.

Constanter teneo Purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis juvari. Similiter et Sanctos una cum Christo regnantes, venerandos atque invocandos esse; eosque orationes Deo pro nobis offerre; atque eorum Reliquias esse venerandas. Firmissime assero imagines Christi, ac Deiparae semper Virginis, nec non aliorum Sanctorum habendas et retinendas esse, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam potestatem a Christo in Ecclesia relictam fuisse; illarumque usum Christiano populo maxime salutarem esse affirmo. Sanctam catholicam Romanam Ecclesiam omnium Ecclesiarum matrem et magistram agnosco; Romanoque Pontifici, beati Petri Apostolorum principis successori, ac Jesu Christi Vicario veram obedientiam spondeo, ac juro. Caetera item omnia a sacris Canonibus, et Oecumenicis Conciliis, ac praecipue a sacrosancta Tridentina Synodo tradita, definita, et declarata indubitanter recipio atque profiteor; simulque contraria omnia, atque haereses quascumque ab Ecclesia damnatas, et rejectas, et anathematizatas, ego pariter damno, rejicio, et anathematizo. Hanc veram catholicam fidem, extra quam nemo salvus esse potest, quam in praesenti sponte profiteor, et veraciter teneo, eamdem integram, et inviolatam, usque ad ex-

tremum vitae spiritum, constantissime Deo adjuvante retinere, et confiteri, atque a meis subditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo spectabit, teneri, doceri, et praedicari, quantum in me erit, curaturum: ego idem N. spondeo, voveo ac juro. Sic me Deus adjuvet, et haec sancta Dei Evangelia.

Decretum de servando secreto.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Quoniam, quae auxiliante Domino in Synodo praesenti tractabuntur et prout Patribus visum fuerit, statuentur, ante sperandam Sedis Apostolicae approbationem publici juris minime fieri poterunt: decet omnino, ut omnes et singuli ad Synodum vocati, et ad singulas Congregationes admissi communicatam decretorum materiam pio silentio celare studiosissime satagant. Cum insuper in actionibus synodalibus, et materiae tractandae modo varia evenire possint, quae ad notitiam aliorum delata tum sinistras rei interpretationes tum maligna praejudicia, imo et procaces cavillationes, nec non exinde oriundam rerum ac personarum vilipensionem provocare possent: idcirco de consilio et assensu Reverendissimorum Confratrum Episcoporum omnes et singulos Synodi hujus Consultores et Officiales pariterque illos viros ecclesiasticos, qui ad unam alteramve Congregationem admittentur, strictissimo servandi secreti officio devinctos esse declaramus et palam pronuntiamus. Si quem Judices synodales deprehenderint secreti hujus violatorem: causa examinata reum ad Nos deferant pro culpae gravitate puniendum.

Promittent itaque singuli hic praesentes per fidem sacerdotalem, se tenorem in Congregationibus et Sessionibus legendorum usque ad promulgationem publicam suo tempore faciendam perfecto ac religiosissimo silentio esse celaturos.

Decretum de praejudicio non afferendo.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Providam a Patribus accepimus traditionem, ut peculiari decreto de praejudicio non afferendo fragilitatis humanae dubia solvantur, et singulorum, qui in Synodo congregati sunt, jura atque privilegia publica declaratione salva denuntientur. Traditae huic ordinationi insistentes Auctoritate Metropolitici muneris Nostri decernimus et declaramus, quod, si forte contigerit, aliquem jure non suffragante adesse, vel stante jure abesse, aliumve debito loco non sedere sive ordine non servato sententiam proferre, aliosque durante Concilio quoscunque actus facere, nulli propterea praejudicium generetur, nullique novum jus acquiratur; cum potius finito Concilio omnia eodem jure firma et salva habenda sint, quo ante Synodi hujus celebrationem rata et legitime sancita habebantur.

Decretum de modo vivendi.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Agnoscentes cum beato Jacobo Apostolo, quod omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, descendens a Patre luminum, qui postulantibus sapientiam dat affluenter et non improperat eis, memores quoque, initium sapientiae esse timorem Domini, prae caeteris omnes et singulos ad Synodum vocatos atque praesentes exhortandos esse duximus, et in Domino exhortamur, ut assiduis piisque precibus, jejuniis et eleemosynis, prout Spiritus suggesserit, has actiones synodales adjuvare studeant, et peccata anteactae vitae detestantes, corde et opere progrediantur in viam Domini Nostri Jesu Christi.

Imprimis desideramus ex animo, ut Reverendissimi Confratres Nostri Episcopi et Venerabiles sacerdotes, hujus Synodi Consultores, singulis saltem feriis quintis durante Synodo Missam de Spiritu sancto celebrent, feriis sextis in memoriam passionis Dominicae jejunent, aliisque piis operibus assidue incumbant.

Sed et reliquos civitatis hujus Clericos cujuscunque ordinis et dignitatis, maxime vero parochos, et omnes omnino fideles obsecramus in Domino, ut laudes et preces Deo jugiter offerentes, et continuo bonorum operum exercitio congregatis in Synodo Patribus eorumque cooperatoribus pie suffragari satagant. Quo securius vero a Deo exaudiri mereantur: suademus omnibus et singulis, ut hisce potissimum diebus humili et candida peccatorum confessione conscientiam purificent, et digne accedentes ad mensam Domini divino huic apud Patrem Advocato nostro, quem in Sanctissimo Sacramento praesentem et adorandum profitentur, felicem Synodi progressum et exitum supplices commendent; quatenus in nomine ejusdem Domini Jesu Christi collecti illum ipsum in medio nostrum experiamur, qui cum Patre et Spiritu Sancto laudabilis et gloriosus est in saecula saeculorum.

Decretum de non discedendo.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Dum a Domino enixe precamur, ut eorum, quos in hac Synodo congregavit, exitum quoque custodire dignetur: charitate fraterna monemus et obsecramus Reverendissimos Episcopos comprovinciales, ne antequam Synodus legitimo more finita fuerit, ex hac Metropoli discedant, nisi fors justa evenerit discedendi causa. Qua a Nobis probata, discessuri obligantur, idoneum constituere Procuratorem, qui decreta Concilii suo et Antistitis sui nomine suscipiet, et propriae manus subscriptione suscepta declarabit. Caeteris autem in Synodo congregatis mandamus, ut eveniente necessitate discedendi, causam prius Judicibus excusationum proponant examinandam et a Nobis probandam.

Decretum de Judicibus synodalibus.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Ex antiqua Judiciorum episcopalium, quae adstante sacerdotum Senatu exercebantur, disciplina labentibus saeculis orta est traditio et norma, ut in Synodis constituantur Judices pro cognoscendis Clericorum potissimum causis ad forum contentiosum pertinentibus. Eorumdem Judicum insuper est, obortas fors querelas praejudicium concernentes tutissima prudentiae et charitatis sententia componere, porro eorum excusationes examinare, qui ad Synodum vocati non comparuerunt, vel in Synodo congregati, urgente tamen causa gravi discedere cupiunt, antequam actiones Concilii finitae sint.

Ut antiquae disciplinae pia servetur memoria, et actiones synodales sine retardatione et singulorum gravamine expediri queant: consultum duximus, constituere Judicium synodale, cujus Praesidem de consilio Reverendissimorum Confratrum Episcoporum elegimus et hisce electum declaramus Rever. s. eccl. metrop. Praepositum ac primum Praelatum Wenceslaum Equitem de Wáclavíček, cui socios in obeundo munere deputamus et Judices synodales constituimus: Joannem Mařan, ss. theol. Doct. et s. metropol. eccl. Praelatum Scolast. — Adalbertum Mokry, ss. theol. Doct. et Capituli cathedralis Ecclesiae Budvicensis Procuratorem, — Wenceslaum Hrdina, ss. theol. Doct. et Capituli cathedralis Ecclesiae Reginae-Hradecensis Procuratorem.

Agenda Judicum in prima Concilii Congregatione generali rite publicentur.

Decretum de Synodi Officialibus.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Ut actiones Concilii provincialis servato sacrae liturgiae tenore et traditionis ecclesiasticae more rite et ordinatim in Domino peragantur: constituimus consultis Reverendissimis Confratribus Nostris Episcopis sequentes Synodi Officiales.

1. Promotores Concilii: Franciscum Xav. Plauzar, ss. theol. Doct. et s. metrop. eccl. Canonicum; Carolum Franc. Prucha, ss. theol. Doct. et s. metrop. eccl. Canonicum.

2. Secretarios Concilii: Joannem Nep. Gebhard, collegiatae ecclesiae Vyšehradensis Canonicum honorarium, et Eduardum Tersch, ss. theol. Doct. et archiepisc. seminarii Rectorem.

3. Notarios Congregationum particularium: Salesium Mayer, ss. theol. Doct. et caes. reg. in Universitate Pragena Professorem; Vincentium Náhlovský, ss. theol. Doct. et caes. reg. in Universitate Pragena Professorem; Antonium Jandaurek, in Universitate Pragena Concionatorem; Antonium Reinwarth, in studio theologicae Facultatis docentem.

4. *Notarium Concilii* praefatum designamus Salesium Mayer.

5. *Magistros caeremoniarum:* praefatum constituimus Eduardum Tersch, et s. metrop. eccl. Sacristam Wencesl. Kratochvil.

Agenda Officialium in prima Synodi Congregatione generali rite publicentur.

Decretum de publicatione ordinationis Tridentinae quoad residentiam.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Quamvis Deo laetabundi gratias agamus, quod in hac provincia sapientissimae Concilii Tridentini quoad servandam residentiam ordinationes minime negligantur: decretis tamen ejusdem sacrosanctae Synodi fideliter insistentes mandamus, ut, prout Patres Tridentini sancierunt, Decreta ab iisdem edita, quae servandam residentiam concernunt, in hoc praesenti Concilio republicentur.

Praelegentur Decreta Sess. VI. de Ref. cap. 1. et Sess. XXIII. de Ref. cap. 1.

Decretum indictionis primae Sessionis publicae.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Consultis et assentientibus Reverendissimis Confratribus Episcopis decrevimus, iterumque decernimus, ut prima hujus Concilii Sessio publica habeatur Dominica XV. post Pentecosten, quae erit die 9. hujus mensis Septembris. Cum ea ipsa die hoc anno Festum SS. Nominis B. Virginis Mariae celebrandum sit: gaudeamus in Domino, pie precantes, ut intercedente eadem gloriosa Virgine et Dei Genitrice Maria, sub cujus praesidium confugimus in cunctis necessitatibus nostris, Synodum praesentem visitare, disponere et benedicere dignetur. Per Christum Dominum nostrum.

Datum die festo Nativitatis B. Virginis Mariae, die 8. Septembris 1860.

Decretum indictionis secundae Sessionis publicae.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Consultis et assentientibus Reverendissimis Confratribus Episcopis decernimus in Domino, ut proxima hujus Concilii Sessio publica celebretur Feria V. post hanc Dominicam, quae erit die 13. hujus mensis Septembris. Actiones nostras ipse Dominus adjuvando prosequatur, ut quemadmodum de felici exordio gaudemus, de fausto quoque laetemur profectu. Per Christum Dominum nostrum.

Datum Dominica XV. post Pentecosten, die 9. Septembris 1860.

Decretum indictionis tertiae Sessionis publicae.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae Metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Consultis et assentientibus Reverendissimis Confratribus Episcopis decernimus in Domino, ut tertia hujus Concilii Sessio publica celebretur Dominica XVI. post Pentecosten, quae erit 16. mensis Septembris, et in quam simul incidet Festum s. Ludmilae Viduae Martyris et Patronae Regni. Quam dum in divino officio veri veris praedicamus primulam, exoremus Dominum, ut ea intercedente primi hujus post saecula Concilii provincialis actiones ceu reflorescentis vitae ecclesiasticae initium benedicere dignetur. Per Christum Dominum nostrum.

Datum Feria V. infra hebd. Dom. XV. post Pentecosten, die 13. Septembris 1860.

Decretum indictionis quartae Sessionis publicae.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

De consilio et assensu Reverendissimorum Episcoporum comprovincialium decernimus et declaramus, quartam hujus Concilii Sessionem publicam celebrandam esse proxima Feria V., quae erit 20. hujus mensis Septembris. Sanctificaturi his ipsis diebus Jejunium Quatuor Temporum, divinis rebus intenti sic a culpa quoque jejunemus, ut et propriae poenitentiae suffragio, et multiplicatis totius orbis christiani precibus adjuti divinum nobis adesse auxilium sentiamus. Per Christum Dominum nostrum.

Datum Dominica XVI. post Pentecosten, die 16. Septembris 1860.

Decretum indictionis ultimae Sessionis publicae.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Consultis et assentientibus Reverendissimis Confratribus Episcopis decernimus, ut proxima, videlicet ultima hujus Concilii Sessio publica habeatur Dominica XVII. post Pentecosten, quae erit die 23. hujus mensis Septembris. Oremus Dominum ac Deum nostrum, ut actiones nostras, quas aspirando praevenire dignatus est, adjuvando propitius prosequatur; utque cuncta nostra oratio et operatio per Eum coepta fructuose finiatur. Per Christum Dominum nostrum.

Datum Feria V. infra hebdom. Dominicae XVI. post Pentecosten, die 20. Septembris 1860.

Decretum de electis Judicibus Synodi in partibus.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitaane Pragensis Archiepiscopus.

Ut, quod ex ordinatione Ss. Concilii Tridentini in hac Synodo capite III. tituli VI. dedimus Decretum de Judicibus, quos ajunt in partibus, Sedi Apostolicae proponendis, illico executioni mandemus: consultis et assentientibus Reverendissimis Confratribus Episcopis sequentes elegimus, et prout oportet, Sedi Apostolicae commendabimus viros ecclesiasticos. *)

Horum erit causas spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes, quae eis fors a Sede Apostolica et a quolibet Legato vel Nuntio in partibus tractandae committentur, pro tenore particularis mandati fidelissimo obsequio expedire.

Ut autem demandando fors officio se paratissimos esse palam faciant: provocamus electos atque praesentes, ut fidelitatem suam juramento in manus Nostras emittendo testentur.

Absentes autem idem juramentum, cum per Episcopos Ordinarios provocati fuerint, praestabunt; iidem vero Episcopi de emisso electorum juramento tempore statuto Nos certiores reddere non dubitabunt.

Datum Dominica XVII. post Pentec. die 23. Septembris 1860.

Decretum de electis Testibus synodalibus.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Introductam antiquitus Conciliorum decretis consuetudinem, ut scilicet in Synodis provincialibus ex qualibet provinciae dioecesi deligantur duo pluresve viri ecclesiastici, doctrina et pietatis laude probati, gravissimo Testium synodalium officio devinciendi, solemni Decreto capite III. tituli VI. in hac Synodo edito innovandam et tenendam esse, in Domino statuimus et promulgavimus.

Ut innovandae hujusmodi praxis mora non interposita exordium fiat: de consilio et assensu Reverendissimorum Confratrum Episcoporum Testes synodales elegimus, et electos palam declaramus. **)

Horum erit, diligenter animadvertere, an aliquid in dioecesi, cui adscripti sunt, corrigendum seu emendandum sit, cognitumque in proximo provinciae Concilio ad Nos et comprovinciales nostros Episcopos referre, ut si de rebus quibusvis minus provisum sit, rectius per Synodum provideatur.

Uberiorem caeterum de munere demandato instructionem Episcopi in hac Synodo congregati, electis hisce testibus opportuno tempore communicabunt.

Ut autem officio suo legitima et solemni ratione devinciantur: provocamus electos et hic praesentes, ut ad praestandum juramentum requisitum illico accedant. Jurabunt in manus Nostras, se munus susceptum fideliter pro Deo et propter Deum esse impleturos, et postposito quolibet affectu sinistro relaturos, quae pro tenore suae instructionis indagaverint et correctione indigere noverint.

Datum Domin. XVII. post Pentec. die 23. Septembris 1860.

---

*) Nomina electorum recensentur in Decreto originali.

**) Nomina electorum recensentur in Decreto originali.

Decretum de finienda Synodo.

Fridericus, S. M. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Actis et absolutis omnibus et singulis, quae prout spiritus suggessit, agenda et decernenda videbantur in Domino, ut fides orthodoxa, pietas et disciplina ecclesiastica in Clero et populo hujus Nostrae provinciae Deo largiente conservetur et augescat: humillimas Deo omnipotenti, qui actiones nostras aspirando praevenire et adjuvando prosequi dignatus est, gratias reddentes provinciali huic Concilio de consilio et assensu Reverendissimorum Confratrum Episcoporum finem imponendum censemus, et impositum palam denuntiamus, ideoque congregatam Synodum dimittimus in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti.

Datum Dominica XVII. post Pentec. die 23. Septembris 1860.

Decretum indictionis proximi Concilii.

Fridericus, S. R. E. Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Legi morique in sancta Dei Ecclesia vigenti toto corde insistentes pro officio metropolitici muneris Nostri omnibus et singulis hic praesentibus notum facimus et declaramus, proximum hujus provinciae Concilium elapso triennio a celebranda in unaquaque dioecesi, prout sacri Canones urgent, Synodo dioecesana in hac ipsa Metropoli tempore a Nobis designando celebrandum fore. Deus Ipse pius ac clemens, qui dispersa congregat, et congregata conservat, benedicat nobis, ut prout in hujus, sic etiam in futuri Concilii diebus exultemus et laetemur. Per Christum Dominum Nostrum.

Datum Dominic. XVII. post Pentecosten die 23. Septembris 1860.

Decretum de subscriptione et interpretatione Concilii.

Fridericus, S. R. E. Presbyter Cardinalis Schwarzenberg, Ecclesiae metropolitanae Pragensis Archiepiscopus.

Cum Reverendissimi Confratres Episcopi in Sessionibus publicis, quas Deo auxiliante celebravimus, omnibus et singulis Decretis rite promulgatis assensum praebuerint: metropolitici Nostri officii est, legitimum ac propria manu scriptum urgere praestiti hujus assensus testimonium.

Idcirco metropolitana auctoritate Nostra provocamus eosdem Episcopos et Synodi hujus Reverendissimos Fratres, ut ad altare accessuri Nobiscum omnibus et singulis subscribant, quae collatis fraternis consiliis Decrevimus in nomine Domini.

Si quid autem obortum fuerit difficultatis in istis Decretis interpretandis: decernitur ex unanimi voto eorumdem Reverendissimorum Patrum, authenticam Decretorum interpretationem usque ad proximum provinciae Concilium Metropolitae esse reservatam; salva tamen S. Romanae Ecclesiae et Sedis Apostolicae

auctoritate, cui videlicet omnia in hac Synodo acta et decreta ea, qua decet, reverentia subjicimus interpretanda, emendanda, et prout in Domino consultum videbitur, confirmanda.

Datum Pragae Dom. XVII. post Pentecosten 23. Septembris 1860.

3) Sermones synodales Eminentissimi Metropolitae.

1) Allocutio in prima Congregatione generali.

Feliciter sane Mihi Vobisque omnibus, *Patres Reverendissimi*, *Vosque caeteri Fratres ac filii dilecti!* hodierna illuxit dies. Quod enim diuturna anteactorum temporum injuria pro communi sanctae catholicae religionis in *hac nostra provincia ecclesiastica* conservandae et augendae bono ex voto omnium nostrum hucusque ad optatum finem perduci minime potuit: id utique divino aspirante Numine *hodie* faustis inchoari auspiciis laetis videmus oculis; subindeque pie in Domino exultantes bonam in spem erigimur fore, ut Conventus hic noster communis orthodoxae fidei promovendae, nec non disciplinae ecclesiasticae revocandae proficiat, prout ardentibus votis hactenus Vobis omnibus eum jam pridem expetitum fuisse, non ignoramus.

Quapropter intimas jam Deo Optimo Maximo gratias ago, qui nos hic incolumes congregavit diemque istum laetissimum, quem *multi* cupierunt videre, *non solum vivendum* sed etiam *solemnissime celebrandum* infinita sua bonitate concedit.

O felix Praga! cui vel id calamitosa hac tempestate solatii obtigit, ut post ducentos quinquaginta quinque annos iterum *primus iste augustissimus Coetus ecclesiasticus* in sinu tuo fortunate sancteque inchoetur!

Felix! ad quam unam tot Patres Reverendissimi, tot amplissimi viri, tot religiosissimi Abbates et monasteriorum Praepositi, tot egregii sacerdotes ex universo inclyto regno Bohemiae convenere, ut quasi in specula congregati de regno Christi in adamata patria nostra instaurando ac promovendo, probata sua uniant consilia.

Salvete ergo Reverendissimi Patres! et iterum dico: *Salvete!* Vos enim ardenti domus Dei zelo imbutos, non aetas, non labor, non valetudo, non itineris molestiae retardarunt, quominus ad hanc Synodum *pia alacritate* festinaveritis, cui certe spectata Vestra praesentia et *praesidio* futuri estis e *ornamento!*

Salvete et Vos, Fratres ac Filii carissimi! sane numeroso conventu, quo Vestram erga Nos observantiam testamini, *magnam* cordi Nostro *dulcedinem* parastis et *consolationem!* cum ad primum edictum, ne dicam ad *nutum* Nostrum faciles ac promtos vosmet exhibuistis, et relictis domi sacris aeque ac profanis negotiis, ad hanc *Sedem metropolitanam* advolastis, *Vestra* cum *Nostris* juncturi consilia, om-

nemque sollicitudinem, curam et cogitationem ad sanctissimae religionis nostrae dignitatem in hac provincia tuendam atque augendam *Nobiscum* hisce diebus traducturi.

Agite Reverendissimi Patres et Fratres carissimi! magnis alacribusque animis ad primam hanc Synodum, pro felici Christo Domino adjuvante Conciliorum inauguratione accedamus oportet; neque enim est, quod rei *novitate* aut difficultate deterreamur; bonorum siquidem omnium Parens et Auctor Deus, cujus Spiritu *totum corpus Ecclesiae* sanctificatur et regitur, coeptis nostris favebit piaque conamina pro gregis devoti salute ad optatum exitum perducet. Aderit conatibus nostris Christus Dominus, qui verbo veritatis sese obstrinxit: Amen dico vobis, si duo ex vobis consenserint super terram de omni re, quamcumque petierint, fiet illis a Patre meo! Amen.

2) Allocutio in prima Sessione publica.

Reverendissimi Patres!

Filii Dilectissimi!

Sancta Dei Ecclesia, saluti prospiciens animarum, *solertissima* semper invigilabat *cura omnemque* indefesso labore movebat *lapidem*, ut rejectis *erroribus, veritatis splendor* latius illucesceret, utque vitiis exstirpatis candor morum in membris Christi corruscaret. Neminem autem Vestrum latet, qualem Ecclesia, hunc gravissimi momenti finem assecutura, elegerit viam; nostis omnes, copiosa per saeculorum decursum convocata fuisse *Concilia*, legemque sancitam, ut quotiescunque rerum temporumque ratio admitteret et postularet, *Synodi* celebrarentur, sicque morem videtis in Ecclesia enatum, qui *antiquitate* est venerabilis, *experientia* comprobatus, imo et *necessitate* nonnumquam praescriptus.

Antiquitate laudabilem dico Conciliorum morem. Est enim hujus in Ecclesia instituti auctor Christus Dominus, suntque magistri Apostoli; nam Ejus certa quidem sane est illa promissio, cum suam opem suumque auxilium ejusmodi conventibus rite celebratis pollicetur et defert, dum ait: „*Amen dico vobis, ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum ego in medio eorum.*“ *Apostoli* vero, etsi doctore Spiritu Sancto uberem sacrarum rerum cognitionem *singuli* acceperant, tamen si quid gravius publice praesertim agendum noverant, hac consultandi ratione uti consueverunt; non alia ex causa, quam ut futuris temporibus posterisque Ecclesiae rectoribus exemplum relinquerent et normam.

Horum aemuli exemplorum jam altero aerae christianae saeculo Concilia celebraverant Episcopi, et finitis tandem, quibus Romanorum Imperatores regnum Dei evertere intendebant, cruentis persecutionibus, Ecclesia redditam sibi pacem *eum in finem* prae caeteris adhibuit, ut magnos illos et augustissimos coetus celebraret, quos nominasse jam laudasse est; sanctas videlicet et oecumenicas Synodos, quarum supremam in rebus fidei ac morum authoritatem tam Oriens quam Occidens venerabundus semper agnovit.

Praeter istos *oecumenicos*, in quibus *totius* a Christo instituti magisterii *infallibiles* resonabant voces, pariter antiquissimo jam aevo *particulares* quoque reperimus sacros Conventus, in quibus singularum regionum vel dioecesium Antistites de salute gregis sibi commissi consultabant; donec Nicaena Synodus hunc saluberrimum usum *decreto* munivit, ut nimirum *duo quotannis* in quaque provincia celebrentur Concilia. Novimus innumerabiles deinceps sanctiones fuisse constitutas, ac promulgata tum Summorum Pontificum tum Conciliorum decreta, de retinenda aut certe repetenda hac Synodorum consuetudine.

Si quis autem quaerat, cur a primis inde temporibus tam *frequenter* sint convocata Concilia, et cur Ecclesia, ne in desuetudinem abiret usus iste, *tanto studio* contenderit, respondemus: Concilia *antiquitate* non solum sed et *utilitate* esse conspicua, eaque irrigui fontis ad instar, totum Ecclesiae organismum emolumento fecundare et vigore salutari replere.

Ipsi etenim sacri Canones et acta Synodorum vociferantur, quanta ex iis semper exundet *utilitas*. Converte oculos ad Concilia, quae ad hoc usque tempus habita sunt: eorum alia orthodoxae fidei dogmata enuclearunt, eidemque oppositos errores damnarunt; alia haereticos in communis Christifidelium Matris *sinum*, aut schismaticos in *unitatis centrum*, a quo se ipsi sejunxerant, restituendos sibi proposuere. In *id* alia incubuere, ut Cleri populique christiani mores in antiquum splendorem reflorescerent. Omnia tandem et singula eodem spiritu, eo videlicet veritatis ordinis Dei gloriae animarumque salutis zelo animata, ubique locorum, nullo non tempore desudavere: ut lites componerent, abusus tollerent, scandala et vitia evellerent, virtutes sererent; superque imperii daemonis ejusque errorum exitio, *Christi Domini* Ejusque veritatis imperium propagarent firmarentque. — Quapropter summo jure Concilia ceu nervi corporis Ecclesiae, fidei fundamentum, salutis publicae basis et fulcrum, ejusdemque hostium terror, nunquam non sunt spectata.

Verum, quo salubriores fructus e Conciliis rite celebratis in rempublicam christianam redundant, eo *graviora* ex eorum neglectu *damna* exsurgunt.

Inde jam sanctus Moguntinae Ecclesiae Archiepiscopus Bonifacius, in epistola ad Zachariam Papam conqueritur, non alio magis ex capite profectam esse in Germania devastationem Ecclesiae, sive in spiritualibus sive in temporalibus, quam ex Conciliorum cessatione.

Inde, ceu alter Jeremias, celeberrimus Mediolanensium Praesul, sanctus Carolus Borromaeus, temporis sui morbos deplorabat, et ob oculos proponi jubet probaticam illam piscinam, atque in ea multitudinem languentium, coecorum, claudorum, exspectantium motum aquae, agitandae nimirum synodali consultatione et pastorali officio.

Verumtamen quum tanta sint Synodorum commoda, talisque eis competat auctoritas: in votis omnium Vestrum censemus, imo *necessarium* existimamus, ut antiquissimum hoc ac saluberrimum institutum instauretur.

Hoc quippe Ecclesia jubet mandatis tam urgentibus, ut reluctari eis possit nemo, nisi qui Ecclesiae ipsius refragetur bono, cui Concilia serviunt.

Ad hoc pulcherrime incitamur *exemplo* Episcoporum Germaniae, Galliae, Americae aliarumque orbis catholici regionum, qui igne zeli apostolici succensi, in Domino convenire jamjam coeperunt.

Hoc *aevum nostrum* calamitatibus plenum, ejusque gravissimae indigentiae exoptant, imo strictissime postulant. Quam tristis etenim sit et rei catholicae inimica atque acerba temporum nostrorum conditio, Vos ipsi quotidie Nobiscum experimini. Tempora proh dolor! dicimus *nostra*, quibus ingemiscere cogimur, esse foris pugnas, intus timores et pressuras; tempora, quibus irreligiositas, hujusque indivulsa comes *corruptio et dissolutio* morum, non modo *praealtas* procerum *aedes* perrumpere, verum *ipsas* etiam infimas turbae *casas* inficere nefando ausu contendit.

Jubet denique *vox* Sanctissimi Domini Nostri ac Summi in Ecclesia Pastoris Pii, qui ab ipso Pontificatus sui exordio, Concilia ceu firmissima disciplinae ecclesiasticae fulcra, iterum iterumque commendat. — Atque utinam paternae Ipsius sollicitudini tanto uberiores laborum nostrorum synodalium fructus, praeclaras scilicet salutaresque hujus Concilii actiones deferre possimus, quanto *majori* temporis *intervallo* avitam Synodorum praxim etiam *apud nos* interruptam fuisse, justissimo dolore lugemus.

Sane olim beatissimae memoriae Arnestus, primus hujus Sedis Archiepiscopus, quasdam *Constitutiones provinciales* edidit, quae hodiedum superstites, memoriam sempiternam merentur; tum quod dignae sint tanto Archipraesule sub glorioso Principe Carolo IV. pronunciatae, et avitae religionis studium, sanctitatem et felicitaem vehementer commendent, posterisque ob oculos ponant; tum, quod *fundamentum* quasi praebeant et *lumen* celeberrimae *Synodo Archidioecesanae*, quam, deposito illo diuturnae viduitatis squalore, ac restitutis Ecclesiae Pragensi legitimis pastoribus, felicis recordationis *Zbigneus*, Archiepiscopus, solemniter peregit, ubi praeter multa praeclare, dilucide ac breviter statuta id quoque districte mandatur, ut *Synodi Tridentinae* non multo ante celebratae *decreta veneranda*, fidelitur serventur.

Haec itaque ultima Synodus est, a Majoribus nostris peracta; nam posthac inter varias turbas motusque Bohemi vivebant, quibus tam diu impedita sunt et prorsus antiquata Concilia provincialia, et Synodi dioecesanae neglectae, donec gloriosus Deus, qui facit mirabilia magna solus, suae munificentiae sinum Nobis aperuit, Nosque tandem, quo totis animi Nostri viribus contendebamus Ipsius adjuvante misericordia his ipsis faustissimis diebus pervenimus, videlicet Synodum nostram in celeberrimo hoc S. Wenceslai sacello prima Sessione publica aperientes.

Aggrediamur igitur actiones nostras conciliares, et ad piam hanc muneris nostri curam Patres Reverendissimi ac Filii carissimi! *toto pectore* incumbamus, hoc enim *singuli* uniuscujusque nostrum *greges* requirunt, hoc *tota provincia re* magis, quam *voce* deposcit!

Hoc vehementer exoptat *Beatissimus Pater*, cujus piissima erga nos sensa, hesterna die non sine commotione mentis excepimus; qui tanquam *Aaron noster* manus ad coelum pro nobis levat, ut Ipsius benedictione armatus, vincat Israel noster!

Hoc denique flagitat *Christus Jesus*, ut constet sibi ratio officii nostri erga oves, quas pretio Sanguinis suis redemptas, nostrae fidei prudentiaeque commendavit et concredidit; cujus gratia contendamus, ut populum nobis commissum purgemus, illustremus et perficiamus, atque tandem in coelestia tabernacula introducamus! Amen.

3) Allocutio in ultima Sessione publica.

Reverendissimi Patres!

Filii dilectissimi!

Sacris Concilii nostri laboribus *coronidem* imposituri, *ultima vice hanc* ecclesiam ingressi sumus; ut priusquam in osculo pacis ab invicem divellamur, *respiciamus ad praeteritum, et prospiciamus ad futurum.*

1. *Quoad praeteritum* exaltare oportet voces nostras, et jubilante animo *gratias agere Domino Deo nostro*, qui hanc *primam* Synodi actionem *inchoare* feliciter, et admirabili sua providentia *terminare* concessit.

Magnificate igitur, Patres Reverendissimi! magnificate Dominum mecum; vere enim in Synodo hac fecit nobis magna, qui potens est et nomen sanctum Ejus.

Dei auxilio terminatae sunt synodales consultationes nostrae; acta sunt omnia *eo decore*, eaque majestate, eo tandem animarum consensu, quem *tanti Conventus*, *uno* animati *spiritu*, dignitas utique exigebat.

Quapropter post Deum, a quo omnis sufficientia nostra est, *Vobis Reverendissimi Patres, Vobisque Fratres carissimi!* ex toto corde grates et gratias ago, litoque intimas!

Debet profecto *perennes* tota provinciae Ecclesia laudes Vobis Reverendissimi Praesules! pro sincera et constanti et sancta paternaque teneritudine, quam in hoc pastorali negotio *verae ac aeternae* ipsius felicitati et saluti impendistis. Hanc etenim, etsi tacito silentio venerari velim, conatus, studia, labores Vestri *abunde* loquuntur; imo, hunc *zelum* Vestrum insignem, hanc *exquisitam* sollicitudinem, *tempora futura* narrabunt, hanc *fasti synodales* loquentur, et *posteritas* in annalibus hujus Pragensis Ecclesiae *admirabunda* grataque mente suscipiet.

Non minus *Vobis etiam* gratias agere et gratulari *optimo jure* debemus, *Venerabiles Fratres ac Filii!*

Quatuordecim dies a primo nostro Conventu effluxerunt, et si post *tam*

breve temporis *spatium*, materiae synodalis, quam pertractastis, *multitudinem et magnitudinem* spectemus: omnia haec *prudentissimam* Vestram mentem *facunde* testantur *summis* dignam encomiis!

Sane ego, *tanto gratiori* affectu et dulciori memoria Vestri laboris *semper* recordabor, quanto *majori* laetitia Vestro consortio per tempus sacrae hujus Synodi *perfrui*, Vestram religionem, doctrinam, Vestramque in commune Ecclesiae bonum, *infatigabilem* operam spectare ac *venerari* me potuisse, inter *felicissimos* vitae meae dies reputabo.

2. Verum tamen vero si diligentiam non minus, atque prudentiam in *exarandis* decretis synodalibus praestitimus, fidem quoque et constantiam in *exequendis* servemus oportet, ut *ipsi* prius *faciamus*, quae docemus, sicque absolutos bonorum pastorum numeros adimplentes, oves *nobis* conformando, Pastorum *prototypo* conformemus *Jesu Christo!*

Hinc pastoralis officii cura prae caeteris *me ac Vos*, Reverendissimi Patres! admonet, et sacrorum Canonum decreta exigunt, ut, quae in hoc Conventu, juvante Spiritu Sancto, pro nostro gregisque Dominici bono, *verbis* sancita, *scriptaque* lege exarata sunt; ea nos, ad suas singuli Ecclesias angelo comite reduces, *fidelium cordibus* inaremus.

Cum autem *nulla* alia ad hunc finem assequendum rectior sit via, quam frequens *Synodi dioecesanae* celebratio; nihil nobis in futurum poterit esse *gravius*, nil *sanctius*, quam ut citissime opportuneque ex praescripto ab Ecclesia more, dioecesanas congregemus *Synodos*, et, Deo adjutore, *omnia et singula*, quae in hoc provinciali Concilio statuta, decreta et *ordinata* sunt, iis, quorum interest, *rite et legitime* annuntiemus, *stricteque* servanda ac *exequenda* promulgemus.

Quid enim prodesset Synodum provincialem adunare et in Concilio congregari, si quod *sanctionibus saluberrime* statutum est, *opere* non compleremus.

Quid quaeso, *celeberrimae* Synodi Pragensis ultimae *Constitutiones*, quoniam nimirum ob temporum iniquitatem, ad *effectum* deduci nequivere, quid inquam ad rem ecclesiasticam promovendam, in cujus quippe gratiam conditae erant et sancitae, *utilitatis* attulere? Constitutiones dicimus praeclaras, in quibus *nihil* fuit a Majoribus nostris *omissum*, quod cum ad recte *credendum* tum ad sancte *vivendum* pertineret. Leges profecto etsi *optimae*, *muta* tamen res sunt; ut igitur *loquantur et moveant*, ut *persuadeant et convincant*, *vita* animandae, praxi *exercendae* sunt; haud secus ac cibus saluberrimus, sapide compositus sciteque paratus, ut corpus vegetet, *sumendus* utique est et per *omnes venas* diffundendus.

Vocate igitur, Patres Reverendissimi! vocate, tanquam Josue, omnem Israel, diciteque Clero et populo: „*Estote solliciti, ut custodiatis cuncta, quae scripta sunt in volumine legis istius.*“ Monete, qui estis *Protectores* salvationum Christi, majores natu de Ecclesiis Vestris, monete genus electum, regale sacerdotium, et ad eloquia nostra synodalia, *corda* eorum erigite!

Sed fiet illud, ut spero, *a Vobis*, fietque *a me*; attamen priusquam et quo *majori fructu* a nobis fiat, ante omnia memores obedientiae, reverentiae et submissionis, quam erga Sanctam Romanam Ecclesiam, omnium Ecclesiarum optimam *matrem* et tutissimam *magistram* merito debemus, has easdem Constitutiones nostras, Sanctissimo Salvatoris Jesu Christi in terris Vicario, humiliter subjiciemus, ut Sedis Apostolicae judicio corrigantur, Ejusque Auctoritate fulciantur.

Hac summi in Ecclesia Patris ac Pastoris auctoritate firmata, sancte saluberiterque Concilii decreta redundent in greges nostros, ut frondeant in gratiam dentque odorem suavitatis coram Deo et hominibus; ut videant omnes opera eorum bona, glorificentque Patrem nostrum, qui in coelis est.

Hoc tandem ultimum est ac unicum votum meum, quo etiam Vos omnes amplector, qui hunc coetum synodalem *labore juvistis* et praesentia ornastis, quodque Vobis, jamjam discessuris ceu ultimum „*Vale*" defero et acclamo, „ut videatis bona Jerusalem et accipiatis *coronam* laborum *immarcescibilem* ab aeterno Pastore ac Domino Nostro Jesu Christo, qui est super omnia Deus benedictus, et cui sit omnis honor et gloria et imperium in omnia saeculorum saecula, Amen.

4) Acclamationes

in ultima Concilii Sessione publica factae.

Accl. Sacrosanctae et individuae *Trinitati*, crucifixi Domini nostri *Jesu Christi* Humanitati, beatissimae et gloriosissimae, semperque *Virginis Mariae* fecundae integritati, coelestium *Patronorum* nostrorum Cyrilli, Methodii, Viti, Wenceslai, Adalberti, Sigismundi, Joannis Nepomuceni, Procopii, Cosmae et Damiani, Benedicti cum fratribus, Norberti, Josephi atque Ludmilae, et omnium *Sanctorum* universitati sit sempiterna laus, honor, virtus et gloria per infinita saecula saeculorum!

Resp. *Sempiterna laus, honor, virtus et gloria ab omni creatura, nobisque remissio omnium peccatorum, per infinita saecula saeculorum!*

Accl. Beatissimo Patri et Domino nostro *Pio Papae Nono*, Jesu Christi in terris Vicario, legitimo beati Apostolorum Principis successori et sanctae universalis Ecclesiae Pontifici piissima Urbis et Orbis obedientia, felix de Cruce Crucis victoria, multi anni et aeterna memoria!

Resp. *Obedientia, victoria, multi anni et aeterna memoria! Dominus conservet Eum et vivificet Eum et beatum faciat Eum in terra, et non tradat Eum in manus inimicorum Ejus. Esto Ei, Domine, turris fortitudinis a facie inimici. Mitte Ei auxilium de sancto, et de Sion tuere Eum!*

Accl. Augustissimo Imperatori et Regi nostro *Francisco Josepho,* pio Ecclesiae catholicae Filio et Advocato meritissimo, Principi apostolico, provide sollicito, ut fides, pietas et omnis recti honestique vigor in Austriae Imperio conservetur et augescat, pax a Domino, diuturna incolumitas, memoria in benedictione!

Resp. *Pax a Domino, diuturna incolumitas, memoria in benedictione! Salvum fac Domine Imperatorem ac Regem nostrum, et ab omnibus tuere adversis: quatenus et ecclesiasticae pacis obtineat tranquillitatem, et post hujus temporis decursum ad aeternam perveniat haereditatem!*

Accl. Eminentissimo Ecclesiae Pragensis Archiepiscopo et provinciae Metropolitae *Friderico,* S. R. E. Cardinali, solertissimo Antistiti, fideli Pastori, pii *Arnesti* Successori providissimo, primi post saecula provincialis hujus Concilii Auctori et Rectori, quem ordinis et regiminis *synodalis* in hac provincia Restitutorem grata corda praedicant et praedicabunt in aevum, gaudium in pace, prosperitas ad multos annos, cum multis annis magnae gratiae, grati greges, grata posteritas! —

Resp. *Gaudium cum pace, prosperitas ad multos annos, cum multis annis magnae gratiae, grati greges, grata posteritas! Propitiare Domine, supplicationibus nostris, et inclinato super Fridericum Metropolitam nostrum cornu gratiae sacerdotalis, benedictionis Tuae in Eum effunde virtutem!*

Accl. Reverendissimis Episcopis, Synodi hujus Patribus, pietatis et laboris merces copiosa, felix ad greges reditus, et aeterna gaudia Pastorum! —

Resp. *Merces copiosa, felix ad greges reditus, et aeterna gaudia Pastorum! Da eis, quaesumus Domine, verbo et exemplo, quibus praesunt proficere: ut ad vitam una cum gregibus sibi concreditis perveniant sempiternam!*

Accl. Omnibus et singulis hic praesentibus viris ecclesiasticis, venerabilibus et providis Patrum cooperatoribus salus, benedictio et retributio a Domino! —

Metropolita solus respondet, dicens:

Benedictio Dei omnipotentis, Patris et Filii et Spiritus sancti descendat super vos, ut sitis benedicti in ordine sacerdotali, et fructum habeatis, et fructus vester maneat in aeternum!

Omnes respondent: Amen.

Accl. Venerabili Clero hujus civitatis et totius provinciae messis multa, felix et fausta, et ipse Deus merces magna nimis!

Resp. *Messis multa, felix et fausta, et ipse Deus merces magna nimis!* —

Metropolita et Patres prosequuntur, alta voce dicentes:

Praetende, quaesumus Domine, super famulos tuos, quos nobis Ordinis nostri dedisti cooperatores, Spiritum gratiae salutaris; et ut in veritate Tibi

complaceant, perpetuum eis rorem benedictionis Tuae infunde. Per Christum Dominum nostrum! —

Omnes respondent: Amen.

Accl. Dilecto civitatis hujus et totius provinciae populo fideli salus, pax et gaudium in Spiritu sancto! —

Resp. *Salus, pax et gaudium in Spiritu sancto!* —

Metropolita et Patres prosequuntur, alta voce dicentes:

Salvum fac populum tuum, et benedic haereditati Tuae!

Accl. Cunctis denique nostrae congregationis fratribus, propinquis et benefactoribus, qui ex hoc saeculo transierunt, et omnibus fidelibus defunctis lux perpetua et requies aeterna!

Resp. *Requiem aeternam dona eis Domine, et lux perpetua luceat eis!* —

III.

ACTA SUBSECUTA.

1) Relatio ad Sedem Apostolicam de celebrato Concilio.

Beatissime Pater!

Vix ullum unquam novimus cordis nostri tam ardens desiderium et pastoralis officii nostri votum, continuis Deo precibus commendatum, quam ut Illo Ipso largiente interruptam temporis injuria salutarem Synodorum praxim instaurare in hac provincia faustissime nobis contingeret. Cui voto, acceptis Vestrae Sanctitatis Literis die 17. Martii 1856 ad congregatos Viennae Antistites Imperii Austriaci datis, novum accessit debitae pietatis desiderium, ut videlicet Apostolicae exhortationi fidelissime obtemperaturi, celebrando quantocius Concilio provinciali Beatissimum Patrem et supremum totius Ecclesiae Pastorem tot tantisque praeter omnium ecclesiarum sollicitudinem Deo permittente injuriis saeculi pressum quodammodo solaremur.

Propositam anno 1859 hujusmodi Concilii celebrationem supervenientis eodem anno, prout infra scriptus provinciae Metropolita Beatitudini Vestrae devotissimis literis die 1. Augusti 1860 moerens retulit, belli calamitates et seditionum pericula praepedierunt, quae quum et Clerum et populum Imperii Austriaci funestissimis auspiciis exagitaverint, prorogationem actionis synodalis suadere videbantur.

Tanto majori cordis exultatione diu desideratam, et publico indictionis Edicto legitime convocatam provinciae hujus Synodum Festo Ss. Nominis Mariae, die scilicet 9. Septembris 1860, pie plaudente Clero et fideli populo in nomine Domini aperuimus, eidemque divino confortati auxilio, cujus auspicem laetabundi accepimus Beatitudinis Vestrae Apostolicam Benedictionem et Indulgentiarum donum, faventissimis Literis de die 24. Augusti 1860 renuntiatum Dominica XVII. post Pentecosten, quae incidit in diem 23. Septembris 1860, concordissimis vocibus Deo gratias agentes faustum, ut pie confidimus, finem imposuimus.

Unus tantummodo absolutis feliciter praefatae Synodi actionibus dolor nobis accrevit; quippe qui, dum omnes vehementer optavimus et sperabamus fore ut Concilii hujus Decreta et Acta sive per ipsum provinciae Metropolitam, sive per alium Episcopum comprovincialem ad sacratum Beatitudinis Vestrae Solium deferri possint, exoptatam tamen acquirendi hujusmodi solaminis occasionem frustra hucusque praestolati sumus. Quum jam tum pastoralis muneris nostri vigiliis, tum irrequieta per orbem vicissitudine rerum continuo detineamur adeo, ut nemo nostrum impraesentiarum habiti Concilii nuntius limina Apostolorum visitare queat: humillimam de rebus actis, quam sacri Canones et ipsa corda nostra postulant, relationem diutius differre haud possumus.

Quapropter ea, qua decet religione et reverentia Concilii hujus provincialis Acta et Decreta ad sanctam Beati Petri Cathedram deponimus, Sanctitatem Vestram profundissima pietate precantes, ut quae ad majorem Dei gloriam et instaurandam ecclesiastici ordinis in hac provincia disciplinam communi oratione et operatione in nomine Domini decernenda statuimus, recognoscere et examinare, quae pro fragilitate humana minus recte condidimus, corrigere et castigare, quae vero ad augendum Dei honorem apta et gregibus nobis concreditis proficua videbuntur, Auctoritate Apostolica probare, et ut probata publicari queant, licentiam benevole conferre dignetur.

Restat, ut ad beatos Sanctitatis Vestrae pedes provoluti Benedictione Apostolica donari mereamur, quam pro nobis ipsis et pro hujus provinciae Clero et populo enixis humilitatis precibus efflagitamus.

Pragae Festo s. Adalberti Ep. M.
et Regni Bohemiae Patroni
die 23. Aprilis 1861.

Sanctitatis Vestrae

humillimus, devotissimus, obedientissimus

Fridericus Cardinalis Schwarzenberg,
Archiepiscopus metropolitanae Ecclesiae Pragensis.

2) Literae S. D. N. Pii PP. IX. de recognitis Concilii Actis et Decretis.

Dilecto Filio Nostro Friderico S. R. E. Presbytero Cardinali Schwarzenberg, Archiepiscopo Pragensi.

PIUS PP. IX.

Dilecte Fili Noster, Salutem et Apostolicam Benedictionem. Summa quidem consolatione affecti fuimus, ubi primum novimus, Te, Dilecte Fili Noster, pro eximia Tua pietate et episcopali sollicitudine salutare suscepisse consilium convocandi provincialem Synodum jamdiu in Pragensi provincia tristissimis rerum vicibus intermissam. Neque minorem experti sumus jucunditatem, cum ejusdem Synodi acta supremo Nostro, et hujus Sanctae Sedis judicio subjicienda curasti. Nos quidem, nulla interposita mora, Nostrae Congregationi Concilii Tridentini decretis tuendis interpretandisque praepositae commisimus, ut ejusdem Synodi acta ex more accurate perpenderet, ac deinde omnia sedulo ad Nos referret, et congruum Tibi responsum daret. Nobis vero temperare non possumus, quin meritas Tibi, Dilecte Fili Noster, ac Venerabilibus Fratribus Episcopis Tuis Suffraganeis deferamus laudes, et ex animo vehementer gratulemur. Namque novimus, a Te et ab eisdem Venerabilibus Fratribus in hac provinciali Synodo habenda omnem concordissimis animis operam, industriam ac diligentiam adhibitam fuisse in iis ineundis consiliis, quae hisce praesertim luctuosissimis temporibus ad catholicae Ecclesiae et hujus Apostolicae Sedis causam, doctrinam ac jura tuenda et propugnanda, ad populorum mores formandos, honestatem fovendam, pietatemque augendam, atque ad rectam Cleri institutionem, ac sanctitatem procurandam, ejusque pro animarum salute zelum excitandum, atque ad tot perniciosissimos hujus infelicissimae nostrae praesertim aetatis errores propulsandos possint conducere. Persuasissimum autem Nobis, Te, Dilecte Fili Noster, eosdemque Venerabiles Fratres divino innixos auxilio ea omnia majori usque alacritate, vigilantia et studio semper esse praestituros, quae ad majorem Dei gloriam et animarum salutem curandam quovis modo possunt pertinere. Nihil vero dubitamus, quin a Te eisdemque Venerabilibus Fratribus ferventissimae Deo Optimo Maximo sine intermissione adhibeantur preces, ut exurgat, et judicet causam suam, ac praesentissimo suo auxilio adsit Nobis, adsit Ecclesiae suae, omnesque Ecclesiae et hujus Apostolicae Sedis hostes humiliet, eosque de iniquitatis via ad justitiae salutisque tramitem reducat. Nos interim haud omittimus ipsum clementissimum bonorum omnium largitorem Deum humiliter, enixeque orare et obsecrare, ut uberrima quaeque divinae suae gratiae dona super Te et commemoratos Venerabiles Fratres propitius continenter effundat, quae in dilectas quoque oves Tibi et illis commissas copiose descendant. Atque horum auspicem, et praecipuae, qua Te complectimur, benevolentiae pignus Apostolicam Benedictionem ex intimo corde profectam Tibi

ipsi, Dilecte Fili Noster, et eisdem Venerabilibus Fratribus Episcopis istius ecclesiasticae Pragensis provinciae, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus Tuae et illorum curae concreditis peramanter impertimus.

Datum Romae apud S. Petrum die 7. Augusti Anno 1862. Pontificatus Nostri anno decimo septimo.

Pius PP. IX.

3) Literae Eminentissimi Cardinalis Caterini S. C. C. Praefecti de eodem argumento.

Eminentissime ac Reverendissime Domine Observandissime!

Inter multiplices et assiduas negotiorum ecclesiasticorum curas, quibus haec S. Congregatio Tridentini juris interpres ac vindex indesinenter distringitur, nihil gratius eidem accidere solet, quam actorum decretorumque recognitio, quae in Synodorum provincialium celebratione promulgantur, probe sciens, veluti praeclare ajebat S. M. Alexander VII. Const. 20 §. 8: „*Nihil frequenti Synodorum celebratione populorum saluti, ac veteri disciplinae constituendae accomodatius est, eisque intermissis, magna in moribus continuo ad omnem improbitatem ac peccandi libidinem facta fuit immutatio.*“

Porro cum Sanctissimus Dominus Noster Conciliorum provincialium redintegrationem, veluti medendis hujus aevi malis optimum remedium, sapientissime commendaverit, ac Tu, Eminentissime Domine, hujusmodi voci libenter obsecutus nedum anno 1860 Suffraganeos tuos in synodalem conventum Pragae congregaveris, sed etiam illius acta et decreta expendenda ad Sanctam Sedem ex Sixtina lege detuleris, per Te conjicere potes, quanta delectatione affeceris ipsum Sanctissimum Dominum Nostrum, cui hac de re speciatim facta est relatio, nec non Eminentissimos Patres S. hujusce Congregationis, cujus ipse praeclara pars es, et quam egregia vicissim gratulationum testimonia per me Tibi perhiberi merueris. Et sane si ea respiciantur, quae ab Eminentia Tua tuisque Suffraganeis in Concilio provinciali constituta sunt, auctior ampliorque laudum tuarum cumulus efficitur; illa siquidem decreta opportuna et efficacia visa sunt *pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis*, qui juxta Concilii Tridentini Sess. XXIV. cap. 2. de Ref. verba finis est hujusmodi conventuum.

Etenim merito sperandum est illud fore, ut in posterum, novis illis legibus istic in usum deductis, in primis qui vasa Domini ferunt, utique mundentur, et qui ad spem Ecclesiae subcrescunt, tamquam lignum futuri sint, quod plantatum est secus decursum aquarum, quod fructum suum dabit tempore suo. Subinde fidei semen in puerorum animis mature ac diligenter insitum, et solerti assiduaque cura in adultis excultum uberrimas justitiae fruges sine dubio progignet. Deo sanctisque coelitibus debitus cultus exhibebitur, unde major, quae debetur Deo, gloria, majus populo Vestro e coelo praesidium derivabit. Sacramenta insuper juxta ritus ac caeremonias ab Ecclesia approbatas administrata potiori

usque adjumento erunt ad gratiam accipiendam, acceptam confirmandam, ac perditam recuperandam. Aedibus Deo sacris provide consultum erit, refectionibus apte ac in tempore susceptis, sacra supellectile provisa, et omnibus aliis necessitatibus reparatis. Sacra hierarchia, admirabili sapientia ordinata et distincta, rectum sanctumque rei christianae regimen ita servabit atque custodiet, ut eadem coelestem hierarchiam, quantum rebus licet humanis, imitari quodammodo videatur. Ordo Regularium, unde tam ingens in Ecclesia Dei splendor ac utilitas dimanat, adjutricem Clero saeculari in procuranda animarum salute diligentiorem in dies navabit operam. Denique bona ecclesiastica, quae cultui divino fovendo et Ecclesiae ministris tuendis necessaria sunt, apprime respondeant. Horum profecto bonorum fructus merito sibi ex hac Vestra provinciali Synodo adpromittit Sanctissimus Dominus Noster et Sacra haec Congregatio; quam quidem spem ut promptius et uberius impleatis, illud restat, ut speratas hujusmodi utilitates in Vestras dioeceses effluere curetis indicta primo quoque tempore a Vobis singulis dioecesana Synodo, cui ex peracto provinciali Concilio planior et facilior strata cuique Vestrum est via. Ita enim Sanctissimi Domini Nostri auctoritati, ac Patrum Eminentissimorum voto cumulate satis per Vos factum pro certo habere poteritis.

Ceterum quae pauca Eminentissimi Patres animadvertenda censuerunt habebis ex pagella, quam una cum hisce literis accipies.

Haec habui nomine Sacrae Congregationis; ego vero singulatim impensos aestimationis et observantiae meae sensus ex animo testatos velim Eminentiae Tuae, cui manus humillime deosculor.

Romae 12. Augusti 1862.

Eminentiae Tuae

humillimus et addictissimus famulus
Prosperus Cardinalis Caterini Praefectus.
Petrus Archiepiscopus Sardianus Pro-Secretarius.

Eminentissimo Cardinali Archiepiscopo Pragensi.

4) Promulgatio Decretorum Concilii.

FRIDERICUS

S. R. E. TITULI S. AUGUSTINI

PRESBYTER CARDINALIS SCHWARZENBERG,

DEI ET SEDIS APOSTOLICAE GRATIA

METROPOLITANAE ECCLESIAE PRAGENSIS ARCHIEPISCOPUS ET PRINCEPS.

Reverendissimis Fratribus Episcopis comprovincialibus, atque totius provinciae Clero et Christifidelibus

Salutem in Domino!

Injunctum metropolitici regiminis Nostri officium postulat omnino, ut in cunctis, quae ad majorem Dei gloriam et provincialis Ecclesiae Nostrae utilitatem sacris innixi Canonibus perficienda in Domino decrevimus, sanctae Romanae Ecclesiae, omnium Ecclesiarum Matri, et legitimo Principis Apostolorum haeredi, omnium fidelium in orbe terrarum Patri, salvifico fidei et obedientiae vinculo Nos testemur adunatos.

Hinc quum Deo auxiliante Synodum provincialem anno ab Incarnatione Domini millesimo octingentesimo sexagesimo cum maxima cordis consolatione celebrasse Nobis contigerit: laetabundi ad Petri, quam Pius haereditavit, Cathedram confugimus, humillime precantes, ut Concilii istius Acta et Decreta, quae supremo Sanctae Sedis arbitrio probanda subjecimus, Beatissimus Pater recognoscere, et recognita supernis Apostolicae benedictionis fluentis irrigare dignaretur.

Utriusque hujus voti compotes facti, praefati Concilii Decreta a Sancta Sede recognita, et prout in authentico exemplo, reposito in Archivo Curiae Nostrae exhibentur, typis evulgata, metropolitici muneris Nostri auctoritate praesentibus literis per universam provinciam promulgamus et in nomine Domini promulgata renuntiamus.

Unica Nos novum vitae spiritualis fontem aperientes timoris subit cogitatio, ne scilicet, quae ad fidem amplificandam, ad pietatem fovendam, ad Cleri populique salutem augendam condita sunt, ullius culpa frustrentur, adeoque illa ipsa, in quibus a Domino potius remunerari desideramus, incuriae reatum et damnationis periculum provocasse videantur.

Rogamus itaque Reverendissimos Fratres Coëpiscopos, ut exsequendis Decretis, quae Nobiscum votis concordissimis sancierunt, assidua sollicitudine intenti, uberrimos communis orationis et laboris fructus colligere mereantur.

Monemus in Domino venerabilem Clerum, obsecramus sacerdotes Domini, ut tamquam providi cooperatores episcopalis Ordinis nostri Antistitum suorum depositum pie custodiant, et fidelissima Decretorum synodalium observantia praelucentes tum propriae sanctificationis augmentum, tum reflorescentis agri Dominici solamen ac meritum acquirere connitantur.

Commonemus tandem et obtestamur dilectissimos Christifideles per charitatem Dei, ut quod Synodi Patres gregibus sibi commissis suggerunt ad salutem, grati docilesque accipiant non ut verbum hominum, sed sicut ministrorum Dei.

Quae omnia ut ex communi voto fauste eveniant: pias totius Ecclesiae Nostrae preces requirimus ad efflagitandum divinum adjutorium, cujus firmissimum pignus habemus benedictionem Apostolicam, quam Sanctissimus Pater ac Dominus Noster Pius Papa IX. gratiosissimis Literis die 7. Augusti 1862 Nobis ipsis, Reverendissimis Fratribus Episcopis cunctisque Clericis Laicisque fidelibus ecclesiasticae nostrae provinciae peramanter impertiri dignatus est.

Datum Pragae in festo Ss. Cyrilli et Methodii CC. PP. et Patronorum Bohemiae, quae est dies nona Martii, anni a Nativitate Domini nostri Jesu Christi millesimi octingentesimi sexagesimi tertii.

Fridericus Cardinalis Schwarzenberg,
Archiepiscopus Pragensis et Metropolita.

DECRETA CONCILII
A SANCTA SEDE RECOGNITA.

TITULUS I.
DE SACERDOTIO.

CAPUT I.
De dignitate Ordinis sacerdotalis.

Inter praeclarissima providentiae et miserationis divinae pignora, quibus Ecclesia catholica pie gloriatur, Novae Legis Sacerdotium eminet, sacrato Levitarum ordine a saeculis praemonstratum et flagrantissimo charitatis affectu in Coena Domini sollennissime institutum.

Cujus Ordinis et ministerii quanta sit dignitas et excellentia, tum ex eo patet, quod fidei christianae, quae omnium bonorum fundamentum est, praedicandae et conservandae officium Sacerdotio concreditum fuit, tum quod caetera Sacramenta sine illo partim confici et administrari nullo modo queunt, partim solemni caeremonia et religioso quodam cultu carere videntur.[1] Quaecumque enim labile genus humanum Dei miserantis munera poposcerit, sacratissimo Jesu Christi Sacrificio promerita et impetranda: collata sacerdotibus potestate, videlicet Hostiam offerendi et remittendi peccata, copiose suppeditantur; quae bina potestas humanam rationem et intelligentiam ita excedit, ut sacerdotali dignitate par aliquid seu simile in terris inveniri nequeat.[2]

Inde divinae hujus dignationis quapiam velut profusione

---

[1]) Cat. Rom. p. 2. cap. 7. quaest. 1. [2]) Cat. Rom. loco cit. quaest. 2.

abrepti, dum Patres antiqui hanc miram Dei dispositionem et praeclaram sacerdotum sortem considerarent: sacratum Presbyterii Ordinem summum Dei et Spiritus sancti munus, miraculum stupendum, ornamentorum maximum, et optabilium in terris veluti apicem et metam extremam laudare, atque dignitatem Sacerdotii immensam ac infinitam, admirabilem et prorsus divinam praedicare minime veriti sunt. [3]

„Sacerdotium, ore facundo inquiunt, scutum est refulgens et incomparabile, turris firma, murus indivisibilis, fundamentum solidum a terra ad axem usque coeli pertingens.“ — „Super omnia celebria jactae sunt divinae in Ecclesia sortes sacerdotum, qui typum Domini in pluribus habentes, Christi possessio sunt, primogeniti Ecclesiae, in quibus flos ejus gratior et aetas perfectior; mysteriorum latentium praesules, qui invisibili quadam vi animam in melius transformatam gerunt, qui a Dominatore universae terrae receperunt supremum dominium, et a diebus saeculi non solum hominibus, imo et Angelicis spiritibus plane inauditum.“[4] Eos profecto — „unctos in Sacerdotium unctos in regnum, ipsis regibus praetulit Deus; potestas enim sacerdotibus credita non corpora, ut illa terrenorum principum, sed animam attingit. — Hos, quos Dei omnipotentis Angelos appellamus, ipsis praetulit Angelis; sicut enim non Angelos, sed semen Abrahae apprehendit ad faciendam redemtionem: sic non Angelis, sed hominibus, solisque sacerdotibus Dominici Corporis et Sanguinis commisit consecrationem.“ [5]

---

[3]) Confer: S. Ambros. de Spir. s. lib 1. cap. 8. num. 90. et de Pönit. lib. 1. cap. 1. num. 8 — S. Ephraem. de Sacerdotio. — Theophil. Comment. in Evang. s. Joannis cap. XX. — S. Gregor. M. Epist. lib. 5. epist. 40.

[4]) S. Ephraem. loc. cit. — Theophil. Comment. in Naum. cap. 3. — Pet. Bles.. Serm. 38. in Synodo. — S. Ambros. Exhort. Virginit. cap. 6. num. 41. — epist. ad Iren. num. 3. — consol. de obitu Valentinian. num. 7. — S. Greg. Nyss. in Baptism. Ch. — S. Bonavent. de eccles. hierarch. part. 2. cap. 1.

[5]) S. Ambros. de Sacram. lib. 4. cap. 1. — S. Chrysostom. de Sacerdotio lib. 3. cap. 4—6. S. Joann. Damasc. Parallelor. lib. 2. cap. 25. — Dionys. Areop. epist. 8. ad Demoph. Monach. et de hierarch. eccles. cap. 7. — Pet. Bles. serm. 46. in Synod. — S. Bernardi serm. past. in Synod. num. 1.

Cum autem tanta sit Ordinis sacerdotalis dignitas: eo meliora procul dubio Clericos decet aemulari charismata, quo melioris Testamenti sui eos elegit ministros ipse Dei Filius, Christus Dominus. „Noscamus quid simus, et quod professione sumus, actibus monstremus, ut nomen congruat actioni, actio respondeat nomini." 6)

Cujus dignitatis et sacrae suae professionis tanto certius sacerdotes Domini memores sint oportet, quanto fortius hodierni Ecclesiae inimici et divinae Sacerdotii missioni obluctantur et ex culpa sacerdotum vel levissima innumeras calumniandi causas lubentissime sibi confingunt.

Quae quum ita sint, cumque de ipso Novi Testamenti Mediatore et Sacerdote magno primum ac potissimum, quae coepit facere et docere in Evangeliis commemorentur, et quia idem pastorum princeps eum, qui fecerit et docuerit, magnum in regno coelorum praedixit: hinc et Patribus in unitate fidei congregatis, gravissimum praesentis Concilii negotium opitulante Deo sic expedire placuit, ut prae caeteris, quae congruam Ordini sacerdotali perfectionem concernunt, Clericis hujus provinciae aemulanda mandare et commendare sibi proponerent.

CAPUT II.

De catholica Clericorum fide et communione cum Ecclesia servanda.

Quemadmodum Patrum traditionibus inhaerentes primam hujus Synodi actionem ab unanimi fidei catholicae professione exordiendam duximus: sic pariter, quamcumque prae caeteris in sacerdotibus perfectionem requirimus, ex invicta et orthodoxa eorum fide metimur; quae prout salutis humanae initium, ita quoque sacerdotalis justitiae origo est, sine qua nullus unquam Deum promeruit, nullus fastigium perfectionis ascendit;

6) Auctor libri de dignit. sacerd. cap. 3. (in collect. Opp. s. Ambros.)

sine qua proinde in nobis nihil sanctum, nihil castum, nihil vivum et dignum, quod sacro nostro famulatu Deo praesentare valeamus.[1] —

Non ideo frustra sancivit Ecclesia, ut cum per eamdem fidem, quae coecos illuminat et justos augmentat, sacerdotes quoque consecrentur, Neopresbyteri in ipsa sacra Ordinatione fidei professionem emittant;[2] quo ritu sollenni indubie declaratur, quantopere deceat, ut ii potissimum et primi lumine fidei clarescant, per quos totus in orbe terrarum mundus ejusdem fidei ac religionis sumit exordium et incrementum. Provide quoque, etiamsi sacrum nostrum ministerium perpetuum sit fidei exercitium, devota Symboli Apostolorum recitatione divinum praesertim Officium et inchoare et terminare docemur, ut fidem esse primum et continuum perfectionis nostrae fulcrum, diu noctuque ruminemus.

Cujus divinae fidei praesidio et solamine nefastis praesertim hisce diebus indigemus, cum tantos ubique in orbe christiano effrenatae incredulitatis doleamus ausus protervos adversus Dominum et adversus Christum ejus, ut vix magis apertum fidelibus seductionis periculum minari possit.

Sancti per fidem fortes facti sunt in bello; per fidem vicerunt regna, operati sunt justitiam, adepti sunt repromissiones. Haec hodieque est victoria, quae vincit mundum, fides nostra, cui ex divina promissione nihil impossibile erit.[3]

Adjuramus itaque prae reliquis eos, quos ipse Dominus elegit milites suos, deditque nobis cooperatores Ordinis nostri, ut militent bonam militiam, habentes fidem; per omnem orationem et obsecrationem orantes omni tempore in spiritu pro invicem, ut nec ullius deficiat fides; vigilantes etiam in obsecratione pro omnibus sanctis, ne fors credentium vel ullus deficiente nostro fidei exemplo ac merito naufragium circa fidem patiatur. Tales potius simus, prout nos officium Subdia-

---

[1]) Confer: Conc. Trid. Sess. VI. c. 8. — S. Leon. Serm. 4. in Nat. D. ad fin.

[2]) Pontif. Rom. de Ord. Presb.

[3]) Hebr. 11. 33—34; 1. Joann. 5. 4; Matth. 17. 19.

conatus adepturos monuit Ecclesia, qui sacrificiis divinis et Ecclesiae Dei digne servire valeamus, „in vera et catholica fide fundati; quoniam, ut ait Apostolus, omne, quod non est ex fide, peccatum est, schismaticum est, et extra unitatem Ecclesiae est.“ [4])

Unitatis hujus studiosissimi, ut fidem, quam in baptismo suscepimus custodiendam, et Sacerdotio initiati praedicandam, ab omni cujuslibet erroris periculo et haereseos labe sartam tectamque servemus: vivam et vivificam communionem cum sancta Ecclesia catholica ore et opere profiteamur; quippe quae „plena est fulgore ab Oriente usque ad Occidentem, praedestinata columna et firmamentum veritatis, domicilium fidei, incorrupta casta et pudica fidelium mater et magistra, victrix omnis impiae haereticorum factionis, ipso coelo fortior. Domus Dei est, extra quam si quis comederit agnum, profanus est; templum Dei, a quo si quis exiverit, salutis aeternae alienus est. Quantum autem quisque amat Ecclesiam Christi: tantum habet Spiritum sanctum; ubi enim Ecclesia, ibi et Spiritus Dei.“ [5])

Hanc cum sanctis Patribus fidem profitenti haud sufficiet sacerdoti fido, ut quae ab Ecclesia damnantur ceu haeretica et falsa, schismatica et ordinis hierarchici subversiva, quaeve ceu temeraria, male sonantia et minus recta ex ejusdem Ecclesiae judicio improbantur, rejicere pariter et improbare non dubitet. Ut potius quibuscumque vel votis et piis Ecclesiae desideriis tenerrimo mentis obsequio satisfaciat, sanctae Matris movet auctoritas, fides jubet et urget charitas.

Quo rectius autem propter salutem et vocationem nostram intimam communionem cum Ecclesia Christi servare inten-

---

[4]) Pontif. Rom. de Ord. Subdiac.

[5]) Confer: Orig. Comm. in cap. 23. Matth. tract. 30. n. 17. — S. Aug. in Ps. 103. serm. 1. n. 17. — Lact. Instit. div. lib. 4. cap. 30. — S. Cypr. epist. 73. ad Jubai. — S. Iren. adv. haeres. lib. 3. cap. 4. num. 1. — S. Chrys. hom. ante exil. num. 1. — S. Hieronym. epist. 15. ad Damas. — S. Aug. tract. 32. in Joann. n. 8. — S. Iren. adv. haer. lib. 3. cap. 24. n. 1.

dimus: eo certius sine dubio constitutam ab eodem Domino Hierarchiam sacram piissime veneremur oportet.

Quoniam Primatum Petro datum credimus, „ut una Christi Ecclesia monstretur, et capite constituto schismatis tollatur occasio:“ [6]) rectissime cum s. Ambrosio profitemur, ibi esse Ecclesiam, ubi Petrus est. [7]) Soliditatem illius fidei, quae in Apostolorum Principe laudata est, divino annitente praesidio perpetuam esse novimus; et sicut permanet, quod in Christo Petrus credidit: ita permanet, quod in Petro Christus instituit. [8]) Hinc beatissimum Principis Apostolorum haeredem, Pontificem Romanum totius Ecclesiae Caput, summum Christi Vicarium, omnium fidelium in orbe terrarum Patrem, et Apostolicam Sedem Romanam omnium Ecclesiarum Matrem agnoscimus et reveremur.

Vetustissima hujus provinciae templa, nomine s. Clementis Romani Deo sacrata, gloriosi Martyris, quem ab ipso s. Petro ordinatum, ejusdem in Pontificatu mox successorem clarissimum veneramur, vivam a primordiis majorum nostrorum communionem cum Sancta Sede Romana in hodiernum enarrant. Quorum praeclaram fidei haereditatem sortiti, Petro nos per ejus successorem, Beatissimum Patrem Pium Nonum unitos profiteamur, cui debitam obedientiam, reverentiam et exactissimam subjectionem concordissimis votis spondeamus. Ad Petri, quam Pius haereditavit, Cathedram confugiamus, unde unitas sacerdotalis exorta est, quam per tot saecula docente Spiritu sancto nulla haeresis violavit, apud quam incorrupta Patrum servatur haereditas, ex qua proinde nostrum est quaerere, quid credendum, quid sentiendum et quid tenendum sit. Huic qui Cathedrae jungitur, noster est. [9])

Eadem autem orthodoxae fidei et communionis cum Ec-

---

[6]) Confer: S. Cypr. de unit. Ecc. — S. Hieronym. adv. Jovinian. lib. 1. n. 26. — [7]) Confer: S. Ambros. in Ps. 40. n. 30. [8]) Confer: S. Leon. serm. 2. cap. 2. [9]) Confer: S. Cypr. ep. 55. ad Cornel. — Leon. M. serm. 2. et 4. — S. Cyrill. Alex. Dial. de Trin. lib. 4. ad verba Petri: Tu es Christus. — S. Hieronym. epist. ad Damas. 15. num. 2. et 16. num. 2.

clesia ratio, quae nos et omnes undique fideles ad Sedem Apostolicam confluere jubet, non minus exigit, ut Clerici, populique christiani duces et pastores fidelissimae obedientiae merito illis quoque consocientur, quos salvo Petri super Apostolos Primatu „Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei.“ 10) „Hac certe mira varietate Ecclesia sancta circumdatur, ornatur et regitur, cum alii in ea Pontifices, alii minoris ordinis sacerdotes, Diaconi et Subdiaconi, diversorum ordinum viri consecrantur, et ex multis et alternae dignitatis membris unum Corpus Christi efficitur.“ 11)

Cujus in fide unitatis piissimus praeco s. Ignatius Martyr Spiritu sancto monente clamavit: „Omnes Episcopum sequimini, ut Jesus Christus Patrem. Sine Episcopo nemo quidquam faciat eorum, quae ad Ecclesiam spectant.“ Sicut enim decet, ut Episcopi per terminos terrae definiti in Jesu Christi sententia sint: ita ex ejusdem sancti Patris voto reliquos sacerdotes in Episcopi sententiam concurrere oportet, ut omnium Ecclesiarum in orbe catholico „Presbyterium memorabile sit, Deo dignum, ita coaptatum Episcopis, ut chordae citharae.“ 12)

Quo magis idcirco pretiosissimum fidei orthodoxae donum ac praemium in Clero et per Clerum in populo augeatur, et ex viva nostra communione cum una, sancta, Catholica et Apostolica Ecclesia robur nobis accrescat, nec non in die malo coelestis Paracliti solamen: sequentia in hac Synodo statuenda censuimus:

1. Sacrosancti Concilii Tridentini et Summorum Pontificum auctoritate mandamus, ut promoti ad Canonicatus et Dignitates in ecclesiis cathedralibus ad minus intra duos menses a die adeptae possessionis non solum in Capitulo, sed etiam coram ordinario Episcopo, vel eo impedito coram ejus Vicario Generali seu Officiali secundum formulam a Pio Papa IV. praescriptam orthodoxae suae fidei publicam professionem faciant et in Ecclesiae

---

10) Act. Ap. 20. 28. 11) Pontif. Rom. de Ord. Presb. 12) Epist. ad Smyrn. num. 8. et ad Ephes. n. 3 et 4.

Romanae obedientia se permansuros spondeant et jurent. Provisi etiam de Beneficiis quibuscumque curam animarum habentibus idem coram Episcopo seu ejus Officiali facere tenentur. Sciant praedicti omnes provisi ut supra, professionem hanc secluso procuratore per eos emittendam, et iterandam esse, quoties ad alium Canonicatum, Dignitatem vel ad aliud Beneficium parochiale promoveri contigerit. Contra facientes autem fructus non faciant suos, nec illis possessio triennalis suffragetur.[13])

Quamvis Congregatio Sacri Concilii Tridentini interpres et vindex iteratis vicibus declaraverit, provisos de Canonicatibus et Dignitatibus in ecclesiis collegiatis non teneri ad emittendam hujusmodi professionem ex decreto Concilii, neque ex Bulla Pii IV.[14]): volumus tamen, et vigore hujus decreti praecipimus, ut iidem quoque intra duos menses a die adeptae possessionis fidem suam praedicto modo publico profiteantur.

Ad eamdem fidei professionem faciendam obligamus pariter Examinatores synodales, seminariorum etiam minorum Rectores seu moderatores, sacrae theologiae et disciplinae catecheticae in quibuscumque institutis etiam Regularium Professores, item religionis doctrinam in Gymnasiis tum publicis, tum privatis tradentes.

Qui ad officium Notarii episcopalis, vel ad gradum Doctoris theologiae seu sacrorum Canonum assumi voluerint: nullo modo admittantur, priusquam ipsi quoque fidei professionem emiserint.

Nemo tandem ad Subdiaconatum promoveatur, nisi prius eamdem fidem ut supra professus fuerit.

2. Quia monente sancto Gregorio Magno „tanto humilior atque ad serviendum Deo promptior quisque esse debet ex munere, quanto se obligatiorem esse conspicit in reddenda ratione“ [15]): Episcopi plenitudine sacerdotii et ecclesiasticae jurisdictionis Clero praelati, non se existimabunt potestate domi-

---

[13]) Conc. Trid. Sess. XXVI. de Ref. cap. 12.—Bulla Pii IV. „Injunctum nobis.“ 9. Decemb. 1564. [14]) In Cathac. 9. Febr. 1726 ad 1.
[15]) S. Greg. M. homil. 9. in Evang.

nante, sed charitate serviente felices. Quumque ad tuendam et servandam unitatem fidei promissam ab ordinatis sibi et successoribus suis reverentiam et obedientiam canonicam pro Deo et propter Deum postulare debeant: propriae etiam sponsionis suae non immemores: „Beato Petro Apostolo, cui a Deo data est potestas ligandi et solvendi, ejusque Vicario, Pontifici Romano pro tempore existenti, ejusque successoribus fidem, subjectionem et obedientiam secundum canonicam auctoritatem“[16]) per omnia paratissimi exhibebunt, ut pax Domini sit semper cum eis. Hinc non tantum omnia ad personas et res ecclesiasticas pertinentia secundum Ecclesiae doctrinam et disciplinam a Sede Apostolica adprobatam dirigent et administrabunt, sed et providebunt, ut Constitutiones Romani Pontificis et Decreta a Sacris Congregationibus seu edita seu edenda Clericis innotescant et in singulis hujus provinciae ecclesiis, prout Sanctae Sedi placuerit, executioni mandentur. „Sequentes enim in omnibus Sedem Apostolicam et observantes ejus omnia constituta speramus, ut in una omnium communione, quam Apostolica Sedes praedicat, esse mereamur, in qua est integra et vera christianae religionis soliditas.“[17])

3. Ut autem pietatis et vivae communionis, qua Episcopi una cum universo suo Clero et gregibus sibi concreditis Cathedrae Petri junguntur, publicum quoque documentum praestemus: statuimus, ut recurrente Anniversario electionis Summi Pontificis in singulis hujus provinciae ecclesiis cathedralibus, collegiatis et conventualibus, nec non quantum fieri poterit, etiam in parochialibus Sacrum solemne cum hymno Ambrosiano celebretur; insuper mandamus, ut parochi et concionatores Sacrum peragendum populo fideli annuntiaturi, data praesertim hac occasione fideles ad reverentiam et obedientiam Sedi Romanae debitam, et ad faciendas pro Beatissimo Patre pias preces excitare non intermittant.

---

[16]) Pont. Rom. de Consecr. Episc.
[17]) Conc. Constant. IV. Act. 18.

CAPUT III.

De sacra Clericorum scientia.

„Fides inexercitata, ait s. Ambrosius, languescit et crebris otiosa tentatur incommodis. Remissas excubias callidus insidiator irrumpit. Pax ergo fidei corruptela est; quos bella non fregerant, otia tentant.“ [1]) Ne provocatis per otia periculis Clerici fidei suae ac salutis detrimentum patiantur, multifaria muneris sacerdotalis et curae pastoralis officia sponte praepediunt, quibus quippe pondus diei et aestus portare jubemur, sed et praeter agri Dominici culturam, seu potius propter eam ipsam ad continuum pariter ac laboriosum sacrae scientiae studium provocamur. Quominus autem blandae paci indulgentes sopiamur, ipsa militantis Ecclesiae conditio prohibet; cui cum continua sit colluctatio adversus carnem et sanguinem, illo instigante, qui ab initio mendax est, ad coërcendam quoque carnis petulantem prudentiam et falsi nominis scientiam vigiles depositi custodes sacerdotes praesto sint oportet, Spiritu sapientiae et intellectus repleti, doctrina et veritate loricati, divinorum scientia bene docti ad proelium. Anxius nullo non tempore dolor erat piae Matri Ecclesiae, „inscium vidisse presbyterum, cui congruit universum erudire populum et ad se confluentibus monita propinare salutis. — Sacerdos enim, qui legem Dei nesciendo delinquit, suis etiam populum peccatis involvit, et quos doctus relevare potuerat, secum simul per imperitiam gravat.“ [2]) Accedit autem malis hisce diebus et alia doloris causa, cum alioquin neminem lateat, quibus et quantis conviciis superbientes profanae culturae fautores Ecclesiam offendunt, ac si humani ingenii conaminibus inimica eruditioni ac scientiae universim parum patrocinetur. Ne hujus doloris causa Clericorum culpa augeatur, maxima virium contentione cavendum est.

Cum serio ponderatis saeculi hujus indigentiis summopere

---

[1]) In Ps. 118. serm. 11. num. 21. et 22. [2]) Confer: S. Laur. Justinian. de spir. anim. inter. lib. 1. et tract. de compunct. et complanctu christ perf. — S. Pet. Damian. contr. inscit. et incur. Cler. opusc. 23.

optandum sit, ut nullibi desint sacerdotes in humanis pariter ac divinis scientiis versati: magnam laudem merebuntur viri ecclesiastici, qui ingenio dotibusque eximiis a Deo praediti, utique non neglectis sacrae theologiae studiis et vocationis suae officiis, solidam scientiae omnis generis culturam acquisiverint, eum potissimum in finem, ut vel publicum in Gymnasiis et Universitatibus magisterium adepti, vel alias seu voce seu scripto monstrare et mundo persuadere valeant, quod cuncta humanae rationis et cognitionis tentamina ad supremam religionis christianae metam dirigenda sint.

Non minori honore ac praemio digni erunt Clerici, qui acceptis quinque talentis alia quinque lucraturi, profundioribus ex professo theologiae studiis vires consecraverint adeo, ut scientiae ecclesiasticae probati magistri ac vindices esse mereantur, et oppositiones falsi nominis scientiae voce victrici perstringere, et calamo dextero debellare sciant.

Tanto minus autem ea Clerici quicumque sacrae scientiae et ecclesiasticae eruditionis copia carere poterunt, quam in divinae veritatis praeconibus et plebis christianae pastoribus sacrosancta Synodus Tridentina requirit, ut idonei sint ad populum docendum ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem ac administranda Sacramenta, [3] et insuper potentes exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere.

Synodus praesens in nomine Ejus congregata, cujus scientiam Apostolus eminentem commendavit, quo magis sacrae scientiae studium in omnibus et singulis hujus provinciae Clericis augeatur, sequentia censuit sancienda:

Virorum ecclesiasticorum conamina, qui praeclaris ingenii dotibus praediti divinis et humanis scientiis ad glorificandam Christi Ecclesiam incumbere desideraverint, Episcopi omni, quo poterunt, consilio et ope juvabunt. Viris porro gratificaturi, qui in literario scientiae theologicae campo desudantes editis libris egregiis pro fidei et Ecclesiae catholicae integritate strenue dimicaverint, non recusabunt, adire Sedem

[3]) Sess. XXIII. de Ref. cap. 14.

Apostolicam pro impetranda, si expedierit facultate, ut eisdem in praemium probatae scientiae et indefessi laboris lauream theologicam auctoritate Summi Pontificis conferre queant.[4])

Clerici in vinea Domini operantes, devitatis sollicite illis saecularium libris, qui „inebriant curiositate non charitate, implent non nutrientes, inflant non aedificantes, ingurgitant non confortantes,“[5]) sacram praecipue Scripturam continuo studio suam faciant, utpote quae divinitus inspirata utilis est ad docendum, ad arguendum, ad corripiendum, ad erudiendum in justitia. Praeter istum librum proprie sacerdotalem, Catechismum ad parochos, Ss. Concilii Tridentini canones et decreta, libros sacrae liturgiae, positivas dogmatum et juris canonici instructiones, et theologiae moralis institutiones, quas inter opus s. Alphonsi de Liguori, titulo „Homo Apostolicus“ vulgatum praeprimis commendamus, tamquam elementares libros et principales singuli habeant et assidue pervolvant. His imbuti necessariis continuo satagant, ut uberiorem e scriptis SS. Patrum limpidisque operibus theologicis eruditionem haurientes, assiduo scientiae sacrae studio sibi primum, moxque concreditis eo perfectius consulere queant. —

Ut autem Clerici in comparanda sibi utilium librorum suppellectili quoquo modo juventur: Episcopi, quos noverint libros admodum commendabiles et proficuos, Clero innotescere facient, et insuper curabunt, ut institutae per singulos dioecesium districtus bibliothecae communes non tantum recentissimis libris gravioris momenti locupletentur, sed et reapse in omnium Clericorum usum deducantur.

Statuitur quoque, ut singuli Clerici occasione visitationis canonicae Episcopo aut ejus Vicario rationem reddant de libris, quos potissimum in erudiendo populo sequuntur.

---

[4]) Lit. a Plenip. C. R. Majestatis ad Plenip. S. Patris dat. 18. Aug. 1855. n. 3.
[5]) S. Bern. serm. 9. in cant. num. 7.

CAPUT IV.

De Collationibus Cleri et Congregationibus pro dilucidandis quaestionibus theologicis.

1. Ut, quem in viris ecclesiasticis scientiae sacrae fervorem desideramus, communi fratrum industria promoveri ac dirigi felices experiamur: communibus in hac Synodo studiis ad promovendam concreditorum salutem intenti, illas non possumus collationes Cleri silentio praeterire, quas ipsius filii Sirach eloquio commendare placet, dicentis: „In multitudine presbyterorum sta, et sapientiae illorum ex corde conjungere, ut omnem narrationem Dei possis audire.“ [1] Vigilantium Ecclesiae Antistitum mandata et copiosa Synodorum decreta talium collationum, quas more nostro pastorales passim appellare consuevimus, institutionem et fructum magnis encomiis enarrant. Sanctus Carolus Borromaeus congressus hosce nominat scholas atque exercitationes non solum studiorum, sed etiam officiorum ecclesiasticorum; in ultima Archidioeceseos Pragenae Synodo commendantur ceu optimum institutum, ex quo videlicet in ecclesiastica disciplina non modo retinenda, sed etiam instauranda uberrimi fructus percipi possint. [2] Novissime autem Sanctissimus Pater „ne in sacerdotibus, qui doctrinae et lectioni attendere debent, quique obstricti sunt officio docendi populum, sacrarum disciplinarum studium unquam restinguatur, aut languescat industria“ optatissimum sibi declarat, ut in omnibus dioecesibus „instituantur opportunis regulis congressus de morum praesertim theologia, ac de sacris ritibus, ad quos singuli potissimum presbyteri teneantur accedere, et afferre scripto consignatam quaestionis ab Episcopo propositae explicationem, et aliquo temporis spatio inter se disserere, postquam aliquis ex ipsis presbyteris sermonem de sacerdotalibus praecipue officiis habuerit.“ [3]

---

[1]) Eccli. 6. 35. [2]) De Archidiac. dioec. [3]) Lit. ad Antist. Imp. Aust. datae 17. Mart. 1857, „Singulari quidem.“

Apostolicum mandatum piissima mente et corde gratissimo venerantes statuimus et praecipimus, ut tales congressus et collationes sive morales sive pastorales tum in civitate quavis cathedrali, tum per singulos Vicariorum foraneorum districtus restituantur et diligentissime frequententur. Uniuscujusque Episcopi erit, singulari pro Clero suae dioecesis instructione prospicere, ut istiusmodi congressus copiosum ad utilitatem totius provinciae fructum afferant.

2. Aliud institutum, cujus ope sacrae scientiae fervorem in singulis hujus provinciae sacerdotibus augere, tum optando collationum Cleri successui consulere intendimus, congregationes erunt pro dilucidandis quaestionibus theologicis, in qualibet civitate cathedrali erigendae. Provide selectis nimirum viris ecclesiasticis, in divinorum scientia et disciplinis theologiae catholicae versatissimis, professione fidei et peculiari juramento muneri devinciendis, constituent Episcopi theologorum congregationem, ad quam singuli dioeceseos sacerdotes et animarum pastores tuto recurrere poterunt, quandocumque difficiliorum quaestionum dilucidationem, casuum conscientiae, salvo tamen sigilli sacramentalis officio, resolutionem, sacrorum rituum et juris canonici profundiorem explanationem postulaverint. Totum istiusmodi congregationis negotium ipse Episcopus diriget, sine cujus approbatione nulla quaestionum propositarum resolutio exaretur, nec elucubratio quaepiam publici juris fiat. Informationem pro hisce congregationibus Antistites hujus provinciae collatis invicem consiliis exarabunt.

CAPUT V.

De sanctificatione Clericorum.

Ille ipse scientiarum Dominus, qui per os Malachiae locutus est, dicens: „Labia sacerdotis custodient scientiam et legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Domini exercituum est:“ pridem jam ad Moysen dixit: „Loquere ad sacerdotes, et dices ad eos: Sancti erunt Deo suo; — incensum enim Domini

et panes Dei sui offerunt; — sint ergo sancti, quia et ego sanctus sum, Dominus, qui sanctifico eos.“ [1]) Quaecumque sit sacrae scientiae necessitas et dignitas: dono destituta pietatis, pretio quoque ac merito carebit. Etenim ardere tantum parum est, sed et vanum, tantummodo lucere; lucere autem et ardere, procul dubio perfectum. [2])

Unde quo majori fandi copia Sacerdotii nobilitatem, tanto potiori quoque sollicitudine verbis literisque praedicarunt Patres antiqui, qualis et quanta praeter scientiam hujusmodi ministros deceat sanctitudo. „Eos, qui sacerdotum munere funguntur, sanctiores ac puriores illis esse oportet, qui ad montes se contulerunt; — et qui in erudiendis ad virtutem populis occurrunt, necesse est, ut in omnibus perfecti, in nullo reprehensibiles habeantur. — Hoc est enim vere sacrificium primitivum, quando unusquisque se ipsum offert hostiam, et a se ipso incipit, ut postea munus suum possit offerre. — Purgari prius oportet, deinde purgare, sapientia instrui, atque ita demum alios instruere, lux fieri et alios illuminare, ad Deum appropinquare et ita alios adducere, sanctificari, et postea alios sanctificare.“[3])

His aliisque sanctorum Patrum eloquiis formati, ut in hac Synodo non praetereamus, quae ad innovandum Spiritum pietatis Clero prodesse poterunt, sequentia potissimum monenda et praecipienda duximus:

1. Cum antiqui Foederis Levitis dictum sit: „Mundamini, qui fertis vasa Domini;“ [4]) decet omnino, ut qui quotidie dulces cibos capiunt in coena Dominica, amplius laventur ab iniquitatibus suis. Singulare quidem Ecclesiae praeceptum, quo sacerdotibus indicetur, quoties Sacramentum Poenitentiae suscipere teneantur, non adest; illud autem providissimum mandatum, quo Missam celebraturi, et ministraturi Sacramenta ad cordis et oris

[1]) Malach. 2. 7 — Levit. 21. 1—8. [2]) S. Bernard. Serm. in Nativ. s. Joan. num. 3.; confer: S. Laur. Justinian. de inst. et reg. Praelat. cap. 7.

[3]) Confer: S. Isid. Pelusiot. Epistolar. lib. 2. epist. 284. S. Isid. Hispal. de Offic. eccl. lib. 2. cap. 5. — S. Ambros. lib. 2. de Cain et Abel, cap. 6. — S. Greg. Nazianz. Apologetic. Orat. 1. (alias 2.) num. 123.

[4]) Isai. 52. 11.

poenitentiam provocantur, neminem non urget, ut sacram confessionem frequentissime peragat. [5]) Quumque sacrosancta Synodus Tridentina decreverit, ut alumni militiae sacrae adscribendi singulis saltem mensibus confiteantur: [6]) ex mente Ecclesiaé et traditiones ejus pie venerantes ardentissime optamus, ut omnes provinciae hujus Clerici, salvo generali Ecclesiae praecepto quoad praeparationem ad Missam et ministranda Sacramenta, salvisque constitutionibus Regularium quoad frequentandam ab iis confessionem, saltem quolibet mense, et si fieri poterit, crebrius etiam contriti confiteantur.

2. Quemadmodum qui evitat discere, incidet in mala: ita qui nescit orare, non inveniet bona. Duplicem illum, quem Elisaeus sibi poposcerat, spiritum sacerdotes prae ceteris a Deo sibi impetrent oportet, ut in illius videlicet virtute et ipsi sancti sint, et alios sanctificent, pro se ipsis pariter, ac pro toto terrarum orbe deprecaturi. Monemus itaque et obtestamur viros hujus provinciae ecclesiasticos, ut orationi non minus, quam ministerio verbi instantes sint.

Ante omnia quidem sacris insistentes Conciliorum decretis Clericos in sacris constitutos et quoscumque Beneficiatos, cum ad persolvendas horas canonicas teneantur, hortamur in Domino, ut divino Officio digne, attente ac devote satisfacientes exaudiri mereantur ante conspectum divinae Majestatis.

Meminerint Beneficiati, quod ex ordinatione generalis Concilii Lateranensis V. „quilibet habens Beneficium cum cura vel sine cura, si post sex menses ab obtento Beneficio divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus suos non faciat pro rata omissionis recitationis Officii et temporis, sed eos tamquam injuste perceptos, in fabricas hujusmodi Beneficiorum vel pauperum eleemosynas erogare teneatur.“ [7])

---

[5]) Miss. Rom. de praep. sacerd. 1. 1. — Rit. Rom. de generaliter servandis.
[6]) Sess. XXIII. de Reform. cap. 18. [7]) Sess. IX. — confer: Constit. Pii V. „Ex proximo“ de die 20. Sept. 1571. — Homo apostol. s. Alphons. Append. 3. n. 60 et seq.

Meminerint omnes, quocumque titulo ad peragendas horas canonicas teneantur, quod earum persolutio e mente Ecclesiae non exiguam cultus divini, et in pastoribus curae animarum quoque partem constituat.

Nocte surgentes igitur vigilemus omnes, semper in psalmis meditemur, atque voce concordi Domino canamus dulciter hymnos. Et noctis cum tenuatur umbra, luxque si rutilans coruscat, supplices rerum Dominum canora voce precemur. [8]) Sic omnium in hac provincia psallentium laus sit plena, sit jucunda, sit decora mentis jubilatio.

Proderit plurimum, ubi fratres habitant in unum, si quantum fieri poterit, sociati divino Officio vacaverint. Qui socium non habuerit, vadat ad Eum, cujus ipsa mira praesentia in sanctissimo Eucharistiae mysterio nos orare docet, cujusque precibus nostras jungere et commendare discamus.

3. Cum tantam Clericis et ipsum sacri muneris exercitium, et divini potissimum Officii persolutio meditandi causam et materiam praebeat: non possumus non omnes et singulos impensissime monere, ut studiose quotidie sacri eloquii praecepta meditantes discant orare „spiritu et mente.“ [9]) — „Istud me, inquit Ludovicus Granatensis, ad tractandum de meditatione argumentum impulit, quod noverim, unam e praecipuis malorum causis esse defectum contemplationis, prout Jeremias deplorat, dicens: Desolatione desolata est terra, quia nullus est, qui recogitet corde.“ [10]) Quum omnibus etiam laicis meditationis exercitatio tantopere sit inculcanda, eo, quod sine hac mysteria fidei corde tenere, ut debent, vix possint: tanto magis profecto piae meditationis negotium viris ecclesiasticis proprium sit oportet, quanto major in ipsis et sacrarum rerum cognitio et vitae spiritualis perfectio requiritur. „Absque meditationis exercitio enim nullus, secluso Dei miraculo speciali, ad rectissimam christianae religionis normam attingit. Medi-

---

[8]) Hymn. Dom. ad Mat. et Laud. [9]) 1 Cor. 14. 15. [10]) In prooem. tract. de orat. et med. — Jerem. 12. 11.

tatio parit scientiam, scientia compunctionem, compunctio devotionem, devotio commendat orationem. — In meditatione exardescit ignis, depuratur animus, exhilaratur affectus, pascitur charitas, certioratur fides, convalescit spes, veritas aperitur, fugatur tentatio, abscedit tristitia, renovatur sensus, fervor excitatur, fugatur tepor, vitiorum rubigo consumitur, coelestium desideriorum scintillae emicant, et divini amoris flamma succrescit." [11]) Optamus proinde et suademus in Domino, ut Clerici praeter meditandi materiam, quae ex assidua sacrae Scripturae lectione et divini Officii recitatione nobis vel invitis occurrit, optimos quosque eligant libros, contemplationis argumenta suppeditantes, quos in frequentissimo orationis mentalis exercitio duces sequantur. „Oratio et meditatio nobiscum surgat, transeat nobiscum in labore diurno, adsit in domo Dei, vigiletque in cubiculo: vespere nos a sordibus mundet, somno cedentibus claudat oculos, semperque habitet nobiscum; ut simus tamquam lignum, quod plantatum est secus decursus aquarum, quod fructum dabit in tempore suo." [12])

4. Pie admodum vitae spiritualis et perfectionis sacerdotalis duces ac magistri illum augustissimi Eucharistiae Mysterii cultum, qui devota visitatione sanctissimi Sacramenti exhibetur, ad augendam sanctificationis gratiam commendant. Ad frequentandum istiusmodi pietatis exercitium vel illa divini Salvatoris verba Clericos provocare videntur: „Si quis mihi ministrat, me sequatur; et ubi sum ego, illic et minister meus erit." [13]) Expectans expectat nos, ut in adjutorium nostrum intendat; nec ullam habet amaritudinem conversatio illius.

Quo magis Episcopis in hac Synodo congregatis inter alia multa cordi est, ut pia praxis, visitandi sanctissimum Sacramentum industria pastorum fidelibus commendetur: eo

---

[11]) Gers. tract. consolat. de medit. Consid. 7. — Verba s. Aug. in Pharet. S. Bonavent. lib. 4. cap. 26. confer S. Laur. Justinian. de cast. connub. cap. 22. Ejusd. tract. de orat. cap. 10. [12]) Memorial. vit. sacerd. cap. 38. — Ps. 1. 2—3. [13]) Joan. 12. 26.

impensius venerabilem Clerum ad gustandos salutiferi hujus exercitii fructus provocant, ut non oris tantum facundia, sed proprio potissimum exemplo plebem sibi commissam Deum absconditum adorare doceat.

CAPUT VI.

De spiritualibus exercitiis Clericorum.

Sacra ipsis piis Christi fidelibus exercitia ad augendam perfectionem commendaturus, similitudinem s. Franciscus Salesius ab horologio repetit, quod etsi per singulos dies suis ponderibus restituatur, nihilominus tamen interjecto longiori tempore dissolvi solet, ut ablata aerugine, et restauratis ferramentis, diuturno usu laxatis, iterum rectiusque commodis nostris inserviat. Quanta sacerdotibus sit necessitas, spiritualibus exercitiis recreari: ex ipso s. Pauli Apostoli eloquio colligere licet, quo nimirum admonemur, ut resuscitemus gratiam Dei, quae est in nobis per impositionem manuum.

Novissime autem Beatissimus Pater Epistola Encyclica die 9. Novembris 1846 data omnes Urbis et Orbis monuit Episcopos, ut, cum eis compertum sit, „ad ecclesiastici Ordinis dignitatem et sanctimoniam retinendam et conservandam pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducere,“ pro episcopali zelo tam salutare opus urgere, omnesque in sortem Domini vocatos monere non intermittant, „ut saepe in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant, quo exterioribus curis sepositis, ac vehementiori studio aeternarum divinarumque rerum meditationi vacantes, et contractas de mundano pulvere sordes detergere et ecclesiasticum spiritum renovare possint, atque exspoliantes veterem hominem cum actibus suis, novum induant, qui creatus est in justitia et sanctitate.“

Paternae hujus exhortationis minime immemores Episcopi piam peragendorum exercitiorum spiritualium praxim, ab annis

inde ad augendam Clericorum perfectionem per singulas hujus provinciae dioeceses introductam synodali hoc decreto religiose servandam declarant, et ad capiendos auxiliante Domino fructus uberiores sequentia insuper decernunt:

Cum hujus provinciae dioeceses nimis late pateant adeo, ut non pauci animarum pastores prohibeantur, quominus exercitia in civitatibus cathedralibus peragi solita adeant: curabunt Episcopi, ut quantum fieri poterit, in aliis etiam dioecesium civitatibus et locis opportunis eadem exercitia haberi et commode frequentari possint.

Ne Clerici nimis pauperes, qui longioris itineris aut sustentationis expensas solvere non possunt, sacri recessus beneficio priventur: providebunt Antistites, ut pro sublevandis adeo pauperibus exercitiorum sodalibus peculiarem paulatim Deo largiente fundum ex propriis et opulentiorum sacerdotum aliorumque benefactorum piis donationibus colligant et instituant.

Clericos denique, qui uno alterove anno ad communia exercitia spiritualia ex quacumque rationabili causa convenire non poterunt: paterne hortamur, ut eodem anno domi saltem per duos aut tres dies maxime opportunos sacrae cuidam recollectioni operam dent, et interroganti Episcopo aut ejus Vicario de pie peracta recollectione rationem reddant.

CAPUT VII.

De honesta Clericorum vita et conversatione.

Illud ex voto sanctae Synodi Tridentinae Episcopis praecipue cavendum est, ne Clerici criminosi sint, neve inhonestam vitam ipsis coniventibus ducant; [1]) cum potius sic deceat omnino Clericos in sortem Domini vocatos vitam moresque componere, ut levia etiam delicta, quae in ipsis maxima es-

---

[1]) Sess. XIV. de Ref. in Prooem.

sent, effugientes, nil nisi grave, moderatum ac religione plenum in omnibus et singulis prae se ferant. „Sobriam a turbis gravitatem, severam vitam et singulare pondus dignitas sibi vindicat sacerdotalis. — Illa vox namque lubentius auditorum corda penetrat, quam dicentis vita commendat; quia tunc, quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat, ut fiat. — Qua etiam libertate laicos corripere poterunt sacerdotes, quum tacite sibi ipsi respondeant, eadem se admisisse, quae corripiunt?“ [2]) Hinc eadem sancta Synodus provide statuit, ut quae alias a Summis Pontificibus et a sacris Conciliis de Clericorum vita et honestate copiose ac salubriter sancita fuerunt, eadem in posterum iisdem poenis, vel majoribus, arbitrio Ordinarii imponendis observentur, et quae fors remissa fuerint, per Antistites quam primum in usum revocentur. [3])

Ne gravissimo huic officio et operi bono Episcopi hujus provinciae deesse videantur, neve subditorum neglectae emendationis ipsi condignas Deo vindice poenas persolvant: [4]) majorum vestigiis ingressi sequentia potissimum de vitae et conversationis clericalis honestate monenda duxerunt et ab omnibus accurate custodienda praecipiunt:

1. Quum vitae caelibis et virginalis castimoniae professio proprium et angelicum sit Ordinis sacerdotalis ornamentum, sed onus quoque humanis humeris valde formidandum, primum ac praecipuum Clericorum studium in eo versetur oportet, ut coelesti dono meritoque castitatis conspicui candidum, ut ait s. Cyprianus, Ecclesiae senatum efficiant, et ab omni illecebra carnis auxiliante Domino alieni, splendido pudoris exemplo eloquium Christi comprobent dicentis: „Quae impossibilia sunt apud homines, possibilia sunt apud Deum.“ [5]) Ad cujus exempli praeconium divinorum ministri dolenda praesertim

---

[1]) Confer: S. Ambros. Epist. 28. ad Iren. num. 2. — S. Greg. M. Reg. Past. part. 2. cap. 3. (confer cap. 7.) — Verba s. Hieronym. in c. 6. D. XXVI. (confer Comment. ad Tit. cap. 1. vers. 6.)

[2]) Sess. XXII. de Ref. cap. 1. [4]) Conc. Trid. loc. cit. [5]) Luc. 18. 27.

nostri saeculi perversitate eo magis provocantur, quo major in dies accrescit tum incredulorum turba, qui carnalibus ipsi desideriis mancipati, nullius alterius castimoniae fidunt, tum male blandientium copia, qui Clericos terrenis concupiscentiis implicare satagunt, ut perfidos mox tanto vehementius impugnare et contemnere queant.

Ne hujus provinciae Clerici talia tristes experiantur: vix ipsa oratio, utut fervida cavebit, neque juncta precibus occupatio, nisi in fuga simul salutem quaerentes, a mulierum praesertim consortio, quantum potuerint, abstineant.

Meminerint itaque, Clericis non tantum conversationem cum mulieribus quoquo modo suspectis omnino vetitam esse, sed vitandum alioquin quodcumque inutile ac frequens mulierum consortium. „Utut enim castitas servari queat in muliebri consortio: raro tamen bonum nomen retineri potest.“ [6] Ne idcirco vel levem scandali aut sinistrae suspicionis occasionem praebeant, illam s. Bonaventurae regulam sequantur, cum feminis non exceptis item ingenuis ac verecundis sermonem „brevem et rigidum“ esse habendum. [7]

Procuratrices domus et ancillas non eligant, nisi integerrimae famae sint, aetate et moribus, verecundia et sobrietate graves, ut qui ex adverso est revereatur, nihil habens malum dicere de nobis. Mensae cum ipsis non assideant, in earum cubiculo seu loco, ubi rebus domesticis vacant, absque necessitate non morentur. Cum procuratrice numquam ad convivia invitati accedant, neque eodem cum ipsa etiamsi consanguinea sit, curru vehi praesumant.

2. Honestatis et castae vitae laudem promerituri noverint Clerici, „quod viro ecclesiastico, quacumque fulgeat dignitate, plus laudis afferat frugalitas in mensa, quam sumptus, plus dedecoris exquisitus apparatus, quam simplex. Sit ergo cultus in mensa et conviviis potius in sobrietate et sale conditis ser-

---

[6]) Conc. provinc. Camerac. ann. 1565. VIII. cap. 3.

[7]) De purit. conscient. cap. 14. ad fin.

monibus, quam in deliciis, atque ita detestetur Clericus comessationes, quae ventri sic serviunt, ut menti noceant.“ „Numquam ego ebrium, inquit s. Hieronymus, putabo castum.“ [8])

Hortamur itaque provinciae nostrae Clericos, ut temperantiae et mortificationis praedicatores, insatiabilem saeculi luxuriam suae sobrietatis exemplo redarguere sciant. Parca mensa contenti, frugalem invisuris fratribus parent annonam. Quo fortius praecipue bacchanalium et encoeniorum abusum impugnare queant: lauta nimis hac occasione convivia non faciant. „Clamant alioquin ubique locorum nudi, ait s. Bernardus, clamant famelici; conqueruntur et dicunt: nostrum est, quod effunditis, nobis crudeliter subtrahitur, quod inutiliter expenditur.“ [9])

Eadem ex causa Clericos in frequentandis saecularium conviviis non parcos tantum esse volumus, sed et maxime cautos. Multum deorsum trahimur, dum saecularibus continuo admiscemur, et facile contemnitur Clericus, qui saepe vocatus ad prandium, ire numquam recusat. [10]) —

3. Recreationi honestae faventes, vetitas tamen per sacros Canones relaxationis consuetudines omnes et singulas reprobamus.

Quum adire diversoria videlicet ad refectionem et hospitandum destinata, etiamsi ceteroquin honesta, Clericis nonnisi itinerantibus vel alia refectionis opportunitate prorsus destitutis permissum sit: oneramus eorum conscientiam, ne deficientis hujusmodi necessitatis causas facile sibi fingant; monentes quoque, ut in his locis publicis temperantiam et modestiam Ordini sacerdotali congruam prae se ferant. Tabernas autem frequentare, ut potui et lusui indulgeant, vel inhonestas adire popinas, omnibus viris ecclesiasticis severe interdicimus.

Pictis in domibus privatis ludere paginis, vel aliis honestis lusibus recreari, Clericis liberum sit, modo nemini of-

---

[8]) Conc. Camerac. supra cit. VIII. cap. 2. — S. Hieronym. Comment. in epist. ad Tit. ad vers. 7.

[9]) Epistol. 42. (alias tract. de morib. et offic. Episc. cap. 2. num. 7.) [10]) Confer: S. Hieronym. epist. ad Nepot. num. 15.

fensionem dantes, lusum neque nimis protraxerint, neque lucri cupiditati indulserint. Modicum quod modico lusui lucrum jungitur, pii fratres quandoque pauperibus destinare solent, ut vel ipsa mentis relaxatio opus bonum dici mereatur.

Venationes illicitas pro officio nostro reprobantes, optamus, ut Clerici hujus provinciae laudem potius sancti Cajetani aemulentur, qui proximorum saluti assidue incumbens, propterea „venator animarum" dictus est.

Clerici, quos propter Christum spectaculum fieri oportet mundo et Angelis et hominibus, maxime debent a spectaculis abstinere, quae Christum non sapiunt. [11]) Prohibemus proinde, ne ludos scenicos aliave spectacula profana frequentent; praesertim autem severissime interdicimus, ne quascumque seu publicas, seu in aedibus privatis choreas agant, in inobedientes justo rigore animadversuri. Primitiarum Neopresbyteri profanationem per choreas, quibus hospites delectari fors desiderant, ceu pessimum abusum damnamus, et sicubi irrepserit, protinus tollendum praecipimus.

4. Vitae sacerdotalis honestas postulat quoque, ut domus Clericorum tum quoad ordinem et munditiem, tum quoad domesticorum pietatem et modestiam emineant. Monemus itaque viros ecclesiasticos, ut in aedibus et habitaculis suis munditiae et disciplinae nitorem resplendere faciant. Supellectili utantur modesta, fastum in apparatu saecularem aeque ac sorditudinem abhorrentes.

Cum, qui suorum maxime domesticorum curam non habet, infideli deterior sit: videant sacerdotes, qui domui praesunt, ut domestici famulantes quotidiana christianae pietatis exercitia tum singuli, tum sociati fervide peragant, cultui divino devote intersint, et Sacramentorum praesidio frequentius muniantur, quo certius cuncto parochiae vel loci famulitio vitae morumque integritate praeluceant. Famulis, ne tabernas frequentent, ancillis praesertim, ne choreas agant, rectores domus, quantum

---

[11]) Conc. provinc. Benevent. XIII. Tit. 27. 14.

potuerint, invigilent. Famulas, quas experientur garrulas, cultus muliebris studiosas, non in silentio discentes cum subjectione, sed dominatrices, quaeque vel parochiali administrationi sese immiscere velint vel immodesto consortio deliquerint, continuo dimittant.

CAPUT VIII.

De externo Clericorum habitu.

Ea semper Ecclesiae mens fuit et disciplinae ratio, ut quibus habitum sacrae religionis imposuit, ignominiam saecularis habitus se deposuisse palam profiteantur et non interna solum benedictionis divinae virtute, sed signis etiam externis Clerici dignoscantur.

Hinc praesens Synodus, menti Ecclesiae et legi in omnibus satisfactura, sequentia quoad externum Clericorum habitum in nomine Domini monet et praecipit:

1. Tonsuram clericalem omnes viri ecclesiastici ad eam formam, quam cujuscumque Ordinis ratio postulat, semper deferant conspicuam, ut similitudinem coronae Christi jugiter in capite gestantes, expetitae ultro haereditatis Dominicae numquam non memores maneant. Cumque, prout Ecclesia Clericis faciendis lubens fidit, ad deponendum comas capitum suorum pro amore Jesu Christi festinaverint: [1]) omnem in ordinando capite mollitiem utpote Clerico indignam fugiant, supinum decoris neglectum ab inani capillorum cultu mundano probe discernentes. Coma adscita, modo formae honestae sit, servatis cautionibus ecclesiasticis uti liceat, extra tamen celebrationem Missae; [2]) barbam vero nutrire, Clericis districtim interdicimus.

2. Etsi habitus non facit monachum, extrinseca tamen

---

¹) Pontific. Rom. de Cler. faciend. ²) Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 11. cap. 9.

illius aut decentia morum honestatem intrinsecam ostendit, aut indecentia sacrae professionis contemptum prodit adeo, ut vel ex vestitu revelentur cogitationes cordium. Hinc ex decreto Concilii Tridentini viri ecclesiastici, si honestum habitum clericalem, ordini ac dignitati congruentem, et juxta Episcopi ordinationem non detulerint, per suspensionem ab Ordine et Beneficio, nec non si semel correpti denuo in id deliquerint, etiam per privationem officiorum et Beneficiorum coërceri possunt et debent.[3])

Cum Cleri saecularis propria sit vestis talaris nigri coloris, ad quam gestandam fere omnia, quae post Tridentinum celebrata sunt Concilia Clericos adegerunt[4]): districte inhibemus, ne quis Missam celebret aut aliquo sacro munere fungatur, quin veste talari indutus sit, cujus ceu vestis statui clericali maxime convenientis etiam extra ecclesiam usum summopere laudamus.

Qui autem extra functiones sacras brevioribus, prout temporis ratio fert, vestimentis utuntur: exquisitam indumenti elegantiam pariter ac affectatam negligentiam sibi cavendam esse meminerint. Praecipimus autem omnino, ut quaecumque eligantur breviora modestae hujus formae indumenta, nigri aut subobscuri coloris sint, adeo, ut vel ex vestibus Clerici dignoscantur ab omni servitute saecularis habitus emundati. Eapropter usitatum in hac provincia Clericorum collare cum fascia nigri coloris, nisi pro dignitate alius color competat, gestandum mandamus. Introductum autem novissime usum nigrae vestis superioris, a collo usque infra genua demissae, et unico globulorum tractu anterius clausae omnibus viris ecclesiasticis prae ceteris commendamus.

---

³) Sess. XIV. de Ref. cap. 6.
⁴) Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 11. cap. 8.

CAPUT IX.

De Clericis educandis et instituendis.

Nihil unquam Ecclesiae, honorem ac decorem Ordinis sacerdotalis vindicaturae, tantopere curae fuit, quam ut idoneos piosque contingat ubivis acquirere augustissimi Sacrificii ministros, populique christiani fidos pastores. „Magna enim sublimitas magnam habere debet cautelam, et honor grandis grandiori debet sollicitudine circumvallari.“ [1]) Hinc potissimum Patres in sancta Synodo Tridentina congregati sapientissimis ordinationibus providerunt, ut ad Ecclesiae ministerium eligendi coelesti sapientia, probis moribus et diuturna justitiae observatione commendari mereantur. Quem in finem praecipue seminaria per singulas dioeceses erigenda esse, inter alia mandarunt. [2])

Quanto successu Deo juvante saluberrima hac ordinatione Clero recte educando et instituendo providerint, nostra quoque provincia grate loquitur; siquidem pia sollicitudine majorum et benefactorum, quorum nomina sunt in libro vitae, singulae dioeceses Clericorum seminariis et scholis dudum provisae, novissime erectis etiam Cleri populique liberalitate minoribus seu puerorum seminariis in Domino gloriantur.

Obsequium decretis Ecclesiae debitum, et pro perceptis donis gratitudo Patribus in hac Synodo congregatis tantopere cordi est, ut ad ampliandum Sacerdotii honorem et meritum sequentia quoad provinciae hujus seminaria statuere censuerint:

1. Recenter erecta puerorum seminaria, cum plantationes sint adhuc tenellae, Episcopi omni, qua poterunt, sollicitudine augebunt, provisuri quantum Deo propitio fieri poterit, ne sufficiente dote careant, sed pedetentim abundantius habeant, quo majorem puerorum numerum pro indigentiis dioecesium alere ac religiose educare contingat.

---

[1]) Auctor tract. de dignit. sacerd. cap. 3 (in collect. Opp. s. Ambros.) [2]) Sess. XXIII. de Ref. cap. 18.

Omnis autem administrationis, educationis et institutionis ratio, quatenus et copia dotis et peculiares studii gymnasialis circumstantiae permiserint, supralaudato Ss. Concilii Tridentini decreto innitatur. Hinc inter alia tales potissimum pueri suscipiantur, quorum indoles et voluntas spem afferat, eos ecclesiasticis ministeriis perpetuo inservituros. Pauperum quoque filii praecipue eligantur, non exclusis utique ditiorum filiis, modo suo sumptu alantur et studium prae se ferant, Deo et Ecclesiae inserviendi. Magnopere etiam proderit curare, ut pueri a teneris annis cantum ecclesiasticum et rituum ac caeremoniarum formas ediscant, utque adolescentes humanioribus literis erudiendi, ecclesiasticas etiam disciplinas sapere incipiant.

Cum porro hisce praesertim diebus messis quidem multa sit, operarii autem pauci: monemus in Domino et impense rogamus parochos ceterosque sacerdotes, ut pueros bona indole praeditos, qui spem afferant, se cum Sacris initiati fuerint, Ecclesiae ministros utiles fore, ad literarum atque ad ecclesiasticae vitae normam accurate informent, moribusque clericali religioni congruentibus erudiant, atque parentes ipsos moneant, ut filios suos ad suscipiendos Ordines sancte inducant. [3] Qua sollicitudine quum hujus provinciae Clerus avite excelluerit: nova meritis merita superaddere eo minus recusabit, quo magis opportunam ab erectis puerorum seminariis occasionem animadvertens, ab Episcopis impetrare poterit, ut maxime idonei tales morigerique disciPuli prae reliquis juvenili seminariorum familiae aggregentur.

Adolescentibus tandem domibus hisce jam adscriptis, dum feriarum tempore extra seminarii septa morantur, vigiles animarum pastores manum paternam porrigant, sedulo hortantes, ut adolescentiam suam nulla sorde commaculent, sed potius si Deo placuerit, suo tempore ad altare Christi quasi virgines de thalamo procedant. [4] Hinc eam quoque per singulas dioe-

---

[3] Archid. Synod. Prag. ann. 1605. de Ordin [4] S. Hieronym. ad Rust. Monach. num. 17.

ceses legem dabunt Episcopi, ut minorum seminariorum alumni parocho loci, ubi feriarum tempore morari voluerint, venientes se praesentent, et abeuntes per eumdem parochum testimonio probitatis commendari mereantur.

2. Quo certius pie sperare liceat, fore ut ipse Deus, quos sacris altaribus servituros elegerit, ostendat: solertissimam Antistitum vigilantiam et industriam sibi vindicant majora seu Clericorum seminaria.

Cum melius profecto sit, prout sapientissime monuit Benedictus Papa XIV., pauciores habere ministros, sed probos ac idoneos, quam plures, qui in aedificationem Ecclesiae nequidquam sint valituri [5]: statuit haec Synodus, ut postposito respectu ad deficientem Cleri copiam majoribus seminariis nullo modo juvenes aggregentur, qui vel ob exiguum in studio gymnasiali progressum ab ipsis etiam condiscipulis minus idonei et tardioris ingenii dignoscuntur, vel saeculi corruptelis sauciati ne vix quidem optandae conversionis conjecturam praebent.

Nihil porro Episcopis ex voto Beatissimi Patris nostri antiquius, nihil potius erit, quam instituta Clericorum seminaria „optimis moderatoribus et magistris instituere, ut inibi juniores Clerici in timore Domini et ecclesiastica disciplina sancte religioseque educentur, et sacris potissimum scientiis juxta catholicam doctrinam ab omni prorsus cujuslibet erroris periculo alienis excolantur, atque ecclesiastico spiritu praediti ac studiis recte instituti valeant in tempore Dominicum agrum diligenter excolere, ac strenue proeliari proelia Domini.“ [6]

Quod ut opitulante Deo fauste eveniat, seminaria in primis ac imis ad literam et mentem legis ecclesiasticae disposita sint adeo, ut Clerici cumprimis spiritu Ecclesiae animentur. Hinc non tantum quotidianis christianae pietatis sed

---

[5]) Epist. Encycl. „Ubi primum.“ 3. Decemb. 1740. [6]) Epist. Encycl. S. D. Pii PP. IX. de die 9. Nov. 1846.

etiam officii sacerdotalis exercitiis, praeprimis horis canonicis debite persolvendis, frequentissimo Sacramenti Poenitentiae usui, devotissimo Ss. Eucharistiae cultui, frequentandis recollectionibus sacris mature assuescant, et omnia insuper pietatis exercitia ab Ecclesia approbata et commendata religiose tractare et adamare sciant. Eumdem in finem praeter theologicas praelectiones, quae in scholis habentur, domesticas explanationes theoretico-practicas excipiant, quibus potissimum sacrae Scripturae et sanctorum Patrum, Catechismi Romani et Concilii Tridentini, totumque Breviarii, Missalis, Ritualis, Pontificalis Romani et Caeremonialis Episcoporum copiosissimum thesaurum bene nosse, diligenter colligere et pie venerari discant. Cum porro spiritus Ecclesiae, quo Clerici ardescant, zelosa praesertim administratione Sacramenti Poenitentiae probandus sit: plurimum interest, ut solidissima theologiae casuisticae doctrina imbuantur et ad sedulo et lubenter excipiendas confessiones poenitentium, et promovendam Sacramentorum frequentationem quoquo modo inflammentur. Optamus etiam, ut decorem domus Dei dilecturi, spiritu Ecclesiae se animatos manifestent. Quo rectius in tempore huic officio sacerdotalis pietatis satisfaciant: praeter exactam sacrae liturgiae cognitionem archaeologiam quoque ecclesiasticam ediscant. —

3. Systematicum totius theologiae studium novissime stabilito per Episcopos ditionis Austriacae ordine annis quatuor sic absolvendum est, ut primo biennio institutiones biblicae et dogmaticae tradantur, quibus anno tertio studia theologiae moralis et historiae ecclesiasticae, anno demum quarto praeter doctrinam pastoralem institutiones juris canonici et artis catecheticae superstruantur.

Exceptis praelectionibus, quae practicam pastorum institutionem concernunt, reliquae idiomate latino habebuntur.

Ad Presbyteratus ordinem non absoluto cursus hujus theologici quadriennio Episcopi neminem promovebunt, nisi casu peculiari aliter iis visum fuerit.

Cum sacrae theologiae tam late pateat campus, ut pro-

fundioris scientiae thesauri statuto quadriennii termino indicari potius, quam copiosius hauriri queant: volumus quidem, ut theologiae magistri reconditam in Ecclesia divinae scientiae abundantiam tironibus qualibet occasione monstrare non omittant, attamen salva semper institutione explicita, qua juvenes disciplinis theologicis, ad obeunda munia ecclesiastica scitu necessariis, accuratissime excolantur. Bonam enim et confertam solidae et necessariae doctrinae mensuram habentes, et sanam profundioris scientiae praelibationem experti, si studio divinorum sublimiori vires consecrare pro potiore ingenio desideraverint: Episcopi alioquin curabunt, ut Clerici tales eximiis dotibus praediti et magistrorum testimonio commendati exactioris quoque eruditionis sacrae copiam acquirere possint.

Quum non raro ceterum eveniat, ut vel juniores Clerici impetratis ab Episcopo literis dimissoriis ad continuandum tirocinium theologicum in alius dioecesis seminarium suscipiantur, vel viri ecclesiastici potissimum a Patronis praesentati ad alterius dioecesis Beneficium promoveantur: valde optandum est, ut omnes hujus provinciae Clerici pari modo et methodo educentur et instituantur. Episcoporum itaque erit, collatis quantocius procurare consiliis, ut tota dirigendorum provinciae hujus seminariorum, nec non instituendi studii theologici norma et dispositio, quantum peculiares loci circumstantiae non impedierint, iisdem ordinationibus innitatur.

CAPUT X.

De Clericorum in seminariis moderatoribus et theologiae magistris.

Si animarum pastores severo exagitantur judicio de populo sibi concredito, cujus sanguinem exitialis diei Judex ab ipsorum manibus requiret: nemo non intelligit, quanto pavore coarctentur Cleri duces et magistri vel leviter cogitantes, ab eorum manibus sanguinem et ovium et pastorum forsan repetendum.

Ne hos inter duces et magistros primi, videlicet ipsi sacrorum Antistites tremenda supremi Judicis sententia perstringantur: cautissime procedent in seligendis juniorum Clericorum moderatoribus et studii theologici magistris, quorum vita senectute probata perfectior, quorum doctrina absque omni mendacio falsitatis Clero et populo in spiritualibus medicina sit oportet.

Hunc in finem sequentia Synodus in Domino congregata nominatim censuit statuenda:

1. Quum seminarii majoris moderatores Clericos non tantum ad pietatem et vitae sacerdotalis perfectionem tutissime informare, sed et solidissimis explanationibus priori capite recensitis excolere et in studio theologiae quoquo modo juvare debeant: par eorum exquisitae eruditionis et scientiae sacrae copia sit, quam in theologiae magistris postulamus. Hinc Episcopi non postposito respectu ad vitae morumque candorem, eos tamen inter idoneos et experientia pastorali probatos potius eligant rectores et moderatores seminarii, qui vel Doctorum theologiae aut sacrorum Canonum laurea insigniti sunt, vel editis scriptis aliove modo publicam sanae doctrinae et exactae eruditionis theologicae laudem meruerunt.

2. Facta conventione inter Sedem Apostolicam et Augustissimum Austriae Imperatorem nemo sacram theologiam, disciplinam catecheticam vel religionis doctrinam in quocumque Instituto vel publico vel privato tradere potest, nisi cum missionem, tum auctoritatem obtinuerit ab Episcopo dioecesano, cujus eamdem revocare est, quando id opportunum censuerit.

Publici theologiae Professores et disciplinae catecheticae magistri, postquam sacrorum Antistes de candidatorum fide, scientia ac pietate sententiam suam exposuerit, nominabuntur ex iis, quibus docendi missionem et auctoritatem conferre paratum se exhibuerit.

Vacante autem cathedra publici in hujus civitatis Facultate theologica Professoris, cujus quoque erit erudire seminarii

Clericos, Archidioecesis Antistes, si virum ecclesiasticum doctrinae laude alioquin celebrem et meritissimum praesto habuerit, cui vacans magisterium tuto concredi possit, audita Professorum theologiae sententia eumdem Suae Majestati commendabit assumendum.

Quodsi autem indicto concursu publico cathedrae vacanti melius prospici visum fuerit: curabit Antistes, ut interrogationes, quas pro subeundo tentamine scripto designaverit, legitimo modo Professorum Collegio communicentur. Lectioni de vacantis magisterii disciplina quam concurrentes coram Professoribus habebunt, vir ab Antistite deputatus intererit. Audita dein sententia non hujus tantum, sed et alterius cujusdam Facultatis theologicae Professorum, et aliorum etiam, si visum fuerit, virorum doctorum, Sua Majestas ex ambientium numero, si nullum aderit circa res politicas obstaculum, eum nominabit, quem Antistes ad praedictum munus obeundum prae ceteris habilem censuerit.

Simili ratione reliqui hujus provinciae Episcopi vacantibus cathedris theologici sui Instituti prospicient. Nisi virum eligere praeferant probatae vitae ac scientiae laude conspicuum, quem alioquin noverint maxime idoneum: curabunt, ut indicto per totam dioecesim concursu publico aptissimum eligere theologiae magistrum contingat. Concurrentes non tantum designatis ab Episcopo interrogationibus scripta elucubratione satisfaciant, sed et quadam lectione coram theologiae Professoribus et viro ab Antistite deputato docendi facundiam monstrabunt, nisi probata aliunde unius alteriusve candidatorum dicendi dexteritate dispensatio Episcopi quoad praelectionem habendam interveniat. Dicta de singulorum tentamine sententia Professorum tam ejusdem Instituti theologici quam alterius cujusdam Episcopus, modo mandato Beatissimi Patris quoad non eligendos viros propter res politicas minus acceptos satisfecerit, [1]) Professorem constituat, quem inter concurrentes ad munus docendi maxime habilem ac promotione dignissimum censuerit.

---

[1]) Lit. Apost. de die 5. Novemb. 1855 „Optime noscitis."

3. Monemus tandem et in Domino obsecramus Clericorum moderatores et studii theologici magistros, „ut stirpem leviticam, germen sacerdotale, propaginem sanctificatam,“ [2] tirones videlicet sibi concreditos omni, quo potuerint, fervore ac industria foveant, et quod facundo ore iis persuaserint, vivis propriae perfectionis operibus exponant.

Sed et reliquos omnesque hujus provinciae viros ecclesiasticos per viscera misericordiae Dei nostri rogamus, ut qui spirituales sunt, et a rebus saeculi in altiorem locum sublati, juniores ministerii divini tirones data quavis occasione verbo et exemplo doceant, quomodo oporteat Clericos in domo Dei conversari, et ex sacerdotibus sumere, quod imitentur.

Imprimis autem parochi, ad quos tempore feriarum seminariorum alumni pervenerint, sedulo curent, ut illi, quo diligentius clericalis disciplinae vitaeque religiosae institutis imbuantur, ecclesias frequenter adeant, functiones clericales ceteraque id generis ministeria cernant, ecclesiasticorum hominum consuetudine utantur, atque multiplici ratione clericalis vitae officiis assuescant. [3] Vigilabunt etiam, ut qui tonsura clericali jam insigniti sunt, capitis coronam deferant patentem, vestibusque induti proprio ordini congruentibus „per decentiam habitus extrinseci morum honestatem intrinsecam ostendant.“ [4] Cum porro minoribus initiati ordinibus, etsi quandoque necessitate postulati in sollenni Misae Sacrificio sacri ministri vices gerere et lectionem dicere queant, e suggestu sacro tamen pro concione dicere prohibeantur: parochi istiusmodi damnabilem abusum minime patiantur. His omnibus intenti testimonium, quo Clericos ad sacros Ordines promovendos, ceterosque seminariorum alumnos commendari volumus, parochi petentibus magis „pro merito, quam affectione aliqua“ tribuant oportet. [5]

---

[2]) Auctor tract. de dignit. sacerd. cap. 2. (in collect. Opp. s. Ambros.)
[3]) Syn. Archid. Prag. cap. supra citat. [4]) Conc. Trid. Sess. XIV. de Ref. cap. 6. [5]) Pont. Rom. de Ord. Presbyt.

TITULUS II.

DE FIDE ET INSTITUTIONE CATHOLICA.

CAPUT I.

De fide sancte servanda.

Sanctam Catholicam et Apostolicam fidem humanae salutis initium et fundamentum praedicamus, sine qua impossibile est placere Deo. Hanc ab omnibus, qui per baptismum in sinum sanctae Matris Ecclesiae recepti sunt, firmiter tenendam esse, nemo sit, qui ambigat.

Monemus itaque omnes et singulos fideles nobis concreditos, ut quum malis hisce diebus gravissima sit colluctatio non solum adversus carnem et sanguinem sed adversus spirituales nequitias in coelestibus, confortati in Domino armaturam Dei accipiant, ante omnia sumentes scutum fidei, in quo possint tela nequissima ignea extinguere. Innumeri proh dolor errores et impiissima commenta de veritatibus maxime necessariis hodiedum inter fideles sparguntur adeo, ut mendacium quasi thronum sibi in medio terrae erexerit; eoque passim seductorum perversitas devenit, ut non solum divinam veritatem quasi tenebras vel superstitionem traducere minime vereantur, sed abjecto prorsus omni dignitatis humanae sensu nullam plane exsistere jactitent revelationem, nullamve religiosae veritatis certitudinem et auctoritatem; quo asserto cunctorum utique salus corruit et humani generis societas misere perit. Et quamvis, quum anima sit quodammodo naturaliter christiana, luxque veritatis etiam invitos percellat, iniquitas ipsa sibi mentiatur: tam astute nihilominus veris falsa inseruntur artibusque mendacia teguntur, ut praeter imperitos fraude deceptos in errorem inducantur, si fieri possit, etiam electi. Quo magis itaque fidelibus cavendum est, ne speciosis verbis seducti ab

aeternae veritatis tramite aberrent: eo fortiori mente sanctae Matri Ecclesiae ceu columnae veritatis adhaereant oportet. Ipsa enim est, quae a Deo et Christo magisterium salutaris doctrinae tenet, divitias coelestis revelationis tamquam rorem fecundum desuper descendentem accipiens et erroris nescia distribuens, unde omnes, qui ad Deum pervenire volunt, normam credendorum et agendorum securi hauriant. Hinc fideles instantissime et incessanter hortamur, ne omni spiritui credant vel tamquam parvuli fluctuantes ab omni vento doctrinae moveantur et circumferantur, sed ut potius veritatem et veracitatem Dei intuentes, qui multifariam multisque indubie modis per saecula, novissime autem in Filio suo nobis locutus est, securi ea teneant et firmissime credant vera esse, quae ab Ecclesia catholica docentur. Nemo ad Deum venire potest, in quem non crediderit; nemo vero credere potest, nisi praedicationem audierit eorum, qui a Deo mittuntur.

De hoc pretio catholicae veritatis, quae omnino una est et universalis, saepissime moneantur fideles a pastoribus, qui itidem firmissimas internas et externas rationes, quibus fides nostra nititur, solide exponant et persuadeant, ita ut vesana prorsus appareat oppositio eorum, qui clarissimis argumentis fidem praebere nolunt, sed suae vel pervicaciae vel levitati inhaerentes, dum in omnibus rebus se dociles praebent, in rebus maximi momenti institutionem divinissimi magistri impatienter ferunt. Commonstranda omnibus est Ecclesiae catholicae divina origo, quam a fundatore suo et capite Christo trahit, mira ejus tum propagatio et conservatio tum salutaris efficacia et vita, qua orbem terrarum collustravit, ad exemplum magistri sui benefaciendo transiens, ut omnes piam Matrem amando cognoscant et cognoscendo diligant. Indagandi non minus sunt fontes incredulitatis, qui ex prava concupiscentia magis quam ex intellectus imbecillitate promanant, atque, dum pravae libidines suffocantur, efficacissime obstruuntur. Ante omnia autem intentis precibus gratia credendi, quae a Deo est, exoretur, ut dissipatis tenebris mentes lucem coelestis ve-

ritatis capiant, et corda ad assentiendum verbo Evangelii moveantur, verum non ad assentiendum tantum, sed ad retinendum, diligendum et tamquam pretiosissimum thesaurum, pro quo omnia venduntur, custodiendum.

Ea vero est divinarum veritatum altitudo et majestas, ut a nobis penitus comprehendi minime possint, quippe qui peregrinantes a Domino per fidem ambulamus et non per speciem, ideoque nonnisi per speculum et in aenigmate videmus, quae sursum sunt. Conari quidem ad caelestium intelligentiam et fidei claritatem prout nativo rationis et cordis desiderio impellimur, sic pariter ipsa divinae veritatis dignitate et praestantia omnino jubemur. Optime insuper contra religionis hostes veritas fidei vindicatur, si internae rationes doctrinae catholicae, quantum fieri poterit, perspectae fuerint et confutatis adversariorum objectionibus valide commonstratae.

Ne tamen hujusmodi negotio intenti binum incurrant scopulum, omnes, ad quos pertinet, paterne hortamur. Absit nimirum prorsus absonus haereticorum error, qui duplicem, sibique contrariam esse posse veritatem, vel ea quae in theologia sunt vera, in philosophia interdum falsa inveniri alucinantes contendunt. Una enim et consentiens sibi veritas est, neque revelatio veritatibus rationis, neque rationis veritates unquam revelationi contradicere possunt; prout Beatissimus Pater noster Pius P. P. IX. clarissimis verbis exposuit, dicens: „Etsi fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio nullumque dissidium inter ipsas inveniri unquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabilis aeternaeque veritatis fonte, Deo Optimo Maximo oriantur, atque ita sibi mutuam opem ferant, ut recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat; fides vero rationem ab omnibus erroribus liberet, eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet atque perficiat.“ [1]) Absit non minus alter virorum quorumdam eruditione praestantium error, qui, ut verbis ejusdem Sanctissimi Patris loquamur, „religionem munus esse fatentur

[1]) Epist. Encycl. de die 9. Novemb. 1846.

longe praestantissimum a Deo hominibus datum, humanam nihilominus rationem tanto habent in pretio, tantopere extollunt, ut vel ipsi religioni aequiparandam stultissime putent. Hinc ex vana ipsorum opinione theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt; cum tamen illae fidei dogmatibus innitantur, quibus nihil firmius, nihil stabilius; ista vero humana explicentur atque illustrentur ratione, quae fallaciis ac praestigiis obnoxia est. Ita quidem rejecta Ecclesiae auctoritate difficillimis quibusque reconditisque quaestionibus latissimus patuit campus, ratioque humana infirmis suis confisa viribus licentius excurrens, turpissimos in errores lapsa est, qui in religionis et civilis rei detrimentum illudque maximum redundarunt. Quamobrem istis hominibus, qui plus aequo vires efferunt humane rationis, ostendere oportet, plane id contrarium esse verissimae illi sententiae Doctoris gentium: Si quis putet se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit. Demonstrandum illis est, quantae sit arrogantiae pervestigare mysteria, quae revelare nobis dignatus est clementissimus Deus, eademque assequi complectique audere humanae mentis imbecillitate et angustiis, cum longissime vires excedant nostri intellectus, qui ex Apostoli ejusdem dicto captivandus est in obsequium fidei." 2)

Hinc omnis ratiocinatio, quae ex evidentibus ac certis principiis factisque indubitatis orditur, eum in finem tendat oportet, ut ea, quae ex internis rationibus cum certitudine probari possunt, reapse ac rectissime probentur, seclusis videlicet demonstrationibus, quae vel falsis principiis innituntur, vel veris admiscent falsa, vel in genere vitio aliquo laborant. Secus enim conamina haec in detrimentum fidei cedent, et in irrisionem hominum, qui quod ratiocinationis vitium est, infirmitati causae adscribere solent. Quicumque igitur in hac re auxilio esse religioni desiderant, non tantum limpidis semper fontibus probatisque magistris utantur, sed ante omnia infirmitatis mentis humanae bene conscii doceri a revelatione, et

2) Alloc. S. D. Pii PP. IX. in Consist. secreto die 9. Decemb. 1854.

ab erroribus praeservari exoptent, et prout sincerissimo veritatis amore, ita humilitate quoque et charitate erga Deum moveantur, cum scriptum sit: Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam.

CAPUT II.

Contra gravissimos hujus temporis errores.

Quamvis, qui filiali pietate Matri Ecclesiae adhaerent, tutissime contra impios quosvis errores muniti sint: tamen, quia nostris diebus sermo malus tamquam cancer serpit, imo aperto bello coelestem doctrinam impugnat, fidelibus nostris nefastos saeculi errores monstrare non desistimus, quo magis illos fugiendo abhorreant. Imprimis gravissima illa commenta, quibus omnis religio, probitas et humani generis salus evertitur, ceu catholicae veritati maxime contraria rejicimus et condemnamus.

De Deo. Inter perversissima systemata, quae e castris infidelitatis in populum christianum sparguntur, culmen iniquitatis doctrina attingit, quae nativum nisum animi humani, quo Deum sentit et ad Deum trahitur, adulterans neque intelligens vocem creaturarum, unum Deum omnipotentem Creatorem omnium dissimulare, imo negare audet. Et quia nudam atrocitatem hujus mendacii animus humanus sponte horresceret, tectis verbis de divinitate aliqua vel de divino quodam loqui amant, quod ubivis in mundo appareat et evolvatur et vivat, cujus vi omnia regantur, cujus partem habeant omnes res hominesque, quod vero reapse nil aliud est, quam ipsa rerum existentium natura. Quocumque demum modo haec ulterius exponantur, sive per materialismum, qui nonnisi corporeas substantias esse asserit, sive per falsum spiritualismum, qui ad spiritualem substantiam omnia existentia reducit, vaferrimum in omnibus hujusmodi doctrinis deprehendimus Atheorum vel pantheismi errorem; dum scilicet, unica eademque

Dei et creaturarum substantia asseritur, et ipsius Dei vivi ac veri essentia, omnia cetera infinite transcendens, negatur. Haec jam vesanae philosophiae systemata damnantes, cum Ecclesia catholica confitemur, docemus et adoramus unum et trinum Deum, purissimum spiritum, qui spiritualem, corporalem humanamque creaturam ex nihilo fecit, liberrima quidem et sanctissima voluntate; qui sua potentia omnia conservat, et infinita simul benignitate, sapientia, sanctitate et justitia gubernat.

De animae immortalitate. Non minus rejicimus alia commenta, quae de anima humana circumferuntur, quae ejus spiritualem indolem et immortalitatem addubitant negantve, maxime dum ejus substantiam cum corporis substantia confundentes, vitam spiritualem ad merum processum organicum detrudunt. Materialismi hic error pessimus deplorabilem indifferentismum gignit, cujus miseri asseclae ac servi de aeterna vita nihil, omnia vero de hac terrestri sperare jubentur. Imo cum expulsione religionis sanctorumque operum etiam veritatis et honestatis omne studium exulabit, et sensuum concupiscentia regimine vitae arrepto homines ad servitutem libidinis, divitiarum et miserae superbiae quasi captivos tradet. Instantissime fideles monemus, ut ab ejusmodi doctrinis remotissime recedant, et immortalis animae pretium jugiter considerantes mentes suas ad desideria coelestia erigant.

De ordine supernaturali. Sed etiam illos tamquam nefarios salutis humanae hostes renuntiamus et reprobamus, qui Deum quidem et animae immortalitatem confiteri se dicunt, ast potentissima divinae charitatis et misericordiae opera diffitentur, dum divinam gratiam, redemtionem, sanctificationem et omnem ordinem supernaturalem negant. Sunt vere osores gloriae Dei, qui benignissimo charitatis consilio non tantum creavit nos, sed altioribus donis ornatos supra naturae creatae vires et exigentiam elevare constituit. Sunt hostes humanae dignitatis, qua non ad rationabilem tantum sed ad sanctam vitam filiorum Dei vocamur, ad eximiam cum Deo unionem, quae vivo charitatis consortio in his terris inchoatur, et in

coelis per Dei visionem coronatur. Sunt denique inimici Crucis Christi, Filii Dei, qui ineffabili dilectione Hostia factus pro peccatis nostris et totius mundi, triste imperium mortis destruxit, miris donis gratiisque credentes locupletat, et vere bonus pastor oves suas ad pascua aeternae beatitudinis deducit. Christum itaque Dominum et Regem agnoscant omnes, in quem qui non crediderit, salvus esse non poterit. Nec enim aliud nomen est sub caelo datum hominibus, in quo oporteat nos salvos fieri; et quicumque non confitetur Jesum Christum in carne venisse, seductor hic est et antichristus. [1])

De Ecclesia. Qui Christum non agnoscit, neque Ecclesiam ejus agnoscere potest, quae, prout unus Dominus et unum baptisma, ita unum Corpus est, quippe una et sola super Apostolicam petram fundata, cui ministerium salutis aeternae creditum est. Suae originis et sui muneris conscia, Ecclesia Romano-catholica omnes homines vult salvos fieri et ad agnitionem veritatis pervenire: inde minime mirum, si mundus, cum in maligno positus sit, prout Christum oderat, pari odio sanctam ejus Ecclesiam persequitur, eamque calumniari, obstaculis vexare, premere undique vinculisque ligare, imo eam convellere et labefactare multiplici insidiarum genere molitur. Promissionis divinae memores nec perversissimis contra Ecclesiam ausibus saeculi, nec ipsius hostis antiqui, mendacis ab initio motibus corda sua fideles turbari patiantur, sed vigilantes pariter, ut propriae saluti provideant, sedulo caveant a numerosis mendaciis, quae contra Ecclesiae institutiones et vitam sparguntur, historiae non minus quam sanae rationi adversa.

Sed etiam errorem illorum rejicimus, qui de Ecclesiae muneribus a Christo Domino acceptis perverse sentiunt, dum vel solam praedicationem verbi, et Sacramentorum administrationem ei competere dicunt, minime vero fidelium regimen; vel quum collatam Ecclesiae gubernandi potestatem penitus ignorare vix possint, illius tamen liberum exercitium ab arbitrio hominum dependere impie proclamant. Regnum Christi

[1]) Act. Apost. 4. 12. — II. Joann. 7.

quidem non est de hoc mundo; ast conditum in mundo ad procurandam hominum salutem aeternam adeo, ut ab illo neque Novae Legis Sacerdotium, neque sacra fidelium gubernatio abesse queat. Cumque Ecclesia catholica perfectam societatis formam vi divinae suae institutionis obtinuerit: ea proinde libertate pollere debet, ut non tantum in sacro suo ministerio nulli civili potestati subjaceat,[2] sed libera quoque et independens sit in regimine suorum ad vitam aeternam. Christus Dominus sicut ipse missus a Patre fuerat, alios elegit eosque misit Apostolos, quos audiat grex fidelis, in quo et deinceps Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. Apostolicae potestatis et libertatis haereditas Sacerdotio credita, ordine hierarchico disposito numquam deficere potest in Ecclesia, quae super fundamento Apostolorum aedificata fuit. Potens autem est Deus, qui etiam fragilem naturam humanam ad ministerium aeterni sui consilii corroboret, dum Ecclesiae suae spirat incorruptionem. Si in ea caducum vel labile quid invenitur, ad hominum, quibus constat, infirmitatem vel etiam malitiam pertinet, nequaquam vero ad eam ipsam, quae immaculati Agni sponsa, sine macula et ruga est, promissionem habens Dominicae praesentiae et jugis auxilii Spiritus sancti.

De Primatu Romani Pontificis. Rejicimus porro errorem illorum, qui alicubi Ecclesiam catholicam existere posse autumant absque unitatis vinculo cum Ecclesia Romana, „in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quae est ab Apostolis traditio.“[3] Sciant, neminem, qui extra unionem capitis est, censeri posse inter membra corporis Ecclesiae, quam Dominus super Petrum fundavit et in ejus auctoritate solidavit. Confiteantur potius nobiscum et cum orthodoxis per orbem terrarum fidelium turmis sanctae Romanae Ecclesiae Principatum et Pontificis Romani Primatum; summa, qua decet, pietate nobiscum venerentur colantque Sanctissimum Dominum nostrum Pium divina providentia Papam IX. ceu

---

[2]) Lit. Apost. S. D. Pii PP. IX. de die 26. Mart. 1860.

[3]) S. Irenaeus adv. haeres. lib. 3. cap. 3. num. 2.

legitimum Principis Apostolorum successorem, Jesu Christi in terris Vicarium, supremum fidei doctorem et navis Christi gubernatorem, cui fidelissima obedientia animique assensus ab omnibus, qui ad ovile Christi pertinere volunt, praestetur. Declaramus et docemus, hanc Romani Pontificis auctoritatem a Christo Domino descendere, a nulla proin hominum potestate vel concessione pendere, atque omni tempore et in atrocissimis Romanae Ecclesiae afflictionibus perdurare illibatam, prout etiam in carceribus et martyriis beati Petri perduravit.

Sed non minus cum tota Ecclesia confitemur et grato corde praedicamus, „singulari prorsus divinae providentiae consilio factum esse, ut cum Romanum corruit Imperium, et in plura fuit regna divisum, Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiae suae caput centrumque constituit, civilem assequeretur Principatum. Quo sane a Deo ipso sapientissime consultum est, ut in tanta temporalium Principum multitudine ac varietate Summus Pontifex illa frueretur politica libertate, quae tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et jurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendam. Atque ita plane decebat, ne catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium potestatum, vel partium studio duci quandoque posse in universali procuratione gerenda Sedem illam, ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire.“ 4) Cumque luctuosis hisce temporibus infestissimi Ecclesiae catholicae et Sedis Apostolicae osores proculcatis divinis humanisque juribus hanc ipsam Sedem civili Principatu spoliare nequiter auserint: nefanda eorum facinora improbantes, quamcumque civilis potestatis ac terrestris dominii, quo Romanus Pontifex potitur, laesionem non tantum ceu rapinam et violationem certissimi juris humani, sed etiam ceu sacrilegam juris sacri usurpationem detestamur, ob quam in sontes juste meritoque severissimae ecclesiasticae poenae infliguntur.

Et quia, prout Sanctissimus Dominus noster ipse docuit,

4) Confer sup. cit. Lit. Apost. de die 26. Mart. 1860.

tutela Patrimonii beati Petri ad omnes Catholicos pertinet: fideles nostros impense rogamus, ut illud ipsum omnino integrum inviolatumque servandum atque ab omni injuria defendendum esse, concordissimo studio et virili fortitudine palam facere non intermittant.[5])

De civili auctoritate. Fideles nostros etiam contra illos hostes humani generis praemunire cupimus, qui non tantum sacra religionis, sed et jura ordinis terrestris, sine quibus nulla salus imo nec societas consistere potest, convellere gestiunt. Reprobamus falsas doctrinas perversorum hominum, qui factionibus pessimis lateque diffusis sociati, subjici civili potestati, quae legitime subsistit, contemnunt, imo sub variis praetextibus sive dolo sive aperta rebellione civiles principatus labefactare, dissolvere et destruere attentant. Tenemus verba Apostoli: „Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit: non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt.“[6]) Hinc simul damnamus mala subterfugia, quibus facinorosi homines delicta sua abscondere vel attenuare audent, praesertim asserentes, jura legitimae potestatis communibus subditorum suffragiis aboleri posse, vel regna jure stabilita dissolvi debere, ut ad nationis et linguae unitatem recomponantur. Eo enim, quod potestati resistunt, Dei ordinationi resistunt et ipsi damnationem acquirunt. Potius rectus amor patriae cum amore reipublicae et pietate erga Superiores conjunctus per Eum operetur, qui nationum inimicitias in Cruce confixit, dum omnes gentes in communione fidei univit, et veram hanc fraternitatem in orbe terrarum fundavit, ut meliora charismata aemulantes, bonum operemur ad omnes, maxime autem ad domesticos fidei.

Ut autem, qui populis praesunt, quosque Dei ministros appellat gentium Doctor, arduo suo et gravissimo muneri bona conscientia satisfaciant, divina videlicet gratia illuminati et confortati: obsecramus fideles cum eodem Apostolo, fieri

---

[5]) Epist. Encycl. de die 29. Januar. 1860. [6]) Rom. 13. 1—5.

orationes et postulationes pro regibus et omnibus, qui in sublimitate sunt,[7] ut imaginem divinae justitiae, benignitatis et sanctissimae sollicitudinis in tuendis juribus et in promovenda publica et privata prosperitate exhibentes nobis omnibus sint in bonum.

De vita sociali. Non minori denique detestatione rejicimus et ceu impias fraudes renuntiamus propugnata potissimum aevo nostro placita et systemata, quae sub coloribus civilis culturae humanique progressus nil nisi communismum vel socialismum sapiunt, quorumque fautores sanctitatem juris proprietatis negant, vel inviolabile vinculum matrimonii et familiae sauciant, vel alio quovis modo injustam violentiam aut effrenatam licentiam in socialem vitam introducere conituntur. Non progressus culturae, sed tristissimus in barbariem regressus hujusmodi doctrinis, quodsi unquam ferri ab hominibus possent, societati humanae accideret. Dum Ecclesia illam sanctam charitatem, quae nescit, quae sua sunt, tamquam fastigium christianae perfectionis intuetur et prosequitur, jura tamen ceu fundamenta terrestris vitae sanctissime reverenda et inviolate custodienda esse semper docuit. Etsi porro laborum molestia cum omnibus vitae miseriis inde a primo peccato Adae salutaris poena generi nostro constituta sit, tamen Ecclesia catholica, quae in pauperibus venerabunda Christum Dominum agnoscit, qui quod minimis fratrum fecerimus, sibi praestitum et factum esse proclamat, vehementer desiderat et maxime allaborat, ut pauperies et afflictio plebis, quantum fieri poterit, leniatur. Ideo hanc pulcherrimam suam praerogativam tenet, ut fervidam erga afflictos charitatem filiis suis instillet, divitibus beneficentiam imperet, dum egenos patientiam et gratitudinem docet, laudibus celebrans generosa operum et facultatum sacrificia, quibus solatia divina et humana in miseros conferuntur, sed et cunctos commonefaciens, ut immunitatem a doloribus in aeterna demum beatitate desiderent et exspectent.

[7]) 1. Timoth. 2, 1—2.

Denique Ecclesia omni humano et vero progressui favet, sciens Deum dedisse terram in possessionem filiis hominum, ut exercendo vires suas dominarentur ei, ejusque viribus utentes fructificarent sibi. Monet tamen, ne per rerum temporalium studium cura aeternarum negligatur vel impediatur, et poscit, ut progressus fiat secundum pietatem, minime autem contra fidem, utque studia quaecumque humana per sanctam charitatem fecundentur. Nulla libertas sine lege, prout nulla lex sine libertate consistere potest; ubi vero Spiritus Domini, ibi libertas.[8]

CAPUT III.

De conversatione fidelium cum alienis a fide.

Vix necessum est, fideles nostros commonefacere, ut quemadmodum erga domesticos fidei, ita etiam erga eos, qui thesauro catholicae veritatis carent, sese praebeant bonorum operum exemplum. Ea enim Ecclesiae catholicae intima est persuasio et perpetua doctrina, quam etiam praxi monstrare semper studuit, ut veritas, justitia et charitas sine acceptione personarum, quae apud Deum non est, cuivis proximo exhibeatur. Inde quascumque persecutiones alienorum a fide praetextu religionis factas numquam non condemnavit, et quantum poterat, cohibuit. Quamvis intime cupiat, ut qui in tenebris sunt et in umbra mortis sedent, ad veram fidem redeant, et ut convertantur, ferventer oret jugiterque laboret, violentiam tamen animis quomodocumque illatam aversatur omnino, atque persuadere veritatem ac corda flectere mavult. Non minus vero materna sollicitudine a filiis propriis omnia, quae pretiosum donum fidei in discrimen adducere possint, vigilantissimo studio semovere conatur. Quid enim prodesset homini, universa, etiam favores laudesque aliorum lucrari, si animae suae detrimentum pateretur?

---

8) 2 Cor. 3. 17.

Hinc fideles nostros pro Deo et propter Deum monemus prae ceteris, ut sanctam fidei suae confessionem ab omni contagionis corruptione vigiles humilesque custodiant. Meminerint, qua severitate, videlicet sub gravi reatu prohibeantur actus religiosi, quibus cum haereticis in rebus fidei participatio seu communio in sacris exercetur. Inter alia haec Synodus interdicit fidelibus, ne cultum religiosum Acatholicorum quasi simul acturi adeant, eorumque concionibus in templis intersint. In baptismatibus eorum, etiamsi de veri baptismi administratione nullum dubium sit, non facile testes, numquam vero patrinos agant, cum praeter vetitam in divinis communicationem, catholici patrini officium promittere aut sperare de ejus expletione non possint. Maxime vero caveant ab ineundis mixtis matrimoniis, quorum deploranda damna et pericula tristissima experientia abunde loquitur. Praeter communionem enim in sacris non tantum ipsi Catholici periculum fidei incurrunt, sed et procreandorum liberorum sortem in re gravissima salutis aeternae sat aperto discrimini exponunt; et quantum denique dedecus miserae indifferentiae tum in religione tum in mutuo animorum consortio conjugali, si in sanctissimis, quos pectus humanum nutrit sensus, nedum diversitas, sed etiam contradictio ultro admittitur!

Verum non solum a religiosa communione, sed a privatis quoque amicorum consortiis sine mora sese expediant fideles, quamprimum honor religionis et Ecclesiae laeditur, maligne et stulte de rebus fidei tractatur vel sanctitati morum praejudicium affertur. Et non tantum, qui ejusmodi sunt extra Ecclesiam, fugiantur, sed omnes omnino, quicumque etiamsi nostri sint, Catholicorum tamen cognomine plane indigni cernuntur, perfide blasphemantes, quod intelligere nolunt. Hos oportet redargui, et saltem per aversionem fugientium doceri, quantopere inhonorent Deum et fideles scandalizent. Curam maxime gerant patres familias, ne suos apud talem herum, qui fidem vel mores adoritur, aut religionis cultum vel etiam praeceptorum Ecclesiae observationem impedit, famulari patiantur.

Quia Judaeorum gens toto caelo ab honore Jesu Christi Filii Dei aliena est ac salutifera Cruce scandalizatur, Ecclesia communionem eum eis declinat et cavet. Nullam exinde inimicitiam, nullamve laesionem justitiae et charitatis erga eosdem foveri vel concedi, fidelibus doctrina Christi imbutis alioquin notissimum est. Cum autem continuata hominum commercia animos et corda facile nectant: Ecclesia utique illa opera, quae quotidiana et transeunte mercede in agris vel fabricis Judaeorum fiunt, indiscriminatim quidem non prohibere solet; ast sapienter cavet, ne passim Christiani famulentur Judaeis, aut eorum contubernales sint, eorumque regimini subjecti periculum animae incurrant, neve christianae-professionis mulieres lactent Judaeorum infantes. Doceantur itaque fideles a pastoribus, quibus ex causis talia vetentur, sed et quibus in casibus quandoque secluso tamen semper scandalo et propriae perversionis periculo tolerari possint. Quodsi enim prout nonnumquam tristis experientia fert, fideles per Judaeos odium christianae religionis vel Ecclesiae contemtum experiuntur, vel fidei morumve perversionem timere debent: tunc nullo modo, neque ipsius vitae necessitate, excusari potest continuus apud eos famulatus, sed omnino relinquendus est, ut remoto periculo peccandi, anima salva sit in die Domini. Quod si porro a Judaeis premi et laedi se filii Ecclesiae queruntur, noverint utique, contra justitiam tutamen legis quaerendum esse, et patienti non minus quam forti animo, suadente Benedicto XIV. auctum et conjunctum studium adhibendum, ne fideles Judaeorum opibus auxiliisque indigeant. [1] Ceterum Ecclesia, tot beneficiorum, quibus Deus populum Israel olim distinxit, numquam immemor, orare pro Judaeis consuevit, ut ablato velamine a cordibus eorum et ipsi agnita veritatis luce, quae Christus est, a suis tenebris eruantur.

---

[1]) Encycl. dat. 14. Jun. 1751 „A quo primum."

CAPUT IV.

De lectione et editione librorum.

Admirabile pretium veritatis catholicae poscit omnino, ut error et mendacium ab ore et oculis Christianorum removeantur. Sanctimonia vitae christianae non minus urget, ut tamquam venenum omne verbum, quod morum candori noceat, abhorreamus.

Inde fideles obtestari non cessamus, ut in tanta librorum multitudine tantoque legendi studio, quod hodiedum animos hominum tenet, ab omni lectione sibi sollicite caveant, quae pro veritate mendacium, pro aedificatione scandalum et perversionem seminat. Meminerint neminem inde strui posse, unde destruitur; neque ab eo illuminari, a quo contenebratur. Et quamvis in pessimis quoque libris aliquid veri bonique admixtum esse soleat: minime tamen fas erit, cum periculo vel etiam damno aeternae salutis sparsa lumina penes tenebras quaerere, dum clarae lucis thesauri in tam multis praeclaris libris perfectissime et sine periculo veneni suppeditantur. Audiant itaque omnes Matrem Ecclesiam, quae sanctae fidei secura custos et vitae aeternae infallibilis magistra filios suos praemunire cupiens, perversos libros digito monstrat, ad instar sollicitorum parentum, qui venenatas plantas procul e manibus liberorum suorum ereptas projiciunt.

Hinc divinas et ecclesiasticas leges fidelibus in mentem revocare, Patres in Synodo congregati necessarium censent. Sine dubio enim et proprii et alieni peccati reos se faciunt, qui libros impios non tantum ipsi manibus tractant, sed et aliis legendos committunt, imo suadent. Praesertim illi severam Judici aeterno rationem reddent, qui libros ejusmodi vel etiam imagines lascivas exarare aut consulto divulgare audent, postquam de perniciosa eorum indole vel ultro, vel monente Ecclesia constiterit. Quumque Summorum Pontificum cura, ut scripta sive haeretica, sive pietati et morum honestati ad-

versa facilius dignoscerentur, catalogus librorum prohibitorum seu Index praesto sit, cujus tenore fideles et maxime sacerdotes hujusmodi pericula vitare docentur: nemo juxta ejusdem praescriptum damnatos ac reprobatos libros legere aut habere praesumat, nisi propter graves et peculiares rationes licentiam legitime obtinuerit.

Pastores animarum in hac re non tantum bono suo exemplo fidelibus praeluceant, sed etiam verbis efficacibus eos et praesertim patres familias paterne doceant et saepe admoneant, ut ad salutem suam suarumque familiarum libros fidei et morum integritati nocivos caute devitent, neque tales per domos suas haberi et lectitari permittant. Sedulo porro et prudenter invigilent parochi, ne libri perversi et praesertim parvi tractatus veneno pleni, quibus religioni fideique contemtus et odium paratur, in gregem diffundantur sive per bibliopolas sive per alios mercatores maxime emissarios, sive e bibliothecis, unde libri mutuo accipiuntur. Si ejusmodi libri alicubi disseminantur, seriis monitis proprii pastoris non proficientibus, res habita ejus certitudine ad Episcopum deferatur, ut invocato etiam magistratus civilis auxilio perniciosa mercatura coërceatur. Similiter invigilent parochi, ne libri superstitionem redolentes, vel de dubiis prophetiis, incertis miraculis, falsisve indulgentiis loquentes divulgentur, sub poenis ab Ordinario statuendis. Specialis cura libris quoque precationum, quibus fideles utuntur, a sacerdotibus ita impendatur, ut tantum libri tenoris vere catholici, sinceram pietatem alentes, in manus fidelium perveniant.

Translationes Bibliorum ab haereticis confectae, quae hodie passim sparguntur et ultro offeruntur, omnino prohibitae sunt. Catholicae et approbatae versiones cum adnotationibus ex sanctis Patribus vel aliis doctis et catholicis viris, quantum opus est, abunde suppetunt.

Maxima denique sollicitudo tam fidelium quam sacerdotum in eo collocetur, ut libri salubres, sanae doctrinae, et qui vere prosunt legentibus, locum pravorum praeoccupent. Animarum curati itaque fideles probe adhortentur, ut libros bonos,

qui a diversis piis societatibus eduntur et exiguo venduntur pretio, comparare studeant, et praemonendo plebem curae suae commissam contra suspectos librorum perniciosorum mercatores, fidelibus nominent commendentque bibliopolas, a quibus praestantes atque catholicos libros facilius accipiant. Porro studia tum fidelium tum sacerdotum conferantur, ut in variis parochiis, maxime oppidorum, bibliothecae ad mutuandos libros erigantur, unde fideles absque periculo salutis lectionem vere utilem tum de sacris tum de profanis rebus et ad relaxandos quoque animos vel gratis vel perexiguo pretio sumere possint. Et quoniam ephemerides quotidiano suo commercio una cum rerum novarum nuntiis animos doctrinis variis imbuunt et quasi satiando implent, summa cura adhibeatur, ut eliminatis falsis et perniciosis foliis ea potius habeantur et legantur, quae veritati pietatique profectum parant. Eos insuper viros sive Clericos sive laicos, qui necessariis dotibus pollent, in Domino provocamus et invitamus, ut quocumque potuerint modo, sive scribendo, sive adjuvando scriptores, in propugnationem fidei et morum honestatis vires impendant, scientes, optimum et dignissimum opus esse invictae veritatis praeconium. Praefata christiani fervoris conamina optimum conjuncta plurium operatione Deo largiente effectum sortientur; quapropter pie optamus et instantes commendamus, ut peculiares hunc in finem sodalitates per singulas provinciae nostrae dioeceses erigantur.

Secundum continuam Ecclesiae catholicae doctrinam et praxim [1]) monemus et Clericis expresse injungimus, ne libri de religione et rebus sacris tractantes edantur, nisi obtenta praevie licentia Episcopi aut ejus delegati, atque apud Regulares simul Superioris eorum. Libri precum et canticorum, ut secure a fidelibus adhibeantur, approbationem Ordinarii in fronte gerant. Idem censendum de libris quibuscumque stricte liturgicis seu ritualibus, quos nisi requisita prius et in scriptis ob-

---

[1]) Decret. Leonis PP. X. dat. 4. Maji 1515 „Inter sollicitudines“ et Decret. Ss. Conc. Trid. de edit. et usu sacror. libror. Sess. IV.

tenta ab Ordinariis locorum licentia typis excudere aut evulgare, Constitutiones Pontificiae districtim prohibent, quorumque proinde usum, in Sacris faciendis interdictum esse, omnes ad quos pertinet, meminerint.[2]

CAPUT V.

De praedicatione verbi divini.

Libenter et cum gratiarum actione confitetur haec Synodus, tristem illam experientiam, quam libri Regum referunt, scilicet sermonem Domini fuisse pretiosum in diebus illis,[1] in hac provincia locum non habere, cum quippe fidelibus nostris sat frequens verbum divinum audiendi occasio praebeatur. Optandum solummodo et cunctis viribus adlaborandum, ut Evangelicae veritatis praecones intensissimo suo studio desideratos praedicationis fructus colligere mereantur. Quo magis itaque fideles conciones sacras avidis auribus excipiant, cordibusque audita retineant, et ut tepidi quoque ac socordes alliciantur: verbi Dominici dispensatoribus praesertim, quae sequuntur, in memoriam revocamus:

Imprimis curam gerant, ut temporis decursu populum christianum de omnibus singulisque fidei mysteriis et mandatis divinis instituant. Quem in finem veritates christianas respectu habito anni ecclesiastici ita quidem tractent, ut mysterium diei, quod celebratur, fidelibus exponant, pericopasve modo epistolares, modo evangelicas, quae in Missa leguntur, duces sequantur; simul vero, quantum fieri potest, ad Catechismum dioecesanum recurrant, ejus partes profusius explananantes. Non minus commendamus speciales de Catechismo conciones sic dispositas,

---

[2]) Clem. PP. VIII. Constit. „Cum in Ecclesia“ de die 10. Maji 1602; Ejusd. Pontif. Constit. „Cum Sanctissimum“ de die 7. Julii 1604. — Urbani PP. VIII. Constit. „Divinam Psalmodiam“ de die 25. Jan. 1631. — Ejusd. Pontif. Constit. „Si quid est“ de die 2. Sept. 1634.

[1]) I. Reg. 3. 1.

ut per spatium trium vel quatuor annorum integra ejus materia sermonibus concionatoriis exponatur. Hac enim ratione fideles perceptam inde a juventute Christi doctrinam memoriae altius impriment plenamque ejus cum expositionibus uberioribus concordiam magis perspicient. Item pretiosum liturgiae catholicae thesaurum concionantes populo adaperiant, et mandante sancta Synodo Tridentina, [2] seu ipsius Missae tenorem et ritum, seu Sacramentorum caeremonias, aliasve liturgiae partes explicent, ut fidelis populus majori cum reverentia et animi devotione Sacris interesse discat. Cumprimis autem verbi divini praecones monitos esse volumus, ut indigentias temporis respicientes, specialibus ac solerter elucubratis concionibus mala, quae nostris diebus fidem et mores, ordinem ecclesiasticae et civilis societatis perturbare minantur, sapienter et intrepide propulsare, illa vero, quae vitam christianam promovere, firmare atque christianam societatem conservare possunt, claris fervidisque verbis monstrare et commendare satagant. Quo uberior autem verbi divini fructus obtineatur, consultum erit, ut concionatores religionis doctrinas eo nexu atque ordine proponant, quo se vicissim illustrent et confirment; quam praedicationis methodum praesertim ad instruendos auditores cultura potiores maxime commendamus. Quumque ruri potissimum teste experientia praecipuum sit momentum earum concionum, quae dominicis festisque diebus ad Sacrum matutinum habentur, praedicatores huic muneri cum fructu satisfacturi paucis verbis multum dicere et alta docere, plurimum collaborent.

In ipsa praedicatione concionatores caveant, ne verbum Dei ex proprio metiantur ingenio et ad suas conjecturas temere interpretentur, sed omnino ad intellectum illum, quem sancta Mater Ecclesia tenet, eumque sensum, qui fidei symbolis et definitionibus ad amussim respondet. Sacra Scriptura, in qua monente divo Augustino „quisquis invenerit omnia, quae utiliter alibi didicit, et multo abundantius inveniet ea,

---

[2]) Sess. XXII. cap. 8. de Sacrif. Miss. et Sess. XXIV. de Ref. cap. 7.

quae nusquam omnino alibi",[3] porro sancti Patres, quorum opera ditissimum doctrinae christianae thesaurum exhibent, tutissima praeconibus praebent vestigia, quibus insistant. Evangelizantes itaque regnum caelorum, missis opinionibus spuriique pietismi phantasmatibus, item dubiis vel fabulosis narrationibus, quae ad rem non pertinent, et expositionibus de miraculis ab Ecclesia nondum recognitis et approbatis, argumentisve vi contortis, potius cum brevitate et facilitate sermonis ea tradant, quae infallibili Ecclesiae oraculo omnino vera, et indubiis historiae testimoniis certa dignoscuntur, quaeque prout Synodus Tridentina monuit, scire omnibus necessarium est, ut poenam aeternam evadere et coelestem gloriam consequi valeant. [4])

Quo magis autem fideles ad audiendam concionem eamque integram incitentur: optamus, ut antiquus Ecclesiae mos, verbum Dei inter ipsam Missam praedicandi, ubi hucusque viget, sedulo servetur. Volumus autem, ut si concio intra Missam habetur, quaecumque promulgationes ad evitandam mentium distractionem usque ad finem Missae differantur. Ceterum conciones saltem ordinariae, ne prolixitate onerosae sint, ultra horae dimidium non facile protrahantur.

In majoribus urbibus, et praesertim cathedralibus providebunt Episcopi, ut iteratis per decursum anni vicibus, nec non diversis in ecclesiis conciones tempore pomeridiano vel vespertino habeantur; quum teste experientia non solum magis frequententur, sed et non pauci eorum fidelium, qui alias in audiendo divino verbo negligentes sunt, alliciantur. Opportunam habendis hisce concionibus extraordinariis occasionem praebent sacrata Adventus et maxime Quadragesimae tempora, quibus sanctissima, quae recoluntur, mysteria et dogmata fidei morumque nexu systematico magno cum fructu exponi poterunt. Simili modo mense Majo, cultui B. Virgini Mariae prae ceteris dicato, singulis diebus devotio vespertina occurrit, quae

---

[3]) De doct. christ. lib. 2. cap. 42.

[4]) Sess. V. de Ref. cap. 2.

convenienti sacro sermoni vel considerationi juncta, recentissimo tempore in pluribus provinciae hujus ecclesiis fieri et a fidelibus piissime frequentari consuevit. Concionibus extraordinariis ansam quoque praebent, et materiam subministrant singulares majoris momenti eventus temporis locorumque, qui dum animos occupant, corda ad excipiendum praedicationis verbum promptiora reddunt.

Hortamur etiam animarum pastores, ut sacro Quadragesimae tempore secundum methodum in sacris Missionibus usitatam parochianos suos pro diversitate sexus et status ad excipiendas peculiares instructiones convocent, quibus potissimum de singulis status sui officiis opportune doceri, et ad peragendam confessionem fructuosam dignamque Communionem paschalem optime praeparari poterunt. Pari modo illorum praxim magnopere laudamus, qui singulis Quadragesimae diebus, post Missam Evangelium diei praelegere et breves aliquas explicationes adjicere solent. Meminerint denique, optimam animarum curatis per catecheses pomeridianas offerri occasionem, qua etiam adultos pascere salutaribus verbis opitulante Deo continget.

Ut autem ad hujusmodi praedicationes officium salubriter exsequendum praecones recto animentur et agantur spiritu: divinum haud intermittant invocare veritatis doctorem et Paraclitum, qui solus claves habet, aperitque, quando vult, et potens est, ut verbis suis se insinuet fidelibus et corda penetret auditorum. Puram porro et sanctam iterum iterumque eliciant intentionem, ut solius Dei, non suam quaerant gloriam nec aliud sudoris praemium, nisi animarum salutem. Hunc in finem oculos protinus ad suam infirmitatem convertentes, admodum caveant, ne dum aliis praedicaverint, ipsi reprobi efficiantur. Quo tutius denique confidere queant, fore ut ministerium rite adimplentes partem habere mereantur cum iis, qui verbum Dei bene administraverunt ab initio: gregem Domini non verbo tantum sed proprio quoque exemplo pascere et docere non desinant; „grandis enim condemnatio est componenti qui-

dem sermonem suum, vitam vero et operam suam negligenti." [5]

Quia vero publica e sacro suggestu institutio omnimodis fidelium indigentiis succurrere nequit, quum neque ab omnibus frequentari neque omnium captui et conditioni perfecte accomodata esse possit: privata institutio accedat necesse est. Pastor bonus de omnium et singulorum salute sollicitus, etiam hac in re vestigia divini Salvatoris sequetur, qui ipsa nocte Nicodemum spirituali animae cibo nutrivit, nec non sanctorum Apostolorum, qui non cessabant in templo et circa domos docentes et evangelizantes Christum Jesum. [6] Omnibus omnia fieri satagens quavis utatur occasione, eam etiam ultro, quantum fas est, quaerens, ut privatis colloquiis lucem veritatis ignaris ostendat, vitiorum tenebras dispellat, animosque in viam salutis dirigat. In hoc autem officii sui munere obeundo utpote non raro difficultatibus pleno aetatem, conditionem et indolem eorum, quibuscum agendum est, cognoscere agendique modum ipsis conformare, effectus faustos provehere, sinistris autem occurrere nitatur, ut zelo ac charitate pastoris devicti, etiam qui antea noluerint, benevoli docilesque reddantur.

Parum vero intensissima pastorum cura proderit fidelibus, nisi ipsis animo libenti verbum Dei audire placuerit. Inde non tantum patres matresque familias, ut in audiendo verbo divino suis bono exemplo praeluceant, in Domino provocamus, sed et omnes et singulos fideles commonemus, ut quidquid ad cooperandum fructui praedicationis praestare potuerint, fidelissime praestent. Multa in hanc rem quoad ordinem advenientium, silentium et commodum audientium, et ipsam veritatis praedicatae cognitionem conferre poterunt. Maxime autem corda praeparentur et aptentur ad suscipiendam doctrinam Evangelii tamquam verbum Dei ad salutem; ea vero, quae percepta fuerint, ad propriae vitae emendationem studiose et humiliter convertantur.

---

[5]) Verba s. Chrysost. in Pharetra s. Bonav. lib. 1. cap. 15.

[6]) Joann. 3. — Act. Apost. 5. 42.

Et quoniam omnes singulorum indigentiae, dubitationes vel etiam sparsi errores a pastoribus animarum ultro sciri non poterunt: cum fiducia ipsi fideles, si quid difficultatis in rebus fidei et morum habuerint, ad eosdem accedant et sincera dubii expositione de veritate rei et regula agendorum edoceri se postulent in nomine Domini.

CAPUT VI.

De catechizandis parvulis.

Sancta Ecclesia sicut adultis propiciens a praedicando verbo Dei vel inter maximas numquam destitit angustias, ita et juventuti coelesti doctrina imbuendae inde a primordiis singularem navavit operam. Noverat quippe illud Siracidis effatum: „Filii tibi sunt, erudi illos et curva illos a pueritia;“ [1] noverat exemplum Salvatoris parvulos advocantis, amplexantis ac peculiari discipulorum curae solemni verbo commendantis: „Qui talem parvulum suscipit in nomine meo, me suscipit;“ [2] noverat, ad instar cerae molles esse parvulorum animas, formam quam imprimere libet, facile suscipientes, proinde terram bonam et optimam seminanti verbum Dei, et nonnisi ex infantibus bene educatis exsurgere populum fidelem, timentem Deum et ambulantem in viis ejus. Quo minus idcirco scholae, quae historia quoque teste e sinu Ecclesiae prodierunt et ea protegente et dirigente floruerunt, ab ipsa separari possunt et avelli, prout temporis injuria et saeculi impietas passim tentarunt, et quo magis Ecclesia officii et juris a Deo accepti sibi conscia scholas omnes, in quibus catholica instituitur et educatur soboles, suae directioni et inspectioni subjectas esse profitetur: eo majorem haec Synodus in erudienda juventute sibi commissa urget sollicitudinem et solertiam.

In primis ergo ad tradenda fidei rudimenta pastores animarum sedulo incumbant tum in scholis tum in ecclesiis.

---

[1]) Sir. 7. 25. [2]) Matth. 18. 5.

Scholas saepius per hebdomadem pro tradenda religionis doctrina frequentent, et ubi id ob scholarum numerum, sacerdotum penuriam et locorum distantiam fieri nequit, omni meliori, quo poterunt modo provideant, ne juventus in religiosa ignorantia adolescat. In ecclesiis autem parochialibus juventutem saltem diebus dominicis tempore pomeridiano congregent ad audiendam doctrinam christianam, quae non sit expositio Evangelii Dominicae vel Festi, sed aliqua pars Catechismi. Idem, in quantum vires suppetunt, in ecclesiis fiat filialibus, si quae adsunt, et per pagos a sede parochi remotiores, in schola vel alia decenti domo. Quum in plurimis hujus provinciae scholis ea sit erudiendae juventutis methodus ac dispositio, ut aliae disciplinae lingua discipulis vernacula, aliae autem idiomate altero in Bohemia occurrente tradantur: sedulo curandum est, ut catecheses lingua parvulis proprie vernacula habeantur, sed utique etiam cavendum, ne institutiones religiosae utcumque laudabilibus idiomatum exercitiis servire videantur.

Catecheses tum in scholis tum in ecclesiis unius horae spatium non excedant et extra scholam peculiaribus precibus vel piis canticis et inchoentur et finiantur. Preces sint orandi formulae usitatae et scitu necessariae: uti praeter orationem dominicam et salutationem angelicam Symbolum Apostolorum, actus virtutum theologicarum, et similia. Hymni et cantica eo tendant, ut adamato eorum usu mundanae et lascivae cantiones ab ore et auribus fidelium magis magisque arceantur. Quum juventutis in religionis doctrina bene instituendae tanta sit necessitas et gravitas, et sacerdotes ob insufficientem, quo apud nos sunt, numerum huic officio vix omnimode possint satisfacere, Patres in hac Synodo congregati vehementer exoptant et in Domino hortantur pastores animarum, ut praeter ludimagistros, fideles ac pios utriusque sexus laicos inducant ad pueros et puellas in religione instituendos, erigendo vel resuscitando sodalitatem christianae doctrinae, ab ultima Synodo Pragensi tantopere commendatam et a sanctae memoriae Pio Papa V. largis Indulgentiis locupletatam. Sed et Catechistas

in genere nec non eos, qui catechizantur, Indulgentiis ditare Summorum Pontificum paterna cura non intermisit.[3]

Liber autem, cui in tradenda doctrina christiana omnino insistendum, Catechismus est, ab hac Synodo pro tota nostra provincia emendatius edendus, a quo recedere quemve alio commutare nemini licebit, ut una sit omnium institutio, et ne dissentientibus verbis ipsae veritates religiosae videantur esse diversae. Id eo magis requiritur, quum Catechismus totius institutionis religiosae sit quasi fundamentum, cui uberior per praedicationem verbi divini explanatio innititur et superstruitur; liber denique non parvulorum tantum sed et adultorum, quem ad doctrinam salutis tenendam legant relegantque.

Proficua institutionis religiosae methodus poscit, ut verba Catechismi fideliter memoriae mandentur; quibus videlicet definitae veritates revelatae instar pretiosi thesauri in congruente vase reconditae comprehenduntur. Memoriae autem impressa et imprimenda, ne verba sint mere sonantia, in suo sensu et nexu rite explanentur, quo facilius et firmius animis inhaereant, et cum fide retenta vere peculium animae spirituale efficiant. Quapropter diligenti studio adlaborabunt Catechetae, ut modo rectissimo tam fidei intimam persuasionem et certitudinem, quam doctrinarum, prout aetas fert, intelligentiam parvulis ingerant. Huic fini intenti illam tamen vitabunt methodum, quae ideas religiosas ex ipsis parvulorum mentibus ac si omnes illis essent insitae vel ab iis ipsis inveniri possint, evolvere nititur; a Deo enim revelatae, semper etiam tamquam revelatae monstrari et doceri debent. Abstinebunt quoque ab omni demonstratione inadaequata argumentisque debilibus, quae fidem non firmant, sed potius labefactant. Meminerint, tradentes doctrinam religionis cooperari Spiritui sancto, qui per baptismum animis parvulorum habitum fidei infudit, quem ipsa sedula institutione, opitulante nimirum eodem sancto Spiritu, ad actum promoveri oportet. Quum autem finis legis sit cha-

[3]) Constit. Paul. V. „Ex credito nobis" de die 6. Octob. 1607. Constit. Clement. PP. XII. „Pastoralis officii" de die 16. Maji 1736.

ritas et fides operibus debeat monstrari, singulari cura studeant veritates religiosas non memoriae tantum et intellectui sed et cordibus parvulorum inserere et in eorum praxim et vitam deducere.

Quae omnia quo certius et salubrius fiant, Catechetae ad instituendam juventutem non nisi rite praeparati accedant. Resuscitantes gratiam quae in eis est per impositionem manuum, divinae missionis et gravissimi sui muneris conscii, prudenti fervore et patienti amore parvulis Christi frangant panem vitae aeternae et lacte coelestis eos nutriant doctrinae.

Tenellum gregem in doctrina religionis instituentes non omnes muneris sui partes se putent explevisse. Ipsorum enim est, providere quoque, ut juventus, quae in scholis didicerat, vita et moribus teneat. Quapropter occasionem illi praebeant exercitiorum vitae vere christianae, eamque propria quasi manu in illa inducant; confessiones ejus benigne excipiant, teneram devotionem erga sanctissimum Sacramentum, Deiparam Virginem et Angelos Custodes, prout obedientiae et puritatis amorem cordibus instillent, fidei vero et innocentiae periculosa removeant; commercia atque scripta, quae religiosae et morali integritati ejus perniciem minantur, prohibeant; in genere invigilantes conversationi bonos confortent, labentes erigant, malos coërceant. Pia eorum de juventute bene educanda conamina multum juvabunt selecti libri, adultioribus porrigendi; hinc ad quamvis scholam, saltem in omni parochia procuretur bibliotheca curae commissa Catechetarum, qui libros indigentiis petentium congruentes distribuant. Libri comparentur non phantasiis, etiamsi piae videantur, nimium indulgentes sed tenoris potius historici, vel qui aliis modis salubriter instruunt; simul autem continuo vigilandum, ne nimis frequenti librorum porrectione periculosus legendi pruritus excitetur, quo abrepta labilis juventus propinatum perversae lectionis poculum vix sciet declinare fortive brachio projicere.

CAPUT VII.

De scholis elementaribus.

Finis scholis catholicis positus quum attingi nequeat, nisi omnia, quae ibi aguntur, cooperentur: hinc reliqua etiam juventutis per ludimagistros institutio Episcopis in hac Synodo congregatis summopere cordi est.

Decernunt propterea, ut in scholis sic dictis elementaribus nulli omnino pro tradendis materiis etiam profanis adhibeantur libri, nisi Episcoporum quoque judicio probati. Doctrina ipsa nil contineat rectae fidei bonisve moribus minus conforme; quin imo omnem parvulorum institutionem spiritus religionis penetret, ideoque singulae materiae, in quantum ferunt, ad religionem ceu educationis centrum referantur et nonnisi catholico sensu parvulis proponantur. Ludimagistri vero meminerint, principale muneris sui officium esse, ut in parochia primos se exhibeant et fidelissimos Ecclesiae filios, quippe qui ab ea sumentes muneris sui dignitatem, animarum pastoribus proxime juncti, eorum in pascendo adolescente Christi grege adjutores vocati sunt. Hinc docendi in scholis christianis provinciam adgredientes professionem fidei a Concilio Tridentino praescriptam coram dioeceseos Scholastico vel foraneo Episcopi Vicario emittant. Eadem ex causa sacerdotum catechesibus pie auscultantes intersint, easque puerorum memoriae diligenti repetitione imprimant, ac uberiori simul et firmiori eosdem historiae biblicae cognitione per frequentem in scholis lectionem imbuere satagant. Profanas autem tradentes materias omni utantur occasione ad sensus religiosos in parvulorum cordibus promovendos et sanctae vitae proposita vel excitanda vel fulcienda. Institutioni, quae intellectum illuminat et voluntati motiva offert, rationabilem Deoque placitam jungant disciplinam, qua deficiente videlicet ingenii petulantia intellectum, carnisque concupiscentia voluntatem infringit. Denique juventuti sibi creditae pietatis omniumque vitae vere christianae virtutum praebeant exemplum, scientes illum tan-

tummodo, qui fecerit et docuerit, magnum praedicari in regno caelorum.

Quae ut a ludimagistris ad amussim observentur, pastores animarum aeque ac Vicarii foranei et scholarum Inspectores invigilabunt, et omni solertia et charitate juvando imo et impediendo procurabunt. De juventute bene meritos honore et praemio dignos habebunt, debiliores in implendo munere consiliis adjuvabunt, negligentius agentes impellent; si qui officio suo desunt, monebunt eos lenius primum et dein severius, inflexibiles vero, praeprimis fidei morumque violatores missa indulgentia, quae non ex Deo est, Episcopis denuntiabunt. Etenim „in ludimagistrum assumendi fides et conversatio intemerata sit oportet. Loco movebitur, qui a recto tramite deflexerit." [1]) Ne autem solummodo officiorum videamur esse memores et socordiae vindices, quumque operarius dignus sit mercede sua, omnes, quorum interest, serio hortamur et obtestamur in Domino, ut debita ludirectoribus stipendia, quae congrua et honesta sint, libenter atque fideliter reddant, miseriori vero plurium conditioni quoquo modo occurant.

Gravissimi porro momenti efformationem ipsorum ludimagistrorum censemus ideoque optamus, ut ludirectores ipsi praesertim ruri pueros in scholis ingenio moribus necessariisque animi dotibus eminentiores ad magistrorum munus, quantum fieri poterit, praeparare et instituere satagant. Quae autem in provinciae hujus dioecesibus paedagogia seu ludimagistrorum seminaria eriguntur: Episcopo omnino subsint, ejusque cura suam ad Ecclesiae mentem accipiant et servent formam. Ludimagistris autem erudienda juventute jam occupatis, quo peritius in dies et salubrius munere suo honorifico aeque ac meritorio fungantur, Synodus praesens spiritualia commendat exercitia, ad quae peragenda quotannis diebus ac locis opportunis praebeatur occasio, qua ut lubentes atque fervidi utantur, ab animarum pastoribus pie invitentur et excitentur. Item

---

[1]) Convent. int. Sum. Pontif. et Austr. Imp. Artic. VIII.

collationes magistrorum habeantur, prout ab Episcopo ordinabitur. Quum recentiori tempore fratres et sorores Regulares, qui a scholis nomen habent, singulari suo in moderanda juventute fervore et probata aptitudine maximas ubique laudes promeruerint: Episcopi hujus provinciae ardenter exoptant, ut ubi fieri poterit, salvis utique ludimagistrorum saecularium juribus jam acquisitis, ad regendas puerorum et puellarum scholas praesertim in majoribus dioecesium civitatibus advocentur.

Scholas optimo quoquo modo in singulis coetibus constitutas juventus frequentet necesse est. Quare pastores animarum parvulos ad diligentem et continuam scholae, nec non catechesium frequentationem blandis verbis et vel praemiis alliciant; ubi Episcopo expedire visum fuerit, dimidiato etiam die minores et majores alternis vicibus congregent, tum publicis ex ambone concionibus tum privatis exhortationibus parentes officii sui moneant, reluctantibus leges civiles hac de re latas in memoriam revocent; declarantes, sponsos deficientibus de frequentata schola et doctrina christiana testimoniis difficulter et nonnisi acquisita demum ac severe explorata Catechismi scientia promulgari posse; ubi haec non sufficiunt, auxilium regiminis civilis requirant. Si autem nihilominus alicubi invenirentur, qui institutiones in ecclesiis et scholas frequentare penitus non possent: hos diebus et horis opportunis ad elementa fidei addiscenda convocare et peculiari illorum instructioni operam impendere, bonos animarum pastores non pigebit.

Plane singulari eorum curae pioque zelo juventutem in fabricis delitescentem commendamus. Studeant parochi fabricarum possessores ad erigendas in ipsis fabricis scholas peculiares movere vel eo saltem inducere, ut statutis temporibus fabricas adire et juventutem ad excipienda fidei morumque rudimenta congregare possint. Dominos autem fabricarum per amorem Christi obtestamur, ut illorum, quorum ad augenda hujus vitae commoda utuntur laboribus, spirituali commodo paratissimi provideant, et vel ideo non tantum nulla pastoribus obstacula ponant, sed potius eorum conaminibus

proprias vires conjungant, imo ipsi eorum desideria praeveniant. Meminerint quaesumus, omnes et singulos, quotquot in suis fabricis operarios et famulos numerant, ante omnia Regi saeculorum famulari debere, et supremi quoque Domini operarios appellari, nec non una nobiscum illi familiae adscriptos esse, pro qua Dominus noster Jesus Christus non dubitavit manibus tradi nocentium et Crucis subire tormentum. Hinc illos etiam in implendis christiani hominis officiis non solum nullo modo impediant, sed fidei et moribus eorum invigilantes, seductionis pericula avertant; omnia vero, quae saluti eorum prodesse possunt, paterna sollicitudine procurent.

Quae de scholis publicis statuta sunt, etiam quoad privata erudiendae juventutis instituta, in quantum horum natura fert, observentur, quum non minus ac illae Episcoporum et parochorum inspectioni subjecta sint. Hinc scholae privatae non erigantur, nisi de scientia et assensu Episcopi; directores autem viri sint fide et conversatione probati et in tesseram, quod bene praefuturi sint, professionem fidei emittant; in omnibus tandem hujusmodi scholis doctrina religionis a sacerdote tradatur per Episcopum designato vel approbato.

Ut, quae de scholis sancita sunt, eo rectius observentur, praeter Vicarios foraneos annuae visitationis officio satisfacturos, Scholasticus dioeceseos, quoties Episcopo visum fuerit, peculiari inspectione providebit.

CAPUT VIII.

De scholis mediis.

Quantum momentum sit scholis gymnasialibus aliisque, quae inter elementares et superiores intermediae sunt, vel ex eo liquet, quod in iisdem cultiorum classium maxima pars formatur, omnesque ex iis prodeunt, quibus potissima tum Ecclesiae, tum Reipublicae munera creduntur, ad quos proin oculi omnium speculabundi diriguntur, quorumque exempla

facillimos inveniunt imitatores. Accedit, mediarum scholarum discipulos ejus aetatis esse, quae quoad fidem et honestatem morum seductionis periculo maxime obnoxia esse solet. Saluberrime propterea Concordiae actu inter Summum Pontificem et Augustissimum Austriae Imperatorem sancitum est, omnem juventutis catholicae institutionem in cunctis scholis conformem fore doctrinae religionis catholicae, et Episcopos ex proprii pastoralis officii munere religiosam juventutis educationem in omnibus instructionis locis directuros et advigilaturos, ut in quavis tradenda disciplina nihil adsit, quod catholicae religioni morumque honestati adversetur. Antistites itaque hujus provinciae rationis Deo reddendae numquam non memores, omnium quae mediae dicuntur, scholarum inspectionem summa solertia exercebunt vel ipsi, vel per sacerdotes delegatos; quorum erit, instructionem a suis Episcopis scripto acceptam fideliter sequi. Suprema omnium, quae in his scholis aguntur, regula eodem Concordiae actu provide sancita postulat, ut omnis institutio ad vitae christianae legem cordibus inscribendam pro rei, quae tractatur, natura composita sit. [1]) Quam normam ut omnes scholarum mediarum moderatores sincerrissima fide custodiant, Episcopi in hac Synodo congregati pro officii sui gravitate ardentissime desiderant, et cunctorum, ad quos pertinet, religioni atque comitati in nomine Domini commendant.

Hinc praeprimis religionis catholicae magistri pro hisce scholis constituti paterne monentur, ut excelsam vocationem suam jugiter meditantes, muneris auctoritate episcopali collati ac demandati partes virili contentione implere nitantur. Cumque religio nequaquam in vagis, prout nonnulli praetendunt, imaginationibus obscurisve et tempore tentationis inefficacibus sensionibus consistat, et fideles maxime cultiores clara fidei cognitione et persuasione religiosa firmissimis rationibus innixa indigeant: juvenes sibi creditos provide pensatis eorum

---

[1]) Artic. V. et VII.

indigentiis et saeculi hujus injuriis in doctrina religionis solidissime instituant, ut eorum fides inconcussa stet, fidemque voluntas sequatur firma et laetabunda. Libros autem, quibus doctrinam Ecclesiae tradentes fideliter inhaereant, Episcopi summa cura eligent, nullosque non praemisso rigoroso examine admittent.

Quum autem religio in adolescentium animis, nisi exercitio, firmari nequeat: Catechetae officio suo rite satisfacturi juvenes ad fidem exercendam peculiari studio inducant oportet. Ut proinde studiosa juventus quotidie sanctissimo Missae Sacrificio devote intersit, occasionem et motiva praebeant; dignitati et splendori cultus divini sedulo consulant, ipsosque juvenes stimulent, ut communis adorationis loca et officia habeant dilectissima, etiam propriis studiis ornanda et augenda. Quum ad fidem et pietatem juventutis firmandam religiosa Sacramentorum frequentatio plurimum conferat: hinc plane singulari Catechetarum curae confessiones juvenum tamquam rem momenti gravissimi commendatas volumus. Solertissime curent, ne juvenes sacerdoti cuivis obvio et modo huic modo illi confiteantur, sed e probatis probatissimos confessarios, eosque vitae suae spiritualis duces sibi eligant, quibus quum hujusmodi paternae directionis beneficia felices experti fuerint, saluti suae prospecturi etiam e schola egressi conscientias tuti pandebunt credentque ulterius dirigendas. Exercitia spiritualia ante Communionem paschalem usitata omni meliori, quo fieri poterit, modo dirigantur, ideoque ut fructum plus afferant, per alium sacerdotem, pluribus quam hucusque horis et diebus, praemissa de recto eorum usu instructione et tradito juvenibus servando exercitiorum ordine habeantur. Sed et his omnibus minime acquiescentes religionis magistri moribus et conversationi juventutis ceu boni pastores invigilent; visitent studiosos in domibus, praesertim aegrotos eosque de recipiendis Sacramentis moneant; aetate maturioribus, si dubiis circa fidem vexantur vel quoad morum honestatem periclitantur aut jamjam lapsi fuerint, benigna et patienti charitate succurrant

et in hujusmodi animarum cura nec tempori nec labori parcant. Ut porro finem muneri suo praepositum uberius assequantur, pias inter studiosos sodalitates, prout olim moris erat, adprobante Episcopo erigant; quae si bene diriguntur, studiosis non tantum sat amplum exercitii in fidei charitatisque operibus campum aperiunt, sed et conservandos in vitae innocentia et integritate vel ideo plurimum adjuvant, quia communis plurium exercitatio animum addit, aemulationem excitat, actuosum juvenum animum regulae et ordini subjicit et ad salutaria conamina dirigit. Accedit, illos, qui in scholis ejusmodi sodalitatibus nomen dedere, easdem in posterum vix derelicturos esse, vel ad religiosas virorum consociationes transituros.

Ceterum de scholarum statu sincere cum delegato Episcopi conferant ejusque consilia sequantur. In relationibus exeunte anno per scholarum directores ad Episcopum mittendis viriliter postposito respectu humano veritatem pandant, aliisque etiam occasionibus prout in Domino opportunum videbitur, vota ac desideria sua quoad scholarum conditionem Antistiti libera voce exponant. Quum autem catechetici muneris plura, quam reliquorum sint officia, tantaque religionis dignitas et gravitas, Episcopi curam adhibebunt, ut religionis magistri reliquis studiosae juventutis moderatoribus honore et stipendio pares habeantur, utque pro tradenda religionis doctrina, cujus praescripta materia temporis spatio hucusque concesso experientia teste absolvi nequit, plures per singulas scholarum classes horae assignentur.

Reliquos scholarum mediarum magistros, quum alioquin ex actu Concordiae nonnisi viri catholici esse debeant, per viscera charitatis Christi obtestamur, ut in omnibus nobilissimos fidosque se exhibeant Ecclesiae catholicae filios, et sacerdotalis in excolenda juventute muneris cooperatores paratissimos. Nolumus monere, ut meminerint, stipendia, in mercedem laboris eis assignata, Catholicorum pecunias esse, quum bona, quae fundos religionis et studiorum constituunt, prout

Conventio palam agnoscit, ex eorum origine ad Ecclesiae proprietatem spectent et Ecclesiae nomine administrentur.[2]) Viris potius cultura ingenuis iisque catholicis ex corde fidentes speramus in Domino, fore ut quanto magis scientiarum lumine clarescunt, tanto majori auctoritate et fructu cooperari ad aeternam creditae sibi juventutis salutem satagant.

Hinc in religiosa et morali adolescentium efformatione magistros religionis, quibus hac in re primae partes debentur, fide non ficta et corde lubenti, quantum potuerint, juvare non dubitent; sed etiam scientiarum, quibus ex officio proprio juventutem excolunt, doctrinas spiritu et sensu catholico tradant, quippe quo variae mentis humanae cognitiones unius veritatis vinculo junguntur. Cooperandi hoc modo ad vitae christianae legem cordibus juvenum inscribendam, quaelibet profecto disciplina copiosam et opportunam suppeditat occasionem magistro, fidei catholicae pariter ac scientiae lumine irradiato, qui vel ideo Verbum incarnatum prout totius mortalium vitae, sic etiam omnium scientiarum Alpha et Omega, principium et finem esse securus credere docensque profiteri didicit. Cum autem verbis utcumque persuasibilibus efficacius vivum vitae sit exemplum; studiosae juventutis moderatores omni, qua pollemus, auctoritate hortamur, et pro sancta, qua omnibus obstringimur, charitate enixe rogamus, ut sincera et solida in religionem et Ecclesiam pietate, cultus divini et Sacramentorum veneratione rectoque usu, religiosa doctrinae et praeceptorum Ecclesiae observatione, omni denique sua conversatione juvenibus praeluceant. Qui muneri magistri vere christiani satisfecerint, omni aestimatione et honore digni sunt; nomina eorum non tantum in terris grata recolentur memoria, sed scripta simul erunt in libro vitae aeternae, testante Scriptura: „Qui docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti, et qui ad justitiam erudiunt multos, quasi stellae in perpetuas aeternitates.“ [3])

---

[2]) Artic. XXXI.

[3]) Dan. 12. 3.

Quae quum magistris laicis diximus, eo magis dicta esse volumus sacerdotibus profanae scientiae magistris. Turpissima macula sanctum Christi Sacerdotium dehonestarent, qui huic adscripti eo temeritatis progrederentur, ut christianam juventutis catholicae educationem non solum non promoverent, sed doctrinis aut exemplis pessumdarent, et ita, quos Dominus vocavit non amplius servos sed amicos suos, Crucis inimicis sociarentur.

Haec de publicis gymnasiis et reliquis scholis mediis statuta etiam ad scholas, quae privatim habentur, extendimus, non mutatis, nisi quae harum indoles mutari poscit.

CAPUT IX.

De literarum Universitate.

Juventutis memores, cujus rectae efformationi omnis temporis futuri spes innititur, Patres in hac Synodo congregati ad almam literarum Universitatem, quae in ista provincia unica existit et cujus Cancellarius Metropolita est, oculos non convertere non possunt. Quanta Ecclesiae sint de Universatibus merita, quanto studio quantisque favoribus eas ceu prae ceteris sibi dilectas filias inde ab earum origine prosequuta fuerit, historia luculenter loquitur; praesidio enim maxime Ecclesiae tamquam scientiarum speculae in summo reipublicae collocatae fuerunt fastigio. Quum et hujus urbis Universitas a piissimo Carolo Imperatore IV. erecta, a Clemente Papa VI. confirmata ad catholicos fines instituta sit et usque hodie catholicis bonis sustentetur: nil vehementius exoptamus, quam ut Deo largiente antiquissima haec et celeberrima per Germaniam scientiarum palaestra avitam suam conservet famam et gloriam, et incrementa in dies laetiora capiat, atque insigne regni Bohemiae decus semper appellari mereatur. Quod ut fauste et feliciter eveniat, speramus et spem nostram palam profitemur, fore ut catholicorum Professorum junctis conatibus characterem fundatione expressum religiose servet et comprobet. Arctissimo

enim vinculo scientiae prout inter se, ita religioni copulantur. „Omne datum optimum et omne donum perfectum, inquit Apostolus, „desursum est descendens a Patre luminum"; [1] Christus Dominus, „in quo sunt omnes thesauri sapientiae et scientiae absconditi", [2] mentem humanam a gravissimarum rerum incertitudine et errore liberavit, et Spiritus sanctus, quem nobis misit doctorem veritatis, per prophetam appellatur spiritus sapientiae, intellectus et scientiae. Idem vero Spiritus sanctus ait: „In malevolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis." [3]

Exinde omnium, qui in Universitate munere docendi funguntur, prima certe lex erit, ut supremum omnis scientiae principium videlicet veritatem suspiciant, quae pretiosissimum animi bonum et illud societatis vinculum efficit, quo omnis doctrina ingenuarum et humanarum artium continetur, et quae rivos suos ex uno fonte Deo videlicet, et radios suos tamquam ex increati et divini solis splendore derivat, modo utique diverso et cuilibet scientiae peculiari. Veritati itaque, quae revelationi omnino consentit, indagandae et funditus acquirendae omnes impendant vires; ei cognitae et acquisitae, evitatis errorum commentis, fidele ac generosum verbo scriptisque testimonium praestent. Cognoscendae autem veritatis primum subsidium erit cor purum et rectum, quod nullam transactionem cum mendacio admittit, sed sincero et invicto amore veritatem jugiter profitetur. Eodem veritatis amore discipulorum suorum corda repleant, eos ad solida et indefessa studia inducant et vel ita contra adolescentis aetatis crescentia pericula muniant; ab illicitis quibuscumque eos revocent, ad honestissima quaeque verbo et exemplo moveant, ad servanda praesertim fidei catholicae praecepta et ad vitae vere christianae exercitia tum salutaribus monitis tum propria religione eos inducere, non inter ultima muneris sui referant officia.

---

[1]) Jac. 1. 17. [2]) Colloss. 2. 3. —
[3]) Sap. 1. 4.

Studiosos autem juvenes, almae nostrae Universitatis alumnos paterne monemus in Domino, ut munium, ad quae obeunda proxime praeparantur, gravitatem numquam non prae oculis habentes, summam quidem industriam profectui in literis impendant; dum vero scientiis vacant supereminentis scientiae Jesu Christi non obliviscantur, ex qua omnes reliquae disciplinae decorem et incrementum hauriunt. Ideo quaecumque bona et egregia in primo studiorum curriculo exercuerint, perseverantes custodiant et hominis christiani partes viriliter impleant, ut quantum in scientiarum cultura, tantumdem et vel plus in virtutis studio profecisse dignoscantur. Haec enim est illa sapientia, de qua dicitur: „Praeposui illam regnis et sedibus, et divitias nihil esse duxi in comparatione illius. — Super salutem et speciem dilexi illam et proposui pro luce habere illam; quoniam inextinguibile est lumen illius.“ [4]

---

[4]) Sap. 7. 8—10.

TITULUS III.

DE CULTU DIVINO.

CAPUT I.

De sanctissimo Missae Sacrificio.

Cultus divini praecipuus actus sacrificium est. In eo quippe omnia perfectissime comprehenduntur, quae Deo summo, bonorum omnium largitori, quem nihilominus tamen innumerabilibus peccatis et negligentiis offendimus, justissime debemus. Quod vero desideria gentium efflagitare tantum et antiqui Foederis figurae praesignare poterant, impletum fuit cruenta divini Salvatoris oblatione, quam in ara Crucis semel peregit, sed usque ad consummationem saeculi permanere decrevit, et incruento modo innovari et continuari jussit in sanctissimo Missae Sacrificio, ut salutares uberrimique suae passionis fructus in homines semper redundarent. „Quae quidem oblatio ineffabili prorsus fructuum ubertate redundans praesentem aeque ac futuram vitam complectitur. Ea enim oblatione placatus Deus gratiam, donumque poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, ac licet peccatis nostris graviter offensus, ab ira ad misericordiam, a justae animadversionis severitate ad clementiam traducitur; ea temporalium poenarum reatus et obligatio dissolvitur; ea defunctorum in Christo animae nondum ad plenum purgatae sublevantur; ea obtinentur quoque temporaria bona, si tamen potioribus non officiant; et Sanctis et imprimis Immaculatae sanctissimaeque Dei Genitrici Virgini Mariae eximius quidam honor cultusque conciliatur.“ — „Idcirco sancta Mater Ecclesia sancto divini sui Sponsi ditata thesauro numquam destitit, omnem curam, operam diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a sacerdotibus, quanta maxima fieri

posset, interiore cordis munditia et puritate perageretur, debitoque sacrarum caeremoniarum ac rituum apparatu cultuque celebraretur. — Ac pari sollicitudine studioque ipsa pientissima mater numquam cessavit, suos fideles filios commonere, hortari et inflammare, ut ea, qua oportet pietate, veneratione ac devotione ad hoc divinum Sacrificium frequentissime convenirent." [1]) Verbis hisce Sanctissimi Patris nostri Pii PP. IX. propriam consulto fidem testantes ad augendam honorificentiam augustissimo Novae Legis Sacrificio debitam sequentia decrevimus innovanda:

1. Omnes et singulos sacerdotes propter Deum instanter provocamus, ut pari fide, qua se strictissima jejunii corporalis obligatione devinctos agnoscunt, ab omni quoque culpa jejunantes, divinam placationis Hostiam puris manibus et mundo corde litare mereantur. Nemo propterea labis lethalis sibi conscius, quantumvis contritus sibi videatur, non praemissa sacramentali confessione, ad mensam caelestem accedere praesumat, excepto casu urgentis necessitatis, quo eveniente saltem contritionem cum Sacramenti voto elicere conetur et quamprimum confiteatur. [2]) Sed et de illis levioribus maculis, quibus humana fragilitas quotidie exponitur, sincero corde dolere Deumque piis precibus placare non omittant, priusquam sanctissima tractare mysteria aggrediantur. Quumque eos minime lateat, quanto mysterio divinum Officium et Missae Sacrificium inter se cohaereant: illam non temere negligant Missalis rubricam, qua ante Missam etiam privatam, saltem Matutinum cum Laudibus, quantum fieri potest, persolvere jubentur.

Celebraturi pro opportunitate praeparationem in Missali Romano descriptam devote persolvant, sacrisque paramentis induti omnia vitent, quae mentem distrahere possint, sed

---

[1]) Epist. Encycl. S. D. Pii PP. IX. de die 3. Maji 1858. „Amantissimi Redemptoris." confer S. Conc. Trid. Sess. XXII. Decret. de observ. et evit. in celebr. Missae.

[2]) Ibidem Sess. XIII. de Euchar. cap. 7.

sollicití de peragendo tremendo mysterio pia ejus consideratione devotionem in se excitare satagant. Post Missam autem praescripta gratiarum actio persolvatur, cui quantum fieri poterit, pii sacerdotes ante discessum congruam meditationem jungere solent. Quum enim apud Deum pro perceptis donis gratitudo secura sit alterius beneficii impetratio: tanto plures salutiferi Sacrificii fructus profecto colliget sacerdos, quo diutius et ferventius cum Domino et Deo suo benignissimo hospite fuerit collocutus.

Cum sacri ritus et caeremoniae, quibus Ecclesia ex Apostolica traditione et avita disciplina in Sacramentorum administratione divinisque officiis utitur, magnam christiani populi eruditionem veraeque fidei protestationem contineant, fidelium mentes ad rerum altissimarum meditationem sustollant, et devotionis etiam igne inflamment: [3]) gravi profecto peccato conscientiam suam macularet sacerdos, qui receptos et approbatos Ecclesiae ritus notabiliter negligeret, pro libito omitteret et in novos immutaret. [4]) Habet praeprimis Sacrificium Missae multos eosque maxime insignes et sollennes ritus, quorum nullus supervacaneus et inanis existimandus est, sed omnes eo spectant, ut et tanti Sacrificii majestas magis eluceat, et ad rerum divinarum, quae in eo Sacrificio occultatae sunt, contemplationem fideles excitentur. [5]) Quare omnibus sacerdotibus graviter injungimus, ut ordinem, ritum et caeremonias, prout in Missali secundum usum sanctae Romanae Ecclesiae describuntur, in Missis tum privatis tum solemnibus sedulo pieque custodiant, eo magis, quum in faciendis ritibus unitas eademque ubique locorum observantia ad promovendam fidelium aedificationem plurimum conferre dignoscatur. Abusus, qui fors sub nomine consuetudinum aut observantiarum praeter vel contra Missale Romanum in hac provincia irrepserint, etiamsi longa praeteritorum annorum serie quasi stabiliti vide-

---

[3]) Constit. Sixti PP. V. „Immensa aeterni Dei.“ de die 22. Jan. 1587.
[4]) S. Conc. Trid. Sess. VII. can. 13.
[5]) Catech. Rom. de Euchar. quaest. 81.

antur, tum quoad ritus, tum quoad cantum, praesenti decreto de medio tollimus et abrogamus.

Ne quid autem in tanto mysterio celebrando per incuriam vel ignorantiam admittatur, quod cultui Dei contumeliam adferre possit, omnes sacerdotes paterne monemus, ut rubricas Missalis saltem semel per annum cum industria perlegant, simulque decreta per Sacrorum Rituum Congregationem publicata ad amussim observent et ab eorum praescriptis nullo praetextu discedere audeant. Ut recentiora hujusce Sacrae Congregationis decreta quantocius Clero innotescant, Episcopi providebunt.

Quoniam in pristinis editionibus Missalis Romano-Bohemici, quae in hac provincia hucusque typis prodierunt, nonnulla praecipue circa Missas recentiores et Bohemiae proprias desiderantur, nova correctior editio Missalis Romani, Constitutionibus Apostolicis [6]) perfecte respondens procurabitur, cui Missae Sanctorum, quae ex immemorabili consuetudine vel ex Indulto Apostolico in nostra provincia celebrari solent, salvo Corpore Missalis adjungentur. Conscientiis consulturi Episcopi Sanctam Sedem adibunt supplicantes, ut saltem in ecclesiis pauperibus usum Missalium, quae quopiam modo imperfecta reperiuntur, benignissime concedere dignetur, usque dum consumantur.

Vehementer porro cupimus, ut divina mysteria ab omnibus et singulis sacerdotibus diligenter ac frequenter perficiantur, ne tantae dignitatis gradum otiose suscepisse videantur. Obsecramus itaque singulos, eosque virtute sacri Concilii Tridentini [7]) compellamus, ut, nisi alias quotidie obligentur vel legitime impediti fuerint, praeter dies dominicos et festivos sacrum Missae officium frequentissime peragant, prout munus eorum, maxime curae animarum, exposcit, et charitas Domini nostri Jesu Christi alioquin urget.

---

[6]) Clement. PP. VIII. „Cum sanctissimum“ de die 7. Julii 1604. et Urbani PP. VIII. „Si quid est in rebus“ de die 2. Sept. 1634.

[7]) Sess. XXIII. de Ref. cap. 14.

Cum nimia festinatio in celebratione Missae religiosas aures oculosque offendat et immodica prolixitas fastidium potius quam devotionem pariat, omnes celebrantes commonefacimus, ut utramque indecentiam vitantes, ordinarie mediam circiter horam Missae privatae impendant.

Missa autem celebretur tantum in loco ad hunc finem consecrato vel benedicto, super altari rite consecrato saltem portatili, et cum omnibus requisitis, quae ad Missam praescribuntur. In privatis sacellis et oratoriis numquam, nisi obtenta speciali facultate Apostolica, Sacrificium Missae offeratur.

2. Fideles vero per reverentiam et amorem erga augustissimum religionis mysterium obtestamur, ut sacrosancto Missae Sacrificio saepissime et ardentissime intersint; non diebus tantum dominicis et festivis, sed et aliis imo quotidie, quantum fieri possit, de fontibus Salvatoris hauriant aquam salientem in vitam aeternam. Nihil enim agere possunt, quo magis honoretur Deus; nec ullam novimus gratiam, quae non obtineri, nullum debitum, quod non solvi, nec infirmitatem, quae sanari non possit hoc mirando Christi Sacrificio, nullumque opus bonum, quo vivi et mortui queant efficacius juvari. Memores specialium fructuum, qui in pie adstantes derivantur, corde puro vel saltem poenitente, cum humilitate et fiducia accedant ad thronum divinae misericordiae, atque dum fide et timore pleni circumdant altare Dei, charitate ferventes mysterium charitatis devotissima mente concelebrent, se ipsos hostiam Deo immolantes, qui pro nobis Hostia fieri dignatus est.

Denique, sicut Israëlitae olim laeti sua dona offerebant ad digne construendam Dei habitationem, et prout primores christiani patresque nostri nihil antiquius habuerunt, quam majestati cultus divini per omnia providere: ita nostri quoque fideles templa et altaria Domini alacri studio ornare, ac sacro zelo accensi ad nitorem domus Dei decusque sacrorum mysteriorum omnibus viribus conferre in deliciis habeant.

CAPUT II.

De externo ordine in celebratione Missarum.

Cum omnes unum simus in uno corpore, quod est Ecclesia, omnesque de uno pane participemus, convenit omnino, ut dum in Sacrificio Missae peragendo uno eodemque ritu ab Ecclesia praescripto utimur, parem etiam ordinem externum servare studeamus, quem Apostolus commendat monens, ut „omnia honeste et secundum ordinem fiant." [1])

Rectores itaque ecclesiarum vigilabunt, ne vagi, ignoti aut aliunde suspecti sacerdotes tam saeculares quam regulares, qui testimonium a suis superioribus exhibere non possunt, ad divina officia celebranda admittantur. Sacerdotes peregrini, idoneis documentis et non vetustioribus quam unius anni provisi, una alterave vice ad Sacra facienda admitti possunt: diutius autem commoraturi ad Episcopum, et in districtibus a sede episcopali nimis remotis, quando res urget, ad Vicarium foraneum remittantur, qui causa cognita facultatem ad tempus largiri poterit, donec responsum Episcopi superveniat. Stabile in dioecesi domicilium fixuri pro licentia celebrandi Episcopum adeant.

Ut ordo divinorum officiorum, qui neque in omnibus locis idem esse, neque proprio cujusvis arbitrio relinqui potest, recte statuatur: Ordinarii adhibitis duobus Canonicis, quorum alter ab Episcopo alter a Capitulo eligatur, lustrato ordine hucusque observato in singulis ecclesiis definiant vel approbent ordinem Sacrorum, pietati fidelium et decori domus Dei maxime convenientem. Praeterea in unaquaque dioecesi Magister liturgiae principalis deputetur, qui strictae observationi caeremoniarum sacrarum invigilet, dubia occurrentia solvat, negligentesque officii admoneat. Pari modo functiones ecclesiasticae, in quibus major Clericorum numerus intervenit, per delectum caeremoniarum Magistrum ordinentur.

---

1) I. Cor. 14. 40.

Parochus ceu exemplum disciplinae et ordinis in obeundis sacris mysteriis, procul a nota cujusvis indifferentiae zeloso conamine suo ostendere debet, quomodo in domo Dei oporteat conversari, ut in omni actione ordo caelestis Jerusalem quasi per speculum appareat. Hinc officia divina ita ordinet, ut parochiani commode eis interesse possint. Idem fiat, si plures alicubi sunt sacerdotes; in locis majoribus autem, ubi plures ecclesiae patent, rectores earumdem mutua collatione in id conveniant, quod fidelibus utilissimum reputabunt. Hora statuta, pro arbitrio numquam mutanda, accurate servetur, ne cunctatione praesentibus taedium paretur aut negligentibus causa excusationis praebeatur.

Pia fidelium devotio vix augetur, si uno eodemque tempore in eadem ecclesia plures Missae succedentibus initiis simul celebrantur, cum quippe non pauci cuilibet Missae aliquam attentionem impendere cupientes, hoc ipso mentem plurimum distrahant. Quapropter hortamur ecclesiae rectores, ut, nisi evidens necessitas aliud postulaverit, suam cuilibet Missae horam assignent. Si vero eodem tempore plurium Missarum celebratio necessaria fuerit, una externo apparatu quasi solemnior in altari ecclesiae majori, reliquae autem omisso saltem campanularum pulsu et quantum fieri poterit, in capellis vel altaribus ab ecclesiae choro paulo remotis celebrentur.

Animarum pastores, dum populum de significatione caeremoniarum et omnium, quae in sacra liturgia fiunt, edocent, eum etiam de modo instruant, quo domum Dei ingredi ibique honeste sese gerere oporteat. Etenim pietas interna corporis quoque habitu externo testatam se facit; unde fideles, quum reverentiam sanctissimo mysterio et ipsi sacro loco debitam numquam non exhibere debeant, praesertim in Sacrificio Missae, maxime ab Elevatione usque ad Communionem sacerdotis Jesum Christum super altari praesentem summa humilitate, et vel ideo flexis etiam genibus adorare non intermittant. Multo magis indecentem strepitum, indignam confabulationem vel somnolentiam, ubi coram facie aeterni Regis comparent,

plane abhorreant. Parochi idcirco de istis rebus fideles quandoque ex professo edoceant vigilentque sedulo, ne quis tempore officii deambulare, nugas agere, Sanctissimo aversus sedere, altaribus vel fonti baptismali insidere audeat.

Praeterea ab ipso religionis christianae exordio et continua traditione receptum est, ut chorus pro Sacris faciendis assignatus solis Clericis pateret; quapropter assistentiam saecularium personarum cujusvis conditionis et sexus, in ecclesiis etiam Regularium, intra presbyterium et altarium septa, dum Missae aliave divina officia ibi celebrantur, districte improbamus.

CAPUT III.

De applicatione Missarum.

Missae fundatae cum consensu Episcopi susceptae secundum conditiones in fundationis instrumento appositas diebus statutis et alioquin non impeditis, etiamsi constituta eleemosyna temporum injuria, sive incuria administratorum imminuta fuerit, ab omnibus stricte et religiose persolvantur, nisi numerus earum per Sanctam Sedem Apostolicam vel per Episcopum facultatibus Apostolicis munitum circumscribatur.[1] Ecclesiarum rectores curabunt, ut Missarum fundationes in peculiari libro descriptae reperiantur; eorum quoque erit, procurare librum, in quo Missarum persolutio propria manu celebrantis notetur. Ne Clerus fundationum onere nimis arctetur vel ab officiis cura animarum quotidianis impediatur, nova Missarum onera, ubi alioquin sat magna antiquorum copia est, non facile suscipiantur. Cui rei Episcopus, penes cujus Curiam fundationes singularum ecclesiarum accurate recensitae sint, sedulo invigilabit.

Eleemosyna pro Missis adventitiis non suscipiatur minor

---

1) S. Conc. Trid. Sess. XXV. de Ref. cap. 4. — S. C. Conc. in Ferarien. 3. Mart. 1597. — Decr. S. C. Conc. de celeb. Miss. ex mand. Urbani PP. VIII. edit. 21. Jun. 1625; confirmat. ab Innoc. PP. XII. die 23. Dec. 1697.

illa, quam Ordinarius sive lege dioecesana praescripserit congruam, sive juxta peculiarem loci, temporum et personarum qualitatem admittendam declaraverit. Sed neque majori numero hujusmodi Missae recipiantur, quam cui ex offerentium intentione infra modicum tempus satisfieri possit. Acceptionem stipendiorum, et obligationis susceptae persolutionem sacerdotes accuratissime in proprio Missarum elencho adnotent. Pie solliciti, ut in re tam sancta non solum a vetitae pactionis labe, sed etiam ab omni quaestus et illiberalitatis specie longissime absint, recogitabunt utique, istis stipendiis inesse characterem eleemosynarum, quarum usus legibus Ecclesiae conformis sit. [2]

Cum omnis pontifex ex hominibus assumtus pro hominibus constituatur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis: neminem latere potest, sacrosanctum Missae Sacrificium ab animarum pastoribus esse applicandum pro populo eorum curae commisso, et hujusmodi obligationem ex divino praecepto descendere juxta Concilii Tridentini doctrinam. [3] Ut de hujus obligationis ambitu nullum omnino suboriatur dubium: saluti gregis Dominici divinitus sibi commissi provisurus Sanctissimus Pater et Dominus noster Pius PP. IX. Literas novissime dedit encyclicas, quibus exposita caelestium munerum uberrima copia, quae ex augustissimo Missae Sacrificio in orbem terrarum redundat, genuinam Sedis Apostolicae doctrinam de applicatione ejusdem Sacrificii pro populo clarissimis verbis dilucidavit, certamque normam et legem universalem constituit, ab omnibus parochis sedulo diligenterque observandam. Quas Literas debita reverentia suscipientes et in ipsa etiam hac Synodo communi sollicitudine episcopali promulgantes tenore ejusdem ordinationis Apostolicae declaramus, cunctisque, ad quos pertinet renuntiamus, parochos aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum

---

[2]) Conc. Trid. Sess. XXII. de observ. et evit. in celeb. Miss. — Constit. Benedicti PP. XIV. „Quanta cura“ de die 30. Jun. 1741.

[3]) Sess. XXIII. de Ref. cap. 1.

Missae Sacrificium pro populo sibi commisso celebrare et applicare debere tum omnibus Dominicis aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati ac translati sunt; quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum Urbani PP. VIII. Constitutio „Universa per orbem" in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur et transferrentur. [4]) Hujusmodi festa, quibus proinde Sacrum pro populo applicare oportet, sunt: Feria tertia Resurrectionis et Pentecostes; festum Inventionis s. Crucis; Nativitatis s. Joannis Baptistae; s. Josephi Sponsi B. V. M.; s. Annae Matris B. V. M.; Dedicationis s. Michaëlis Archangeli; Ss. Apostolorum: Andreae, Jacobi, Joannis, Thomae, Philippi et Jacobi, Bartholomaei, Matthaei, Simonis et Judae, Mathiae; Ss. Innocentium; S. Laurentii M.; s. Sylvestri Papae.

Quod vero attinet ad festos translatos dies, id unum excipitur, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum Officium translatum fuerit in Dominicam, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda; quandoquidem Missa, quae praecipua divini officii pars est, una simul cum Officio translata existimari debet. [5])

Ut autem quis praefatae obligationi, utpote diebus statutis annexae, interdum alio per hebdomadem die satisfacere sine gravi culpa possit: legitima requiritur dispensatio, quam Episcopi nonnisi parochis egentibus, quos revera tales esse noverint, concedere poterunt. [6])

---

[4]) Epist. Encycl. „Amantissimi Redemptoris" de die 3. Maji 1858. Confer: Urbani PP. VIII. Constit. „Universa per orbem" dat. Idib. Sept. 1642. et Benedict. PP. XIV. Lit. Encycl. „Cum semper oblatas" de die 19. Aug. 1744.

[5]) Encycl. „Amantissimi" supra cit.

[6]) Encycl. „Cum semper oblatas" supra cit.

CAPUT IV.

De sanctificatione dierum festorum.

Etiamsi semper orare, Deumque continuis fidei et pietatis exercitationibus colere oporteat, singularem tamen honorificentiam dies sibi vindicant, quos prae ceteris Deo sacratos, et communi cultui divino divinisque rebus consecrandos novimus; ut dum ab aerumnis quotidianis hujusque saeculi laboribus respirantes, Regi saeculorum immortali et invisibili, soli Deo honorem ac laudem referimus, tanto potiora pro donis oblatis divinae benedictionis pignora promereamus, spemque habeamus futurae requiei, quae adhuc est populo Dei. [1]) Quum autem inter praecipuos fontes, e quibus manat aevi nostri perversitas, merito referatur procax dierum sacrorum violatio, et dolentes fateri cogamur, pestem illam etiam nostras regiones invadere, ruinamque catholicae pietati minari in dies majorem: sanctissimo muneris nostri officio et ardentissimo fidelium salutis desiderio ducti, malo huic omni, quo fieri potest, modo occurrendum decernimus. Quapropter quae ad debitam diebus sacris honorificentiam pertinent, Ecclesiae sanctionibus et beatorum Patrum traditionibus innixi, Clero populoque fideli in memoriam revocamus.

1. Meminerint itaque fideles, diebus sacris primum et omnino grave catholicae professionis officium esse, ut nisi vera excuset impossibilitas, sacrosancto Missae Sacrificio intersint. Edoceantur a pastoribus animarum, quam facile etiam lethalis peccati culpam incurrant, qui in hoc praecipuo et sanctissimo actu cultus divini leviter agunt, aut notabiles partes Sacrificii praetermittentes aut debita attentione et devotionis intentione carentes. Potius ea pietate augustissimo Mysterio praesentes sint, ut tamquam veri adoratores, quos Pater quaerit, in spiritu et veritate Eum adorent, [2]) devotionem suam simul externo corporis habitu palam facientes.

---

[1]) Hebr. 4. 9. [2]) Joann. 4. 23.

Non minus porro fideles gravissimis pastorum verbis moneantur, et ipsa haec Synodus eos pro Deo et propter Deum commonet, ut eodem fervore, quo salutifera Missae sollennia frequentare oportet, ad verbi divini quoque praedicationem festinent, quum et illam ipsam ex antiquissima Ecclesiae disciplina Sacrificio Missae junctam esse et ad cultum divinum pertinere vix ignorare possint. Nihil profecto tam indignum Christiano, quam Christi verba contemnere aut negligenter audire, [3]) praesertim quum non tantum instructione in religionis doctrina, sed etiam cohortationibus et monitionibus indigeat, ut in stadio virtutis firmetur et contra pericula salutis muniatur. Exinde catecheses quoque, quae pomeridiano tempore habentur, diligenter frequentent, hac occasione augendae scientiae religionis omni utentes industria. Graviter praesertim officio suo deesset, qui res ad salutem necessarias ignorans, doctrinae christianae pabulum incuriosus pariter ac ingratus recusaret. Monemus praeterea, ut fideles quantum fieri poterit, etiam reliquis, prout decet, dierum sacrorum officiis divinis, Vesperis, Benedictionibus et Litaniis, lubenter ac devoti intersint. Hinc saltem alternatim ex singulis familiis aliqui accedant.

Sanctioni sacrae Synodi Tridentinae paratissimo corde satisfacturi fideles nostros cohortamur et obsecramus, ut quamvis in suis vicinis oppidis et suburbiis oratoria, capellas aliasve ecclesias habeant, ubi sanctissimo Missae Sacrificio interesse possint, frequenter tamen, dominicis saltem aliisque sollennibus festis diebus ad suam quique parochialem ecclesiam conveniant, sed et omnes singulosque praesenti decreto instanter monemus, teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei. [4]) Suis enim ovibus prae ceteris praeconium Evangelii exhibet paro-

---

[3]) Cat. Rom. p. III. cap. 4. quaest. 25.

[4]) Conc. Trid. Sess. XXII. De observ. et evit. in celebr. Miss. et Sess. XXIV. de Ref. cap. 4. Confer: Conc. Provinc. Mediol. VI. num. 6. de parocho et parochiis.

chus, cum eo conjuncti partem gregis Christi efficiunt, ab eo itaque praesertim „audiant, qui dies festi per hebdomadem colendi, quae vigiliae, jejuniave servanda sint, quae supplicationes, processiones vel stationes, orationes, indulgentiae, jubilaea indicantur; quae matrimoniorum denuntiationes fiant; quae item pro ratione temporum admonitu jussuve episcopali ad diligentiorem eorum institutionem promulgentur." Hujus rei gravitatem perpendentes meminerint, „non solum parochialem ecclesiam sibi datam esse, in qua primum baptismo suscepto Christo Domino renati, aliisque Sacramentis aluntur ad perpetuam salutem, sed parochum etiam sacerdotem sibi loco parentis esse debere; hoc proponentes, illum pro fidelibus sibi commissis apud Deum internuntium ac deprecatorem esse, divinae legis interpretem, a quo omne petant pie recteque agendi consilium, et ministerium omnium fere, quae ad salutem eis necessaria sunt." [5])

Parochorum autem maxima cura sit, frequentationem divinorum officiorum omnibus modis promovere. Praeter institutiones et monitiones, quae saepius fieri debent, cultum divinum populo dignitate et decore suavem et dilectum reddant; fidelium necessitati et commodo inservientes divina officia hora praestituta exactissime et strictissime incipiant, nimia nec brevitate nec longitudine eos aut scandalizent aut fatigent; horas vero ita disponant, ut inter Sacrum matutinum et Missam summam sufficiens temporis intervallum intercedat, quo fideles commode vices alternare possint. Similiter pomeridianum cultum divinum hora nec nimis matura agant, nec nimis in serum trahant; in quo peragendo ceteroquin Rituali pro hac provincia propediem edendo insistant.

2. Quo certius praeterea dies sacros devota Sacramentorum susceptione, pio cultu domestico, oratione, lectione sacra, meditatione sive privata, sive per familiam communi, nec non omnimodis christianae charitatis operibus sanctificare oportet: eo impensius fideles nostros rogamus et per amorem Dei obtes-

---

[5]) Idem Conc. Mediol. loc. supra cit.

tamur, ut a terrenis hujus saeculi desideriis et illecebris sollicite sibi caventes, alteram insuper legis sabbati partem religiosissime observent, quam Dominus his sancivit verbis: „Sex diebus operaberis et facies omnia opera tua. Septimo autem die sabbatum Domini Dei tui est: non facies omne opus in eo.“ 6) Quum enim finis legis sit, ut homo vacet rebus divinis, qui significatur verbis proxime praecedentibus: „Memento, ut diem sabbati sanctifices,“ quidcumque divinum cultum impedire possit, et omne servilis operis genus sub gravi peccato prohibetur; non quidem ac si sua natura aut turpe aut malum sit, sed quoniam mentem nostram a divino cultu abstrahit. 7) Vitentur ergo opera forensia, quae mentes a Deo avocant et quietem dierum sacrorum strepitu turbant, vitentur illa servilia, quibus homo homini servit, quaeque a corpore exercita ad meram mortalis corporis utilitatem ordinantur.

Quia vero, dum opera haec recensentur, circa nonnulla, utrum lege vetita sint, anceps haerere possit judicium: statuimus, ut ubi pietas fidelium pro more majorum in honorem Dei et sabbatorum ejus a talibus abstinere mavult, religiosa haec traditio et avita consuetudo retineatur et servetur. His de cetero non prohiberi opera, quae proxime ad cultum divinum spectant, vel quae necessitas sive propria sive aliena poscit, spiritus evangelicae legis loquitur et exemplum ipsius Christi Domini indubie docet.

Quum autem humana fragilitas excusationis causas, in propriis praesertim necessitatibus facile sibi confingere soleat: monemus fideles nostros, ut in casibus dubiis suo minime judicio acquiescentes, parochi potius sententiam sibi expetant, per quem alioquin urgente necessitate ad pacandam conscientiam dispensationis beneficio donari poterunt.

Ipsi autem animarum pastores in largienda pro casibus particularibus dispensatione neque justo faciliores neque etiam nimis severos se praebeant, et quo certius desiderata in hujusmodi remissionibus praxis aequalis vigeat: de principiis ob-

---

6) Exod. 20. 9—10. 7) Cat. Rom. loc. supra cit. quaest. 21.

servandis consilia in collationibus pastoralibus communicabunt. Una eademque agendi ratio potissimum requiritur, si tempore messis dispensatio ad fruges colligendas propter graves causas publice de ambone promulganda videtur. Ceterum in casu non urgente, et si quis dispensationem longiori termino valituram impetrare velit, recurrendum est ad Episcopum.

Quum diebus festis in laetitia sit populus Dei,[8] fidelibus minime prohibentur oblectationes, quibus animum relaxent viresque reficere velint. Gaudia vero, quibus indulgent, sint innocua, quae neque peccatum includant neque peccandi occasionem et pericula adducant. Quum enim omnium turpior sit servitus, qua homo peccato servit, secundum illud: „Qui facit peccatum, servus est peccati“: diebus Deo consecratis majori adhuc diligentia, quam opera servilia, a fidelibus vitanda sunt peccata, quae non solum animum a divinarum rerum studio avocant, sed nos a Dei amore prorsus sejungunt.[9]

Hortamur ideo praesertim caupones, eorumque conscientias graviter oneramus, ne turpis lucri gratia tempore, quo in templo panis caelestis fidelibus frangitur et fontes gratiae ad vitam aeternam adaperiuntur, hospites potus lususve causa detineant, nec ullo tempore domum suam locum diaboli esse permittant, ubi lingua luxuriante, lusu exorbitante, ebrietate vel aliis vitiis fideles veste gratiae despolientur et ad abyssum aeternae damnationis adducantur.

Coetus cujusvis christiana conversatio maxima ex parte pendet a patribus matribusque familias. Hos itaque cumprimis in Christo obsecramus, ut, sicut ipsi sanctis Dei et Ecclesiae legibus prae ceteris tenentur, domesticorum suorum curam habeant, ne sint deteriores infidelibus. Provideant itaque, ne suorum ullus sanctificandi diem Domini tempore et occasione privetur: illicitos labores iis neque imponant neque permittant: septimanae negotia ita disponant, ut pridie festorum et quidem ex antiquae pietatis more aliquanto citius finiantur, diesque sacri omnino feriati maneant; ad audiendam

---

8) Deut. 16. 15. 9) Cat. Rom. loc. supra cit. quaest. 21.

Missam cum concione vel catechesi, nec non ad cultum domesticum liberos et famulantes verbo et exemplo adducant, a perniciosis vero voluptatibus avocent et arceant. Sit iis aurea regula quam dux Israëlitarum Josue olim sibi posuerat: „Ego autem et domus mea serviemus Domino." 10)

Quae cuncta etiam fabricarum possessoribus et directoribus dicta esse volumus, quos in nomine Domini monemus et rogamus, ne sanctificatos Deo dies terreni quaestus causa violent aut violari patiantur atque ita divinae benedictionis loco judicis justissimi iram et maledictionem sibi et industriae suae thesaurizent. Operarios autem, sorti eorum compatientes per Salvatoris amorem rogamus, ut nisi strictissima urgeantur necessitate, aliquam egestatem potius sustineant, quam ut ad laborandum diebus sacris seduci se permittant. Fideles operarios non derelinquet Dominus, et Ipse profecto erit merces eorum magna nimis.

Item omnes, qui in singulis fidelium gregibus munere, eruditione, opibus praevalent, propriae et alienae salutis causa monemus, ut Deo gloriam dantes sacris praesertim diebus sese fideles Ecclesiae catholicae filios monstrent ac perinde subditis suis, praesertim minus cultis et pauperioribus in sanctificatione sabbatorum bono praeluceant exemplo.

Magistratus civiles insuper compellamus, ut saltem cultus divini tempore a negotiis forensibus abstineant et potestate, qua missi sunt ad vindictam malefactorum, laudem vero bonorum operum, propter Deum utantur, caventes videlicet, ne horis publico religionis exercitio dicatis diversoria aliaque emptionis et venditionis loca aperta maneant, neve servilibus in agris, officinis et fabricis, operibus dies sacri dehonestentur populoque, fideli scandala parentur. Vigilantes ut Caesari dentur, quae sunt Caesaris, jugiter meminerint, se strictam aliquando rationem reddituros, num et Deo dederint, quae sunt Dei.

Parochis denique injungimus, ut auctoritatem legis sabbati omnibus, quae praesto sunt, mediis Ecclesiae tueantur, prae-

---

10) Jos. 24. 15.

sertim ex his et proprio pastorali conamine fructus sperantes. Fideles praeceptum graviter violantes paterna monitione primum et adhibita omni cautela corrigant; obstinaces vero, praecipue si publicum scandalum dederint, severe corripiant et nisi resipuerint, ad nos deferant. Avitum pietatis morem per plurimos provinciae coetus vigentem, quo ducti fideles diebus quondam de praecepto festivis ad audiendum Sacrum concurrere solent, animarum pastores sedulo conservare et promovere studeant, invitentque parochianos, ut quum hisce diebus magno poenitentium concursu vix detineantur, opportuna hac occasione salutifera Sacramenta suscipiant.

CAPUT V.

De Cultu Sanctorum.

Deum adorandi officio obstricti Sanctos ejus quoque veneremur oportet. Non enim est Sanctorum veneratio nisi cultus Dei mediatus, quippe cujus majestas et benignitatis donum mirifice in iis resplendet, cuique servire Sanctorum exemplis efficacius adigimur, et intercessione juvamur. Ideo Spiritus sanctus idem, qui ait: „Soli Deo honor et gloria" praecepit: „Laudate Dominum in Sanctis ejus." [1])

1. Inter beatos Caelites una super omnes eminet sanctissima Virgo Dei Mater Maria, quam caelestium omnium charismatum copia mirifice cumulatam et „in primo instanti suae Conceptionis singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu, Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem", laetabundi profitemur. „Tota pulchra et immaculata, venenosum crudelissimi serpentis caput contrivit et salutem attulit mundo," et vel ideo plaudentibus populis salutatur „Prophetarum Apostolorumque praeconium, et honor Martyrum, omniumque Sanctorum laetitia et corona, tutissimum cunctorum periclitantium

---

¹) 1. Tim. 1, 17. — Ps. 150. 1.

perfugium et fidissima auxiliatrix ac totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix, ac praeclarissimum Ecclesiae sanctae decus et ornamentum firmissimumque praesidium;" quae cunctas semper interemit haereses et fideles populos gentesque a maximis omnis generis calamitatibus eripuit, in qua proinde jure meritoque cum Beatissimo Patre Pio IX. firmissimam reponimus spem, fore ut suffulta validissimo ejus patrocinio „sancta Mater Ecclesia catholica cunctis amotis difficultatibus cunctisque profligatis erroribus ubicumque gentium, ubicumque locorum quotidie magis vigeat, floreat ac regnet a mari usque ad mare, et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, omnique pace, tranquillitate ac libertate fruatur, ut rei veniam, aegri medelam, pusilli corde robur, afflicti consolationem, periclitantes adjutorium obtineant et omnes errantes discussa mentis caligine ad veritatis ac justitiae semitam redeant ac fiat unum ovile et unus pastor". [2]) Ex quibus liquet, cultum Deiparae, sicut plane singulari dignitati ejus debetur, ita quoque contra crescentia hujus aevi mala efficacissimum praebere remedium. Etenim cultus ille profecto flos est tenerrimus vivae et salutaris fidei, qua mysterium Incarnationis Domini amplectimur; dulcissimum ad omnes virtutes omnemque perfectionem christianam incitamentum, ac caelestis auxilii pignus certissimum. Inde magno cordis solatio commendamus ardentem pietatem populi nostri, qua Virginem Matrem venerari et ad plurima ejus, quae in hac provincia et viciniis habentur sanctuaria et festa, ab antiquis inde diebus confluere solet. Dum Deo gratias agentes enixe quaesumus, ut fidei ac pietatis hujusmodi libamenta propitius respicere et benedicere dignetur: ad firmandum et in dies augendum Deiparae cultum sequentia censemus monenda:

Pastores animarum frequenter solidos et amore plenos de sanctissima Virgine, de mysteriis, virtutibus et meritis vitae ejus, prout de venerationis officio et modo sermones ha-

---

[2]) Lit. Apost. S. D. Pii PP. IX. „Ineffabilis Deus" de die 8. Dec. 1854.

beant, atque tenerrimos erga illam affectus ceu insigne fidei et innocentiae tutamen jam parvulis instillent.

Fideles inducant, ut festa ejus per anni decursum redeuntia spirituali gaudio et magna devotione, divina praesertim Sacramenta frequentando digne obeant, et quantum fieri poterit, mensem Maji singulari beatissimae Virginis cultui vel publico vel saltem privato dedicent.

Quotidianum et domesticum sanctae Mariae Virginis cultum sedulo promoveant. In quavis domo christiana una cum Crucifixi imagine adsit quoque imago piissimae Matris ejus, protectricis familiarum; benedicta haec inter mulieres sacratis Angeli verbis frequenter, praeprimis cum ad salutationem angelicam campanae pulsantur, devote salutetur, litaniis lauretanis, hymnis aliisque piis obsequiis honoretur; sub ejus praesidium confugiant fideles in omnibus necessitatibus suis, ut ab omni perturbatione securi, tandem et in hora mortis Virginis fidelis auxilium felices experiantur. Quum porro precandi modum Rosarii nomine notissimum tum ex origine pioque per universam Ecclesiam usu, tum ex ipso tenore et fructu alioquin maxime sibi commendatum noverint: spiritu orantes discant studeantque salutis nostrae mysteria sanctissimo beatae Mariae Virginis Rosario ita recolere, ut et imitentur, quod continent, et quod promittunt assequantur. Quod ut eo certius eveniat, pastores animarum illum prae ceteris coronam Marianam texendi modum inter fideles introducant et propagent, qui vivi Rosarii nomine venit. Non minus suscitare conentur pium et antiquum morem, quo singulae familiae passim communi devotione, praecipue diebus Deiparae dicatis, Rosarium persolvere solent.

Ut autem singulorum crescat fervor et excitetur aemulatio et largiores obtineantur fructus, providi fidelium pastores in honorem Deiparae pias in suis coetibus instituant sodalitates, quibus juvenes praesertim et virgines communi pietatis vinculo juncti, a fidei castitatisque jactura securius praeservantur, et in genere ingravescenti morum corruptelae fausto successu obex ponitur.

Quum denique Mariam omnes quidem generationes beatam dicant, singula tamen aevi christiani saecula eam sub speciali quodam titulo singulariter coluerint, quumque nostrae generationi insignis fuerit reservata gratia, immaculatam videlicet Dei Genitricis Conceptionem, quae pie semper credebatur, dogmatica certitudine celebrandi: peculiarem parochi et confessarii in fidelibus erga beatissimam Virginem sine labe conceptam nutriant devotionem, qua tum fides in augustissima Redemtionis mysteria exprimitur et augetur, tum corda ab omni peccandi libidine dulci quadam ac potenti virtute avocantur.

2. Cultui illi eximio, quo Reginam Angelorum et Sanctorum prae ceteris honoramus, accedat pia veneratio reliquorum Caelitum, qui adstant ante Deum et cum Christo regnant in aeternum.

Colant itaque sacerdotes et fideles nostri praesertim sanctum Michaëlem, sublimem illum Archangelum, qui Deo fidem servans in magno cum dracone proelio caelestem militiam sub gloriosa tessera nominis sui: „Quis ut Deus" ad victoriam duxit, qui princeps populi Dei in sacris Literis appellatus, Angelus tutelaris est sanctae Dei Ecclesiae, animasque in Domino morientium Deo repraesentat in lucem sanctam, quam olim Abrahae promisit et semini ejus; colant Angelos custodes hominum, naturae fragili quos Pater addidit caelestes comites, insidiantibus ne succumberet hostibus; colant beatum Joseph, fidelem sanctissimae Familiae custodem, singularem virginum, familiarum, nec non moribundorum Patronum; colant gloriosos Apostolos, super quorum fundamento, ipso summo angulari lapide Christo, superaedificati non amplius hospites sumus et advenae, sed cives Sanctorum et domestici Dei; praesertim autem Apostolorum principem beatum Petrum, pastorem ovium, cui traditae sunt claves regni caelorum. Quos dein majorum pietas tenerrimo affectu coluit, s. Wenceslaum fidei principem propagatorem; s. Joannem Nepomucenum, sigilli sacramentalis Martyrem in orbe terrarum celebratissimum: hos eadem pie-

tate grati fidei haeredes praecipuos venerentur Patronos, una cum reliquis Bohemiae Tutelaribus, quorum partim sacra corpora, partim reliquiae potissimum insignes apud nos pie asservantur, ut sanctorum Martyrum et Patronorum nostrorum Cyrilli, Methodii, Viti, Wenceslai, Adalberti, Sigismundi, Joannis Nepomuceni, Procopii, Cosmae et Damiani, Benedicti cum fratribus, Norberti, Josephi atque Ludmilae pia et assidua intercessione ab omnibus semper protegantur adversis. Similiter colant ecclesiarum parochialium Patronos, a patribus pie electos, qui gregi suo pupillari tot praestitis auxiliis numquam non adfuere; colant tandem Sanctos illos, quorum nomina baptismo, confirmatione, professione religiosa sortiti sunt, quosve alio modo speciales sibi Patronos habent, ut desideratam propitiationis divinae abundantiam multiplicatis intercessoribus consequantur.

Curatos autem et quoscumque ecclesiarum rectores monemus, ut propriae ecclesiae patrocinia ac singularia festa maxima cura et digna celebrent solemnitate. Quumque festum Tituli vel Patroni ritu festi duplicis primae classis cum octava celebrandum sit: respectivas mutationes et translationes, prout rubricae Breviarii et Missalis postulant, in directorio Officii divini describant, ab omnibus eidem ecclesiae inservientibus observandas. Parochiani vero moneantur, ut a lusu et lascivia caventes, festa sua devote ac religiose celebrent. [3])

CAPUT VI.

De Sanctorum Reliquiis et sacris Imaginibus.

Non exiguum Episcopis in hac Synodo congregatis accrescit solamentum ex genuina pietate, qua fidelis hujus provinciae populus, plurimas utique majorum suorum sollicitudine sacras Reliquias et Imagines sortitus, nobilissimam hanc hae-

---

[3]) Conc. Trid. Sess. XXV. Contin. De del. cib. jej. et dieb. fest. Confer ejusd. Sess. Decret. de invoc. Sanct.

reditatem gratus vigilansque custodit, et Ecclesiae institutioni tuto fidens Sanctorum Reliquiis sacrisque Imaginibus religiosam venerationem et honorem deberi, libera voce profitetur. [1] Catholicae hujusmodi pietatis custodes constituti curabunt praesertim parochi, ut omnis istius venerationis tum privatae, tum publicae ratio orthodoxae fidei et legibus Ecclesiae exacte respondeat. Hinc sanctiones partim innovamus, partim renuntiamus sequentes:

1. Quae in singulis provinciae nostrae ecclesiis asservantur Sanctorum Reliquiae, nonnisi obtenta Episcopi licentia in aliam ecclesiam transferri possunt; quumque omnino deceat, ut ad evitandum profanationis periculum quaecumque sacrae Reliquiae potius in ecclesiis aliisve locis sacris custodiantur: monemus ecclesiarum rectores, ne Reliquias etiam minores, earumve particulas inscio Episcopo petentibus praebeant. Novae autem Reliquiae neque in ecclesias, neque in domos recipiantur, nisi ab Episcopo recognitae et approbatae. Authenticae approbationis literae in tabulario sive parochiali, sive illius ecclesiae, in qua sacrae Reliquiae collocatae sunt, asserventur; recipientibus autem Reliquias, ex indulto Episcopi in aedibus privatis custodiendas, parochus seu ecclesiae rector concessionis istius et praefatae approbationis testimonium scripto exhibeat.

Sacrae Reliquiae congruis thecis seu vasculis, quantum fieri potest, pretiosis muniendae in honestioribus tantum locis religiose asserventur; [2] in ecclesiis quamvis in altari potissimum ad ejus ornatum collocari queant: [3] nullo modo tamen neque super SS. Eucharistiae tabernaculo ponantur, neque una cum sanctissimo Sacramento recondantur, etiamsi ipsius sanctae Crucis particulae sint. [4]

---

[1]) Conc. Trid. Sess. XXV. De invoc. Sanct.

[2]) Syn. Archidioec. Prag. anni 1605. [3]) Rubr. Miss. Rit. celebr. Miss. IV. 5.

[4]) Decret. gen. S. R. C. de die 31. Mart. 1821, ad 6. confirm. a Pio PP. VII. 3. April. 1821. et S. R. C. in Tridentin. de die 12. Mart. 1836. ad 1.

Solennem Reliquiarum expositionem, dummodo ratione avitae locorum consuetudinis, vel ob aliam gravem causam, sedulo tamen vitata quaestus suspicione fiat, non improbamus; volumus autem et mandamus, ut in hujusmodi expositione, et si quae hac occasione locum habet, publica processione instructio Ritualis nostri, cum approbatione Sedis Apostolicae quamprimum edendi stricte servetur.

Rogamus tandem ecclesiarum rectores per amorem Sanctorum, quorum gaudemus Reliquiis, ut piissima sollicitudine provideant, invigilentque continuo, ne pretiosa ejusmodi ossa et divinae protectionis pignora ullo modo profanentur, seu hominum incuria pereant. Quod si autem Reliquias quasdam aut earum particulas citra suam culpam repererint adeo corruptas, ut amplius nec publicae venerationi tuto ac decenter proponi, nec alias digne recondi possint: consulto Episcopo comburant eas, cineresque in sacrarium mittant.

2. Sacrosancti Concilii Tridentini et Archidioecesanae Synodi Pragensis edita de sacris Imaginibus decreta innovantes severe prohibemus, ne ullae falsi dogmatis imagines et rudibus periculosi erroris occasionem praebentes statuantur, ne procaci venustate pingantur vel ornentur, et quod maxime absit, alterius hominis viventis effigiem ex artificis industria referant; ne apocryphas historias repraesentent aut aliquid falsi aut superstitiosi contineant, aut in iis quidquam, quod turpe, quod profanum vel inhonestum sit, appareat, quodve piorum oculis aliquam afferre possit offensionem. Nemini ergo liceat ullo in loco publico vel ecclesia etiam quomodolibet exempta ullam insolitam ponere vel ponendam curare imaginem, nisi ab Episcopo approbata fuerit; et prout Pragensis Synodus praeceperat, imagines pictae vel sculptae his regulis repugnantes statim omnino aboleantur, imagines autem vere piae, si fractae aut vetustate corrosae seu sordibus obductae sint, aptissimo modo restaurentur, vel si restaurari nequeant, auferantur convenienti loco reponenda.

Quumque Sanctorum imagines, si rite pieque pictae aut

sculptae sint, mirum in modum corda fidelium ad caelestia desideria erigere soleant: ardenter optamus, ut ecclesiarum rectores novas, quae ad ecclesiarum ornatum et in aedificationem populi comparandae sunt, sacras Imagines nonnisi a piis ac peritis artificibus confici curent. Imagines, artis et pietatis pretio prorsus destitutas, etiamsi gratis seu ex voto offerantur, ecclesiarum rectores non recipiant.

CAPUT VII.

De Cantu et Musica sacra.

Ad decorem cultus divini augendum et religiosos animi affectus tum exprimendos tum fovendos cantus fidelium plurimum confert, quem ipse beatus Apostolus Paulus commendavit, desiderans, ut fideles loquantur sibimetipsis in psalmis et hymnis et canticis spiritualibus, cantantes et psallentes in cordibus suis Domino.[1] Ecclesia prout ceteras artes, ita harmoniarum concentum ad laudem Dei admittit, imo musicorum quoque instrumentorum tolerat sonum et usum, in quantum videlicet ad promovendam Dei gloriam et fidelium aedificationem apta dignoscuntur. Quo facilius vero mentes auditu, sonisque potissimum titillantibus abripiuntur: eo magis cavendum est, ne ex ista efficacissima arte impedimentum potius oriatur devotionis, quam auxilium. Hinc Ecclesiae traditionibus legibusque insistentes, quae sequuntur, in Domino decrevimus et observanda praecipimus:

1. Quum cantus, qui planus, firmus seu Gregorianus dicitur, proprie ecclesiasticus[2] sit, cultui divino adaptatus, et ad glorificandum Deum mentesque sursum ferendas aptissimus adeo, ut illius harmonia, si recta fuerit, castis auribus

---

[1]) Ephes. 5. 19. Coloss. 3. 16.

[2]) Encycl. Benedicti XIV. „Annus, qui hunc" de die 19. Febr. 1749. §. 5.

cordibusque piis maxime conveniat [3]: curabunt Episcopi, iisque sociati toto conamine adlaborabunt ecclesiarum rectores, ut praestantissimi cantus hujusmodi usus, quantum fieri poterit, foveatur, restituatur et promoveatur. Quam ob rem ecclesiae praesertim cathedrales et per provinciam majores rectissimo cantus Gregoriani usu emineant, in singulis autem saltem Clericorum seminariis et ludimagistrorum paedagogiis solidissimae informationis et exercitationis occasio numquam desit. [4]

His tamen moderatum cantus harmonici seu figurati, utpote a saeculis in Ecclesiam introducti [5] usum minime reprobamus. Quum autem nullus certe sit, qui inter cantum sacrum et scenicas modulationes discrimen aliquod non desideret, sonosque profanos in ecclesiis tolerari non condemnet: volumus et mandamus, ut hujusmodi cantus sit gravis et castus, domui Dei et laudibus divinis adprime accommodatus. [6]

2. Cantiones sacras lingua vulgari conditas praesertim in minoribus cultus divini solemnitatibus et officiis quotidianis non tantum admittimus, sed etiam summopere optamus, ut parochorum et chori rectorum pia sollicitudine in populo promoveantur. Tenerrime enim mentes afficiuntur, et fidei, amoris et compunctionis affectus uberrime eliciuntur, si fere totius coetus religiosi voces uno ore et corde sursum ascendunt ad thronum gratiae et divinae misericordiae. Ad exemplum majorum, qui in canendis hymnis religiosis indefessi fuerunt, fideles nostri pietatis hujusmodi haeredes sacris ante et post officium divinum canticis delectari, a pueris jam assuescant. Communi studio et sedula in scholis exercitatione haud difficile erit, pie recteque cantantium vires requirere, et consociationes maxime instar earum formare, quae olim nomine Literatorum in hac provincia floruerunt.

Animarum pastores pie curabunt, ut ea tantum cantica ad-

---

[3]) Ibid. §. 2. [4]) Conc. Trid. Sess. XXIII. de ref. cap. 18.
[5]) Constit. supra cit. §. 3. [6]) Ibid. §. 5. et 9.

hibeantur, quorum argumentum et melodia vere aedificet, utque falsae, ineptae, vel ad modulum profanum compositae cantiones eliminentur. Invigilent praeterea, ut cantus ex mente Ecclesiae solemnitati, quae celebratur, et officio, quod agitur, ad amussim conveniat. [7] Quod si populus sub Sacrificio Missae canit: saltem intra canonem nonnisi cantica adhibeantur, quorum tenor sacrae actioni respondet.

Ceterum ut sacrorum canticorum copia nullibi desit: praeter hymnos liturgicos prudens et scita collectio illarum instituatur cantionum, quae a longo inde tempore in populo habentur, et suo tum argumento, tum sono maxime commendari possunt. Episcopi provinciae communi studio curabunt, ut utriusque linguae in hac re thesauri peculiari Cantionali in lucem edantur.

3. Organa et reliqua instrumenta musica monente Benedicto PP. XIV. adhibenda sunt „solummodo ad vim quamdam verborum cantui adjiciendam, ut magis magisque audientium mentibus eorum sensus infigatur, commoveanturque fidelium animi ad spiritualium rerum contemplationem, et erga Deum amorem incitentur.“ [8]

Hinc organi sonus nec voces cantantium opprimat, nec mentes offendat, ejusque moduli sint incessu graves, melodia casti, ab omni artificii vanitate alieni, divino tandem quod agitur, officio rectissime convenientes. [9]

Reliquorum musicae instrumentorum usus, praesertim rure, rarus sit et ubique modestus. Late tonantia instrumenta, quae tumultu et strepitu cantum hominum opprimunt, auferantur ab ecclesia. Dum compositiones harmonicas cum instrumentis permittimus, volumus tamen et stricte poscimus, ut hac occasione caute vitetur, quod levitatem, nugas saeculares, theatralem sonum sapiat, seu voces et verba negligendo, mutilando vel premendo sonis tantum alliciat, atque aures titillando

7) Const. cit. §. 13. 8) Ibid. §. 12.
9) Caerem. Episc. lib. 1. cap. 28. n. 11.

sensui lenocinetur.[10] Violentae harmoniae et insolita intervalla, quae vehementes passiones pingunt, non audiantur in publico cultu Dei. Quae in hac re indigentiis et viribus singularum ecclesiarum conveniant, aut etiam eliminari omnino debeant, sollicite in collationibus Cleri et rectorum chori considerentur.

Dominicis Adventus et Quadragesimae usus instrumentorum musicorum in ecclesia prorsus prohibetur. In Missa sub Elevatione ipsum etiam organum aut omnino sileat, aut graviori et dulciori sono cum omni melodia et gravitate pulsetur.[11] Sic dictas Intratas, quae hinc inde adhibentur, parochus abolendas curet. Neque certae missae musicales et multo minus cantantium nomina publice quasi ad invitandum populum annuntientur. Ceterum cantores et musici rem suam devote et modeste tamquam Deo famulantes agant.

CAPUT VIII.

De sacris Processionibus et Peregrinationibus.

1. Gravissimae profecto sunt rationes, quibus innixa Mater Ecclesia processiones sacras approbandas censuit et commendandas, imo eas ipsi cultui divino inseruit. In processionibus enim congregati Communionem Sanctorum et militantem maxime Ecclesiam repraesentamus, quae velut acies castrorum bene ordinata venerando sacrae Crucis vexillo munita progreditur, Deumque continuis laudibus et humilitatis precibus venerans, insidiantes quoscumque visibiles et invisibiles inimicos fortiter in nomine Domini propulsat.

Pii hujusmodi cultus meritum et fructum ponderantes mandamus, ut processiones sive ritu sanctae Romanae Ecclesiae praescriptae, sive provinciae nostrae ex antiquo more propriae, observatis ad amussim sacri Ritualis regulis maxima religione

---

[10]) Conc. Trid. Sess. XXII. Decr. de evit. in celebr. Missae. — Caerem. Episc. lib. 1. cap. 28. n. 12.

[11]) Caerem. Episc. loc. cit. n. 9. et lib. 2. cap. 8. n. 70.

agantur. Animarum pastores autem in Domino exhortamur, ut fidelibus, quo uberiorem inde fructum acquirant, rationem et momentum singularum processionum solerter exponant, omnia ad ordinem ac decorem religiosi hujus obsequii necessaria opportune praeparent, preces et hymnos processioni congruos ipsi determinent, et proprio tandem, sacris precibus intenti, devotionis exemplo praeluceant.

2. Similiter peregrinationes sacras ceu pergratum devotionis catholicae exercitium et poenitentiae documentum, Ecclesiae suffragio probatum, summopere laudamus, Deumque deprecamur, ut Ipse peregrinantium viam famulorum suorum in salutis prosperitate disponere dignetur.

Pastores animarum in nomine Domini rogamus, ut pro parochianis communem peregrinationem suscepturis Hostiam placationis offerentes, si per rubricas licuerit, ipsam Missam votivam „pro peregrinantibus“ celebrent, vel saltem in Missa diei Collectam pro iisdem addant, post Missam vero praemissa congrua exhortatione profecturis ex praescripto Ritualis benedicant. [1]) Optaret quidem haec Synodus, ut sacrae peregrinationis ducem semet praebeat parochus, aliusve sacerdos, quo certius facile irrepentes abusus in germine suffocentur, et peregrinantium devotio aptissimis dirigatur et augeatur patris spiritualis consiliis atque auxiliis. Quod si fieri haud potuerit, animarum pastores ducem ac tutorem peregrinantibus commendent virum nonnisi gravem, pietate et prudentia probatum, quem de commisso sibi officio providenter edoceant. Ceterum omnem itinerandi rationem ipsi disponentes maxima sollicitudine praecavere studeant, ne preces et cantiones ineptae, quae interdum ab inscitis praecentoribus proponi solent, aliaeve res inconvenientes agantur, quibus fidelium pietas vix augetur, impietati vero adversariorum nova calumniandi causa praebetur.

Sed et praesules ecclesiarum, ad quas fideles devotionis causa frequentius confluunt, impense rogamus, ut peregrinan-

---

[1]) Benedict. peregrin.

tium saluti pio zelo prospicientes omnia et singula prudentissime disponant, quae ad augendum honorem locis sanctis debitum et ad fidelium aedificationem conferre in Domino judicaverint. Quidquid superstitionem redolet, caute abrogent; quidquid turpis quaestus suspicionem movere possit, sedulo eliminent; ne probatorum desit copia confessariorum, sollicito fervore provideant.

Fideles tandem ad loca sancta profecturos paterne monemus, ut hac ipsa occasione dignos facere fructus poenitentiae contendant, et devota Sacramentorum susceptione confortati jugiter ad Deum peregrinari mereantur. Hujusmodi salutaris fructus et munerum caelestium pignus certissimum redeuntes accipiant Benedictionem ex Ecclesiae praescripto peregrinis post reditum impertiendam. 2)

CAPUT IX.

De Jejuniis ecclesiasticis.

Non erit aequus rerum aestimator, qui ambigat, fideles, dum ex praecepto Ecclesiae jejunant, opus bonum operari ipsa Lege antiquius, naturae humanae per Adae peccatum sauciatae maxime consentaneum, 1) et Deo miseranti pergratum, quippe qui corporali jejunio vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur et praemia per Christum Dominum nostrum. 2) Hinc religiosum jejunii exercitium nec ipsis gentibus fuit ignotum, filiis autem Abrahae ex institutione divina, et Christi fidelibus ex augustissimo Salvatoris exemplo et mandato numquam non solitum, imo piae humilitati gratissimum.

Dolemus propterea, non paucos hisce diebus inveniri tum „Crucis Christi inimicos, quorum Deus venter est, et gloria in confusione ipsorum," 3) tum ipsius Ecclesiae filios, professione tamen catholica haud dignos, qui nonnisi terrena sapientes

---

2) Rit. Rom. Bened. peregr. post reditum.

1) S. Basil. Homil. 1. de Jej. num. 3. et 4. 2) Praefat. Quadrag. 3) Phil. 3. 18—19.

et quaecumque ignorant, blasphemantes[1]), saluberrimam jejuniorum disciplinam ludibrio habere non verentur.

Ne itaque horum cavillationibus seducti tepescant fideles nostri, ut potius impietatem pietate resarcientes et ferventissimo studio sacros jejunii dies colentes, catholicam fidem suam et obedientiam Ecclesiae debitam palam faciant: animarum pastores populum sibi commissum sedulo edocebunt, tum quae sit jejunii praesertim ecclesiastici obligatio, tum quibus diebus et modis ei satisfacere oporteat. Imprimis hac ipsa occasione saepe saepius exponant antiquam et universalem Ecclesiae disciplinam, qua diebus jejunii parcissimi cibi, et tantum ad vesperam, carnes vero numquam sumebantur, monstrentque praecepti gravitatem, quae vel ideo nunc magis urget, quia Ecclesia ob temporum hominumque imbecillitatem plurima de rigore pristino remittens, paucissima postulare solet. Dum insuper objectiones convellunt, quae contra salutarem istam legem proferri solent: moneant fideles, ut cum ciborum abstinentia orationis et eleemosynarum meritum jungere, et prout ab escis carnalibus, ita quoque ab omni culpa jejunare discant.

Occurrentium per annum jejuniorum causam et modum, una cum opportunis remissionibus peculiare Episcopi mandatum exhibebit, initio anni fidelibus promulgandum, cujus tamen exemplum, ne quis defectum scientiae ceu causam excusantem praetendere possit, in cunctis per dioecesim ecclesiis loco decenti et conspicuo affixum continuo pateat. Nihilominus vero singula quoque per hebdomades occurrentia jejunia Dominica proxime praecedente populo annuntientur.

Quum, quae ratione jejunii et abstinentiae fidelibus nostris praecipiuntur, vix cui austera videri possint: rogamus medicos ad eorum pietatem provocantes, ut in declaranda dispensationis necessitate sese non praebeant plus justo paratos et faciles.

Tabernarios vero, ad quorum mensas diversissimae conditionis homines confluunt, quibusque propterea carnes parare

---

[1]) Epist. s. Jud. Apost. vers. 10.

et poscentibus apponere licet, nisi fors scandalosis verbis et in apertum legis contemptum poscantur, monemus in Domino, ut pro sua erga Ecclesiam reverentia omnibus in oppidis, in quibus parari possunt, cibos quoque diebus esurialibus convenientes paratos habeant, sed et alias talem refectionem poscentibus semper et ubique pia comitate parari faciant.

Instanter tandem suademus potissimum clericis et sacerdotibus, ut totum proprii jejunii exercitium et abnegationis cujuslibet sacrificium Deo simul offerant in satisfactionem pro plurimis peccatis et omissionibus, quibus jejunii osores et legis ecclesiasticae contemptores Majestatem divinam offendere solent. Faxit Deus, ut hujusmodi satisfactionis sacrificium omnibus, pro quibus pie offeretur, fiat propitiabile per Christum Dominum nostrum.

CAPUT X.

De Missionibus, et sacris Exercitiis pro laicis.

1. Quum sacrae Missiones, ab idoneis operariis peractae summopere conducant ad fidei religionisque spiritum in populis excitandum, eosque ad virtutis ac salutis semitam revocandos: [1] meritas summasque laudes in nomine Domini deferimus omnibus et singulis tum sacerdotibus, tum laicis fidis Ecclesiae filiis, quorum piissima sollicitudine et liberalitate, consilio et labore tam salutare sacrarum Missionum opus recentiori tempore per omnes hujus provinciae dioeceses laetissimum sumpsit exordium et incrementum, ex quo divina adspirante gratia uberrimos jam perceptos fuisse fructus, Deo gratias agentes gaudemus.

Quo magis hisce praesertim diebus infensissimus generis humani hostis agro Dominico zizania superseminare, novisque in dies ausibus animos pervertere conatur: tanto frequentius profecto salutares Missionum suppetiae quaerendae sunt, quibus

---

[1]) Lit. S. D. Pii PP. IX. „Singulari quidem“ de die 17. Mart. 1856.

videlicet quasi novo et extraordinario curae pastoralis conamine agrum Domini purgare et perficere oportet.

Quapropter animarum pastores, quantum possumus, obtestamur et rogamus ad ipsius Salvatoris charitatem provocantes, ut parochianos suos quantocius spirituali sacrae Missionis beneficio recreare totis viribus contendant; sed et illorum omnino conscientiam oneramus, qui quum ad gregis sui renovationem media consuetae curae pastoralis nequaquam sufficere cognoverint, ingravescentibus malis sacrae Missionis remedio occurrere tenentur.[2] Monemus et rogamus insuper non parochos tantum, sed et alios ecclesiarum rectores et quoscumque hujus provinciae sacerdotes, imo et fideles nostros, ut quantum singuli potuerint, exoptabilem sacrarum Missionum progressum juvare satagant.

Ne ob deficientem operariorum copiam coetus nostri salutifero Missionum beneficio priventur: ardentissime desideramus in Domino, ut praeter Patres Societatis Jesu, Congregationis Ss. Redemptoris, et PP. Capucinos, quorum peractos hucusque in Missionibus per hanc provinciam labores grati commemoramus, aliorum etiam Ordinum regularium, praesertim sancti Francisci Seraphici et Praedicatorum sacerdotes muneri huic vere apostolico operam navare conentur. Deficiente copia ministrorum, qui religionis suae professione ad hoc munus vocati sunt, optime merebuntur ipsi presbyteri cura animarum diversis in locis occupati, si consociati et collatis prius consiliis sacras Missiones vicissim in paroeciis suis habuerint. Nostrum autem erit, fundum peculiarem in dioecesibus singulis erigere, ex quo parochis, qui ad missionarios hospitio excipiendos haud sufficienti dotatione gaudent, sumtus necessarii compensari possint.

2. Prout Missiones integro fidelium gregi, ita singulis laicis ad salutem exercitia spiritualia maximopere prodesse, dubitari nequit. Maxime cultioribus variae occasiones et motiva eorum-

---

[2]) Confer S. Alphonsi Liguor. Homo Apost. Tract. VII. cap. 4. n. 31.

dem, imo indigentiae et necessitates sese offerunt, praesertim si novam vitae conditionem inire vel generalem confessionem peragere volunt. Hunc in finem optamus, ut in oppidis majoribus et aliis locis, in quibus plures adsunt presbyteri, sic dictum sacrum Triduum hebdomade sancta aut saltem intra tempus paschale peragatur. Ut porro singulis quoque laicis, qui privatam ejusmodi mentis renovationem cupierint, pie consulamus, Ordinum regularium auxilium in nomine Domini requirimus, desiderantes, ut in monasteriis virorum maribus, in claustris Monialium vero feminis, attamen citra periculum clausurae vel regularis disciplinae, sacram solitudinem quaerendi et inveniendi occasio praebeatur, simulque hunc in finem exercitiorum magister seu pater spiritualis ibidem in promptu sit.

CAPUT XI.

De christiana Charitate.

„Finis praecepti est charitas de corde puro et conscientia bona et fide non ficta“; quae autem nonnisi per Spiritum sanctum diffunditur in orbem terrarum. [1]) Hac eadem charitate caelo terra nectitur, et renati in Christo coadunantur et coalescunt, ut multitudinis credentium sit cor unum et anima una. Quoniam vero crescente in dies hujus saeculi superbia ac libidine multorum refrigescit charitas: Synodus haec, agnoscens cum egregio gentium Doctore, dilectionem esse legis plenitudinem et charitatem vinculum perfectionis, [2]) nec non cunctorum, quibus premimur, malorum remedium: sequentia in Domino monet ac praecipit:

1. Ut prae ceteris charitate Dei repleantur corda fidelium, quam videlicet primum et maximum mandatum, et inexhaustum genuinae dilectionis fraternae fontem esse profitemur: pastores animarum imprimis ipsi sanctissimo Dei amore succensi, ignem hunc caelestem solertissimo studio in cordibus suis nutriant; fidelibus autem divinae hujus virtutis dig-

---

¹) 1. Tim. 1. 5.; confer Rom. 5. 5. ²) Rom. 13. 10., Coloss. 3, 14.

nitatem ac pretium facundo oro exponant, ambitum et fructum ostendant, motiva et subsidia suggerant; praesertim vero numquam non totis viribus populo sibi concredito persuadere studeant, quanta sit continuae orationis et piae Sacramentorum frequentationis ad alendum amoris ignem necessitas. Confessarii item, maxime cum viderint, poenitentes vivere immunes a peccatis mortalibus, omnem curam adhibeant, ut eos in viam perfectionis et divini amoris introducant.[3]

2. Quum vero, qui non diligit fratrem suum, quem videt, neque Deum, quem non videt, diligere possit:[4] fideles nostros in nomine amantissimi Redemptoris commonemus et obtestamur, ut christianam proximi dilectionem corde et opere exercentes, veros Dei cultores dignosque Christo discipulos se exhibeant. Mirifica hujusmodi dilectionis, quae a speciosis meri philanthropismi studiis toto caelo distat, efficacia et fortitudo tristem cordis humani egoismum vincit, invidias, odia et quascumque lites deplorandas propulsat, atque desiderata generi humano pacis et unionis pignora praebet. Dilectionem hanc pastores animarum, fraternae charitatis vinculo sibi invicem juncti, continua sollicitudine promoveant; beneficentiam praesertim ceu charitatis comitem et sociam commendantes,[5] sed et exemplum fidelibus, quod imitentur, per omnia praebentes. Quum autem ex institutione Catechismi Romani[6] injuriarum condonatio omnium longe praestantissimum et charitate plenissimum officium censendum sit: parochi et confessarii maximam in eo diligentiam ponant, ut injurias aequo animo remittendas esse, non solum doceant, sed penitus etiam fidelibus persuadeant. Hac ratione optime impugnabunt impias juris et charitatis laesiones, fraudes, violentias et praeprimis detestabiles usuras, quibus occurrere eo magis pastorum erit, quum ad eas supprimendas quaecumque leges civiles minime sufficiant. Quapropter gravissimis verbis populo ostendant, usu-

[3]) S. Alph. Lig. Homo Apost. tit. ult. append. 1. [4]) 1 Joann. 4. 20.
[5]) Cat. Rom. lib. 3. cap. 6. quaest. 17. [6]) loc. cit. quaest. 19.

rae labem ac vitium utriusque Testamenti paginis, non minus quam ecclesiasticis sanctionibus damnari,[7] gravissimumque semper fuisse hoc facinus etiam apud gentes et maxime odiosum.[8] Quumque illud varias species induere soleat, ut fideles Christi Sanguine in libertatem restitutos rursus in extremam ruinam praecipites impellat:[9] Catechismo Romano innixi doceant, „usuram esse, quidquid praeter sortem et caput illud, quod datum est, accipitur; sive pecunia sit, sive quidvis aliud, quod emi aut aestimari possit pecunia."[10] Provocantes ad verbum Domini dicentis: „Mutuum date, nihil inde sperantes,"[11] moneant fideles, ut si pecuniam suam collocare velint, diligenter caveant, ne cupiditate, omnium malorum fonte, rapiantur, sed potius ab illis, qui doctrina ac virtutis gloria super ceteros efferuntur, consilium exposcant.[12]

3. Opus tandem bonum, imo praeclarissimum, in quo charitas erga Deum et proximum singulari modo refulget, commendamus, Clerum videlicet et populum nostrum urgente eadem charitate rogantes, ut dum de vocatione sua ad fidem et Ecclesiam grato corde in Domino laetantur, varia propagandae fidei catholicae instituta et sodalitia piis suffragiis atque eleemosynis, quantum poterint, juvent, aeternae illorum saluti provisuri, qui in tenebris sunt et in umbra mortis sedent, ad dirigendos pedes eorum in viam pacis. Volumus itaque, ut quae per provinciam nostram publicae in ecclesiis eleemosynarum collectiones hunc in finem fieri solent, maxima sollicitudine promoveantur, utque in posterum etiam illae praesertim sodalitates sedulo propagentur, quae sub patrocinio beatissimae Virginis Mariae Missiones in Africa centrali juvant, sub ejusdem Immaculatae titulo rei catholicae per Orientem succurrunt, sub s. Leopoldi nomine Missionibus in America septem-

---

[7]) Conc. Lateran. III. cap. 25.; Conc. Vienn. Clementin. libr. V. tit. 5. cap. un. [8]) Cat. Rom. loc. cit. cap. 8. quaest. 11.
[9]) Constit. Benedict. PP. XIV. „Vix pervenit" de die 1. Nov. 1745.
[10]) Cat. Rom. cap. et quaest. cit. [11]) Luc. 6, 35.
[12]) Const. Bened. PP. XIV. supra cit.

trionali auxilia ferunt, sub sanctae Domini nostri infantiae titulo congregatae expositis a Sinensibus infantulis gratiam baptismi et educationis christianae beneficium procurant, denique sub patrocinio s. Bonifacii, nec non ss. Cyrilli et Methodii spiritualibus fidelium partim inter haereticos, partim inter schismaticos degentium necessitatibus subvenire satagunt.

CAPUT XII.

De Benedictionibus et Exorcismis.

1. Omnis quidem creatura Dei bona est, et nihil rejiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur. Ut autem terrae hujus dona piissime ad Deum largitorem referantur, et a peccati maledictione libera ad vitam aeternam fructificent, sanctificantur per verbum Dei et orationem.[1] Hinc omnino decet, ut res praesertim, quae sacro ministerio inserviunt, ab omni usu profano removeantur, et ad sancti operis efficaciam dedicata, virtute meritorum Christi nobilitentur. Inde sacrae benedictionis et consecrationis usum a divino Magistro edocta, nihil unquam omisit Ecclesia, ut etiam per hujusmodi sanctificationis virtutem et ritum mentes fidelium ad caelestia erigeret.

Quum potestas benedicendi sacerdotibus quidem competat, nonnullae vero Benedictiones, et praesertim Consecrationes ad superiorem Ecclesiae Ordinem spectent: sacerdotes probe discernant, quarum benedictionum jus ad ipsos pertineat, et qualis ad alias benedictiones faciendas peculiaris potissimum Episcopi facultas requiratur, ne dum ministerio Ecclesiae fungi censentur, de rapina offerant holocaustum. Facultatis obtentae ambitus et tenor strictissime observetur. Hujus altioris generis Benedictiones plerumque sunt, quae passim constitutivae

[1]) 1. Tim. 4. 4—5.

vocantur, quibus videlicet res vel personae in ordinem sacrorum transferuntur, et in eo constitutae sic permanent, ut profanus earumdem usus excludatur, cujusmodi sunt ecclesiae, indumenta et vasa sacra, et alia. Res istae, quae per benedictionem aut consecrationem in jus Domini transierunt religiose custodiantur, et digna veneratione semper tractentur. Aliae Benedictiones vero, quae per parochos jure proprio vel etiam per quoscumque sacerdotes fiunt, plerumque sunt invocativae, quibus alicui rei vel personae per invocationem divini nominis spirituale bonum deprecando et intercedendo confertur, ut sunt Benedictiones sponsorum, puerperarum, parvulorum, domus, frugum et aliae.

Meminerint omnes, qui aliquam benedictionem nomine Ecclesiae impertiuntur, modum et formam Rituali Romano et proprio provinciae praeceptam stricte servari debere, neque unquam licitum esse, singulari et excogitata aliqua ratione novas benedictionum species efformare et adhibere. Benedictiones insuper recta et pia intentione peragant, ut suo quoque merito cooperentur ad salutarem earumdem effectum. Sed etiam populum sibi commissum erudiant, qua mente benedictionum virtutem requirere oporteat. Quum enim non pauci de benedictionibus minus recte sentiant, aut earum fructum vilipendendo, aut exaggerando virtutem: de sensu, utilitate et propria vi illarum diligentissime docendi sunt atque monendi, ut illas, quae in officiis divinis exhibentur, piissime recipiant, quae interdum per decursum festorum vel ob speciales indigentias offeruntur, sancte quaerant, et dum Sacramentalibus utuntur, interna cordis devotione ea optime agant, quae per ritum externe significantur et per Ecclesiam benedicendo exorantur.

2. Fide credimus, Deo permittente malos daemones non tantum animabus, sed et corporibus hominum insidiari, imo et morbos in istis et damna in aliis creaturis efficere posse, et interdum occulto Dei judicio revera operari. Victo per Christum Redemptorem diabolo operibusque ejus solutis raris-

sime quidem tales in corpora operationes nequissimae obvenire possunt; Ecclesia tamen Exorcismum retinuit et adhibet, ut potentia Christi Regis etiam externe fuget inimicum, quem interne insidiantem quotidie debellat. Neque dubium est, quin Exorcismo rite adhibito potestas Ecclesiae in daemones efficaciter demonstretur.

Quo occultiores vero operationes daemonis sunt, eo magis cavendum est, ne ejus effectus existimetur, ubi morbi naturalis causa adest, vel phantasiarum tantum motus homines exagitant. Quapropter nullo casu qualiscumque sacerdos eos, quos energumenos putat, Exorcismo adjurare audeat, nisi re prius ad Episcopum relata ejusque sententia accepta. Exorcismi vero, qui ab Ecclesia in administratione Sacrorum praescribuntur, numquam praetermittantur.

Quum in genere superstitionis sit, expectare effectum a quacumque re vel persona, ad quem producendum a Deo non fuerit ordinata: sacerdotes curam omnem adhibebunt, ut superstitiosos ritus, mores et actus prudenter quidem, ast efficaciter a populo depellant et praepediant. Sacri Canones graviter, etiam poenis infligendis, vetant omnia et singula divinationum commenta, prava sortilegia, aliasque vanas, impias et stolidas artes, quibus homines ad mala depellenda vel ad fortunas augendas fascinantur. Has itaque dum animarum pastor percellit, vera ostendat remedia, quae oratione et labore suppeditantur, quaeque, si in his terris patientiae necessitatem non auferunt, caelestem profecto consolationem praebent.

CAPUT XIII.

De Sepultura ecclesiastica.

Ecclesia catholica, pia fidelium mater, etiam decedentes suos non derelinquit. Prout moribundos Sacramentorum praesidio juvat, et egredientem de corpore animam deprecationibus

et pia commendatione sua comitatur, ita et mortuorum non obliviscens, justa ac debita eis persolvit, dum corpora tamquam templa Spiritus sancti e pulvere aliquando resuscitanda piis ritibus honorifice in loco sacrato condere, pro salute animarum vero supplicare et sancta offerre sacrificia inde ab antiquissimis temporibus consuevit. Hanc sepulturae ecclesiasticae liturgiam et Exequiarum ordinem ad praescriptum Ritualis et Missalis Romani ea devotione et pietate peragant animarum pastores, ut ad aedificationem Christianorum funus comitantium, ad consolationem moerentium atque ad salutem defunctorum hujusmodi sepulturae beneficium conferat. Ceterum sequentia in hanc rem monenda et recolenda censuimus:

1. Ecclesia catholica, dum neminem prohibet, ut corporibus suorum pium sepulturae officium, pie exhibeat, de ecclesiastica tamen sepultura, quae in loco sacro, sacrisque ritibus peragitur, tamquam de suo actu et ministerio sacro disponere, eamque suis tantum fidelibus exhibere semper solita est. Quicumque vero fide et opere membrum Ecclesiae sese exhibuit et in communione ejus defunctus est, christianae sepulturae honorem et beneficium jure meritoque sibi vindicat. Ideo numquam, neque sub ullo praetextu, exempli gratia non solutae stolae funeralis, sacram fidelium pie defunctorum sepulturam differre aut prorsus denegare, quisquam curatorum audeat. Memores, quod scriptum sit: „Mortuo non prohibeas gratiam,“ [1]) pauperum corpora gratis sepeliant, iisque non obiter, sed pie et cum decenti apparatu istud christianae charitatis ministerium exhibeant. Laudamus etiam et fovendas commendamus sodalitates, quae pauperum tumulandorum curam specialem in se suscipiunt.

2. Quum quibus viventibus non communicavimus, mortuis communicare haud possimus: sacris Canonibus cautum est, ne honore et beneficio ecclesiasticae sepulturae donentur, qui in Ecclesiae communionem numquam fuerunt recepti, vel

---

[1]) Sirach. 7. 37.

recepti quidem, attamen manifestis et publicis peccatis gravati, sine poenitentia perierunt. Provocantes proinde ad instructionem Ritualis Romani,[2] in specie legem de excludendis ab ecclesiastica sepultura, qui mentis compotes deliberata voluntate mortem sibi violentam intulerunt, „nisi ante mortem dederint signa poenitentiae," [3] in memoriam revocamus. Si parocho indubie constiterit, suicidam morbo laborasse usum rationis perturbante, sepultura ecclesiastica modo consueto detur; quodsi autem parochus gravibus rationibus ductus judicio medicorum et civilium officialium acquiescere dubitaverit: res ad Ordinarium deferenda est, et interim, necessitate urgente, corpus defuncti absque ritu ecclesiastico extra coemeterium humetur. Stante dubio, num suicida mentis compos fuerit an impos, ritu ecclesiastico sepeliatur, seclusis tamen propter scandalum fors oriundum solitis funerum solemnitatibus. Si tandem dubium occurrat, num quis semet ipse interfecerit vel casu obierit, favendum est defuncto, cum in dubio delictum tam grave de nemine praesumi debeat.

Expresse porro monemus, ne ad sepulturam ecclesiasticam admittantur, qui in duello, vel qui alio peccato gravi et publico absque poenitentiae signis decesserunt, prout illi etiam, qui in manifesto mortis periculo omne spirituale Ecclesiae auxilium pertinaciter et coram testibus recusarunt et extrema morientium Sacramenta respuerunt. [4]

Acatholicorum in parochia defunctorum funera parochus nullatenus sacris vestibus indutus tamquam minister comitari potest. Tumulum defunctis Acatholicis, si proprium coemeterium non habent, in coemeterio nostratum, loco quippe separato, toleramus; volumus tamen, ut occasione hujusmodi funeris tum parochi, tum fideles, quidquid communionem in sacris redolere videretur, caute declinent. Similiter ex mente Sedis Apostolicae toleratur, ut in sepulcris gentilitiis, quae vide-

---

[2]) De Exequiis „Quibus non licet etc." [3]) Loc. cit. [4]) Confer: Constit. Benedicti PP. XIV. „Detestabilem" de die 13. Novemb. 1752.

licet privata et peculiaria pro catholicis laicorum familiis aedificantur, cognatorum et affinium etiam acatholicorum corpora tumulentur. [5])

3. Caeremoniae, ritus et preces exequiales, quibus Ecclesia in mortuorum sepultura utitur, secundum Rituale a sepeliente sacerdote accurate et fideliter observentur. Hinc praecipimus quoque, ut, quantum fieri poterit, etiam in majoribus urbibus, corpus defuncti inferatur in ecclesiam eoque praesente Missa celebretur. Si propter peculiares locorum rationes corpus in ecclesiam deferri aut ante meridiem sepeliri non poterit: Missa tamen non omittatur, sed, si non eadem die, saltem subsequenti non impedita, corpore absente celebretur.

Quum ex certissima Ecclesiae doctrina animae defunctorum in purgatorio detentae nullo alio suffragio magis, quam acceptabili altaris Sacrificio juventur, [6]) sollicite agant parochi, et omnes Christifideles, ne istud refrigerii et aeternae salutis subsidium defunctis desit. Ecclesia non tantum in die commemorationis omnium fidelium pro cunctis offert Sacrificium, ac pro singulis illico post obitum instituit oblationes, sed subsequentibus quoque diebus, tertio maxime, septimo et tricesimo innovat suffragia, et recurrentem anniversarium diem celebrandi antiquissimum habet usum, aliasque insuper Missas pro defunctis offerendas libentissime concedit. Ad hoc pietatis officium rite persolvendum regulas, quas de celebratione Missarum pro defunctis Ecclesia praescripsit, accurate observare eo severius sacerdotes jubemus, quo magis adhuc eas praetermitti interdum experientia tulit.

4. Sermones funebres, ubi non sunt consuetudine introducti, non habeantur. Tanto ardentius autem desideramus, ut in die commemorationis omnium fidelium defunctorum sive in ipsis coemeteriis, si tempestas permittit, sive in coemeteri-

---

[5]) Decr. S. Congr. Inquis. de die 30. Mart. 1859 et 25. April. 1860.

[6]) Conc. Trid. Sess. XXV. Decr. de Purg.

orum sacellis aut in ecclesiis parochialibus sacri sermones habeantur. Quodsi alias usus vel necessitas orationem funebrem poposcerit, laudes mortuorum non dicantur, sed potius fidelibus divinae ingerantur veritates, quae corda, dum triste imperium mortis sentitur, ad aeterna tabernacula erigant, iisque dum pium solamen praebetur, officia defunctis debita inculcent. Hic potissimum, ubi humana miseria oculis tam luculenter proponitur, viventes vigilare discant, ne cum venerit Dominus hora, qua non putarint, inveniat eos dormientes.

TITULUS IV.

DE SACRAMENTIS.

CAPUT I.

De Sacramentis in genere.

Virtutem, quae ex passione Christi manat, videlicet gratiam, quam Deus ac Salvator noster in ara Crucis meruit, in nos ipsos derivari oportet; aliter enim nemini ulla salutis spes reliqua esse poterit. Quoniam autem natura ita comparati sumus, ut ad earum rerum notitiam, quae mente atque intelligentia comprehenduntur, potissimum sensuum auxilio perveniamus: idem sapientissimus rerum omnium artifex, considerans humani ingenii imbecillitatem, eam ipsam virtutem aliquibus signis, quae sub sensum cadunt, pro sua in nos benignitate declaravit, ut, quae occulta Dei virtute efficiuntur, facilius intelligere possemus. „Si enim incorporeus esses, ait s. Chrysostomus, nuda et incorporea tibi dedisset ipsa dona; sed quoniam anima corpori conserta est, in sensibilibus intelligibilia tibi praebet.“ [1] Quare clementissimus Dominus Sacramenta verbo suo et promissione sancita in Ecclesia reliquit, quae sanctitatis et justitiae tum significandae tum efficiendae vim haberent, per quae passionis suae fructum nobis re ipsa communicari sine dubitatione crederemus, si modo unusquisque nostrum ad se eam curationem pie et religiose admoveret. [2]

Cum haec sit Sacramentorum indoles et tanta efficacia, tam grave et sanctum in iis dispensandis sacerdotum ministerium, tamque uberes fructus conspicui in iis, qui rite praeparati ea devote suscipiunt; canonicas sanctiones innovantes, statuenda ducimus, quae sequuntur:

---

¹) Homil. 60. ad pop. Antioch. de sumentib. indigne divin. myster.

²) Confer Cat. Rom. p. 2. cap. 1. quaest. 14.

Ad Sacramenta administranda sic accedant sacerdotes, ut augusta sanctitatis mysteria corde puro tractent, ne aliis medicamenta vitae libantes, sibi damnationis poculum propinent; menteque orationis et meditationis pabulo refecta dominicae pietatis dona ita dispensent, ut ex eorum frequenti tractatione et usu uberiorem in dies gratiam et ipsi consequantur. Quoniam vero externa hominis compositio primus est internae dispositionis nuntius: ipse vultus, incessus, corporis motus, vocisque temperatura animum divinae misericordiae veneratione imbutum, Deique gloriae et animarum salutis promovendae zelo inspiratum manifestet.

Sollicite attendant, ne in materia vel forma aut intentione admittatur defectus, qui vel integritatem Sacramenti vitiet, vel administrantem irreverentiae arguat. Quare sacros ritus et caeremonias praescriptas religiose observent, in quibus peragendis, ut inoffenso pede procedant, unicum ducem Rituale praescriptum sequantur bene memores, non posse receptos et approbatos Ecclesiae catholicae ritus in solemni Sacramentorum administratione adhiberi consuetos aut contemni, aut sine peccato a ministris pro libito omitti, aut in novos alios per quemcumque ecclesiarum pastorem mutari. [3])

Ut ritus, quos antiquus provinciae hujus usus tenet, et quos temporum indigentiae exoptant, obtenta eorum a Sede Apostolica approbatione, in unum compendium redigantur: parabitur nova Ritualis Romani editio, ritibus hisce locupletata. Paretur autem editio tantae exemplorum copiae, ut Ritualis libri accrescenti ecclesiarum numero sufficiant, et exemplis longiori usu attritis nova substitui possint. Sic quoque occurri poterit sacerdotum votis, qui Ritualis lectioni frequentius manum admoturi, illius exemplar apud se habere desiderant.

Quum Sacramenta administrantes, aut sacris ritibus peragendis intenti non suum, sed Ecclesiae ministerium obeant, ejusque legatione fungantur, tamquam morigeri legati et

---

[3]) Conc. Trid. Sess. VII. can. 13. de Sacr. in gen.

fideles ministri, quemadmodum in exequendis rituum caeremoniis Ritualis praeceptis adstringuntur, ita et ejus lingua uti jubentur. Nemo itaque aut majoris aedificationis et uberioris Sacramentorum fructus obtentu, aut sub quocumque alio praetextu a lingua Ritualis declinare, eamque cum vernacula commutare praesumat. Horum etenim rituum vis et efficacia non in verborum intelligentia, sed in sacrorum actuum potestate et integritate residet, nec tam ideo sunt instituti, ut docendo aedificent, quam ut operando sanctificent. Ut eorum, quae agenda sunt et dicenda, intelligentiam consequantur fideles, sacerdos antequam administrat, vel alia data opportunitate cum uberiori ipsorum fructu, et absque suae inobedientiae culpa ea explanare satagat. [4]

Ut autem fideles intelligant, quanto cultu et veneratione haec caelestia munera digna sint, quibus proin pie et religiose utantur, porro quo majori christianae perfectionis desiderio sic exardescant, ut si poenitentiae praesertim et Eucharistiae saluberrimo usu aliquamdiu careant, plurimum damni se fecisse existiment: rudimenta fidei docentes et verbi divini praecones, imprimis vero parochi, de Sacramentorum divinitate et fructu, atque recta ad ea suscipienda accedentium praeparatione fideles studiosissime et frequenter instituant.

CAPUT II.

De Sacramento Baptismi.

Inter Sacramenta a Christo Domino instituta ordine et necessitate primum sibi vindicat locum Baptismus, per quem ex filiis irae efficimur filii adoptionis, haeredes Dei et cohaeredes Jesu Christi. Cum sit lavacrum regenerationis, fundamentum salutis et ostium ad Ecclesiam, juxta fidei regulam etiam parvuli, qui nihil quidem peccatorum in semetipsis committere potuerunt, in remissionem peccatorum tamen veraciter

---

[4]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 7.

baptizantur, ut in iis regeneratione mundetur, quod generatione contraxerunt.

Monendi sunt itaque a parochis parentes, ut parvulos, quamprimum fieri potest, Ecclesiae offerant baptizandos, ne eorum culpa amittendae vitae aeternae periculo exponantur, a quibus ad hanc adipiscendam temporalis vitae exordium traxerunt. Quodsi mortis periculum immineat, statim etiam a laico baptizari poterunt, quare praesertim obstetrices, quae illud opportune dignoscere possunt, a parochis diligenter instruantur de baptismo in tali necessitatis casu administrando. Si in mortis periculo baptizati supervixerint, deferantur ad ecclesiam, ut sacrae caeremoniae suppleantur, cum baptismus in casu necessitatis etiam a sacerdote in domo privata collatus, absque sacris ritibus, qui essentiam actus solemniorem et augustiorem reddunt, ministrandus sit.

Baptismi conferendi locus proprius est ecclesia parochialis, ad quam ut parvuli deferantur, sollicite curabit parochus, nec patietur, ut parentes ab hac canonica regula deflectant, persuadeatque iis, quantopere deceat, ut in domo Dei et Salvatoris nostri regenerationis illuminatione donentur filii, quorum mater, ut eos in hujus exilii lucem edat, propriam domum studiose requirit. Dolemus, diuturno usu invaluisse morem administrandi baptismum infantibus ad preces parentum in domibus privatis, quem, sicubi tolli omnino non possit, ad tempus quidem tolerandum existimamus, sed districte praecipimus parochis, eorum conscientias onerantes, ne hanc pravitatem deducant in usum, ubi illam communem non fecit abusus; ubi vero effeminati aevi mollitia morem effinxit pravum, suo studio et exemplis piorum catholicorum quantocius ad rectum satagant revocare tramitem.

In domo parochiali, aut in ecclesiae sacristia baptizare, prorsus vetitum est, nec tolerari potest, ubicumque talis abusus irrepserit; si graves et probatae causae exigant, ut sacellum aut oratorium privatum aut opportunum in aedibus parochialibus conclave huic sacro usui dicandum ecclesiae bap-

tismali substituatur, id nonnisi obtenta ab Ordinario licentia fieri poterit.

Cum parochus cognoverit, infantem jubente necessitate jam ab obstetrice aut alio laico fuisse baptizatum, et re explorata de valore hujus baptismi dubium moveri non possit: quia hoc Sacramentum iterari non debet, caveat, ne illum, neque sub conditione, baptizet; alioquin sacrilegium committeret, et irregularitatem incurreret. Tunc enim solum preces ritusque Ecclesiae consuetos supplebit. Quodsi vero rationabile dubium remaneat, utrum in collatione baptismi essentialia servata fuerint, baptismum sub conditione conferat consulto prius Episcopo, nisi periculum mortis immineat; non enim haberi potest iteratum, quod non ostenditur gestum, nec temeritas intervenit praesumptionis, ubi est diligentia pietatis.

Expositi infantes eadem adhibita conditione baptizandi sunt, etiamsi inveniatur scriptum, quo baptizati significentur; nisi eo duce investigatio facta rite baptizatos probaverit.

Ab. haeresi ad Ecclesiam reduces si coetui adscripti erant, cujus baptismus ex prudenti dubio vitio vel materiae vel formae aut intentionis laborat, exquiratur sententia Episcopi, vel imminente mortis periculo baptismus sub conditione conferatur.

Ecclesiae, quae infantium baptismum accelerat, quum praesertim propter aetatis imbecillitatem innumera pene vitae pericula illis impendeant, adultis, qui perfectum rationis usum habent, non consuevit baptismi Sacramentum statim tribuere, sed ad certum tempus differendum esse constituit, gravibus ducta rationibus. Haec enim dilatio periculum, quod pueris imminere dictum est, conjunctum non habet, quum illis, qui rationis usu praediti sunt, baptismi suscipiendi propositum et male actae vitae poenitentia satis futura sit ad gratiam et justitiam, si repentinus aliquis casus impediat, quominus salutari aqua ablui possint. Contra vero, quoniam ab Ecclesia diligenter providendum est, ne quis ad hoc Sacramentum ficto et simulato animo accedat, eorum voluntas, qui baptismum petunt,

magis explorari et cura adhiberi debet, ut in fidei doctrina, quam profiteri volunt, et christianae vitae institutionibus perfectius erudiantur.[1] Quibus attendentes parochi institutioni, examini et praeparationi adultorum Catechumenorum singularem diligentiam adhibebunt, providentes, ne qui christiana professione censeri volunt, inimicos huic nomini mores exhibeant, et ne sancto coetui, cui se copulatos gloriarentur, cum novi nominis jactantia antiquae conversationis maculam aspergant. Quare facta solerti inquisitione, de iis, quae requiruntur, testimonia fide digna ad Ordinarium referant, atque licentiam baptizandi ab eo petant.

Nomen, quod baptizato imponitur, ab aliquo sumendum est, qui propter excellentem animi pietatem et vitae probitatem in Sanctorum numerum relatus est. Ita enim facile fiet, ut quivis nominis similitudine ad virtutis et sanctitatis imitationem excitetur, ac praeterea, quem imitari studeat, eum quoque precetur, et speret sibi advocatum ad salutem tum animi tum corporis defendendam venturum esse.[2] Hinc illa tantum admittantur nomina, quae in Martyrologio Romano inveniuntur, cujus exemplum in qualibet ecclesia baptismali praesto sit, et cum aliis parochialibus libris in ecclesiae inventarium referatur, ut delectus rariorum et insolitorum nominum probari, aut parentibus de seligendo haesitantibus congruum proponi possit. Quodsi parentes petant, liberos nomine insigniri, quod honestum quidem sit, sed Sancti memoriam non referat, conjungatur semper cum nomine alicujus Sancti, ne videantur nominis compellatione naturali tantum familiae proprii, qui regenerationis gratia familiae Christi adscripti sunt; cui dum nobiliori et firmiori, quam sanguinis vinculo junguntur, tanti beneficii atque honoris memoriam etiam condigno nomine profiteantur.

Quemadmodum parentes nutricem et paedagogum adhibent, ut eorum ope et opera in educandis filiis utantur, ita ex vetustissima Ecclesiae consuetudine ii, qui ex baptismi fonte

¹) Catech. Rom. p. II. cap. 2. quaest. 36 et 38. ²) Cat. Rom. loc. cit. quaest. 75

vitam spiritualem vivere incipiunt, patrinorum fidei et prudentiae committuntur, a quibus ad omnem pietatis rationem institui possint, atque ita paulatim in Christo adolescere, donec tandem viri perfecti juvante Domino evadant. Et quoniam hoc munus adeo negligenter passim tractatur, ut nudum tantum hujus functionis nomen remaneat, quid autem sancti in eo contineatur, ne suspicari quidem homines videantur: parochi monebunt patrinos, quantopere deceat eum, qui aliquod officium suscepit, in eo diligenter exequendo numquam defatigari; neque convenire, ut qui se alterius paedagogum et custodem professus est, illum ipsum deserat, quem in fidem et clientelam suam recepit, donec eum opera et praesidio suo egere intellexerit. Revocent illis in memoriam verba s. Augustini, quibus susceptorum officia erga filios spirituales comprehendit: „Debent eos admonere, ut castitatem custodiant, justitiam diligant, caritatem teneant, et ante omnia symbolum et orationem dominicam eos doceant, decalogum etiam, et quae sint prima christianae religionis rudimenta.“ [3])

Ex quo patrinorum munere facile colligitur, cuinam hominum generi sanctae hujus tutelae administratio committenda non sit, nimirum iis, qui eam gerere aut fideliter nolint, aut sedulo et accurate non queant. [4]) Prohibendos itaque a munere patrinorum praecipit Synodus infideles, haereticos, schismaticos, excommunicatos, interdictos, manifestos et notorios concubinarios aliosque peccatores palam notos, etiam illos fideles, qui matrimonium mixtum illicite contrahentes permiserunt, ut proles ex hoc matrimonio progignendae in alia praeterquam catholica religione educentur; porro mutos aut mente captos, sed nec pueros, qui non confirmati, aut saltem ad primam Communionem nondum admissi sunt. Religiosos a patrinorum officio Canones prohibent; [5]) Clericos vero in sacris Ordinibus constitutos hortamur, ne illud facile suscipiant.

Quoniam ex patrinorum munere inter susceptores et le-

---

[3]) Confer. C. 105. Dist. IV. de Cons. [4]) Catech. Rom. p. II. cap. 2. quaest. 29. [5]) Can. 103. 104. Dist. IV. de Cons.

vatos tam arctum nectitur vinculum, ut intra certos terminos matrimonium contrahi non permittat, contractumque dirimat, in memoriam revocat Synodus legem Concilii Tridentini, ut scilicet unus tantum sive vir sive mulier juxta sacrorum Canonum instituta vel ad summum unus et una baptizatum suscipiant. Parochus, antequam ad baptismum conferendum accedat, diligenter ab iis, ad quos spectabit, sciscitetur, quem vel quos elegerint, ut baptizatum de fonte sacro suscipiant, et eum vel eos tantum ad illum suscipiendum admittat, et in libro eorum nomina describat, doceatque eos, quam cognationem contraxerint, ne ignorantia ulla excusari valeant. [6]) Plurium quam duorum patrinorum nomina in libros baptismales nullo modo inscribantur, quum praetextus, qui adduci solet, eos nimirum ut testes baptismi inscribi, omni ratione careat, quia hujus fidem publicam parochi testimonium facit.

Multum sane juvabitur studium christianae pietatis et sanctificationis, si fideles saepius publice vel privatim renovent foedus cum Deo Creatore, Redemptore et Sanctificatore per baptismum initum, perpendant beneficia sibi collata, agantque pro illis gratias rogantes, ut justitiam et sanctitatem, quam ex Dei liberalitate nacti sunt, illibatam custodiant, vel peccato foedatam poenitentiae lacrymis repurgare festinent. Ad quod saepius, praesertim revertente annuo baptismi die iterandum tum fideles hortabitur parochus, tum ipse praecipuis saltem per annum festivis diebus post concionem vel catechesim cum populo fideli juxta formulam in Rituali dioecesano exhibendam vota baptismalia Deo reddet.

Puerperas exacto feliciter partu gratias acturas et benedictionem specialem suscepturas ecclesiam accedere, pia quidem et laudabilis est consuetudo, stricto tamen praecepto non injuncta. Hortetur itaque parochus matres invitetque, ut ad exemplum Beatissimae Virginis Mariae ad ecclesiam veniant; benedictionem vero hanc extra ecclesiam conferre nullatenus praesumat, etiamsi mulier propter in-

---

[6]) Sess. XXIV. cap. 2. de Ref. Matrim.

firmitatem aliamve causam ecclesiam accedere impediatur; quum ritus et finis hujus benedictionis praesentiam puerperae in ecclesia supponat, nec matri in lecto decumbenti vel accessum ad ecclesiam detrectanti benedictio haec conferri possit, quin ritus sacer ludibrio exponatur, et parochi benedictionem impertituri alacritas facile contemnatur.

Introductio puerperae utique catholicae, matrimonio mixto junctae fieri potest, si proles apud Catholicos baptizata est et Ecclesiae catholicae succrescit; quando vero apud Catholicos baptizata Ecclesiae subtrahitur, neganda est matri licet catholicae talis benedictio, quia non potest Ecclesia benedictione adprobare et cohonestare, quod in radice improbat et dolet. Ut autem catholica mater hoc casu repulsam ferens ex confusione sibi illata ab Ecclesia catholica non avertatur, praevie de hoc disciplinae capite omni cum discretione admonenda est et instruenda, ne introductionem petitura ad ecclesiam veniat. Mulieres vero, quae ex illegitimo thoro pepererunt, ad hanc benedictionem nullo modo admittantur; nec enim potest esse laetus puerperae ad ecclesiam accessus, quam tristis matrem fecerat lapsus; nec potest invitari ad limina ecclesiae, ut ingrediatur templum Deo gratias persolutura, quum ad ea potius reducenda esset poenitentiam actura, quia violavit templum Spiritus sancti; neque aspergi aqua salutari ad pacem, cui subministrandae sunt lacrymae compunctionis ad tristitiam. Praeterea nulla praesto sunt exempla Conciliorum aut probatorum Ritualium, quae vel indulserint, ut talibus impertiretur benedictio, vel ritu etiam ad similitudinem approbati composito morum lasciviae medicinam ferre praesumserint.

CAPUT III.

De Sacramento Confirmationis.

Ne ii, qui baptismum susceperunt, quasi modo geniti infantes imbecilles essent ad viriliter contra spirituales hostes pugnandum: ideo Christus Dominus, cum in nulla re suis mili-

tibus deesse voluerit, chrismatis Sacramentum reliquit, quo muniti carnis illecebras, mundique fraudes et invisibilium hostium insidias fortius propulsarent, et robur acciperent ad nomen Domini nostri Jesu Christi non ore tantum, sed factis etiam confitendum, semperque glorificandum. Quare licet hoc Sacramentum non adeo sit necessarium, ut absque eo salvus quis fieri nequeat: tamen a nemine sine magno peccato negligi potest. Etiamsi enim continuo transituris sufficiant regenerationis beneficia: victuris tamen necessaria sunt Confirmationis auxilia, [1]) quae tanto studiosius sunt a fidelibus quaerenda, quanto acriora diebus nostris mysterium iniquitatis parat certamina. Quapropter Synodus hortatur fideles, ut, quod omnibus communiter ad sanctificationem Deus proposuit, ab omnibus etiam summo studio expetatur.

Quamvis omnibus post baptismum confirmationis Sacramentum administrari possit, minus tamen expedit hoc fieri, antequam pueri rationis usum acquisierint. Confirmatio enim praeprimis ad id ordinata est, ut ejus virtute instructi et parati inveniremur, quum nobis pro Christi fide pugnandum esset; ad quod sane pugnae genus pueros, qui adhuc usu rationis carent, nemo aptos esse judicaverit. [2]) Parvuli rationis usum assecuti, quibus frequentior se offert suscipiendi hujus Sacramenti copia, absque rationabili causa non facile adducantur ad sancti chrismatis mysteria, antequam ad primam Communionem admissi fuerant; e contrario non differatur Confirmatio ultra decimum quartum aetatis annum, ne juvenilis aetas in hujus vitae arenam imbecillis descendat, tanto tristiori cladi objicienda, quanto atrociorem pugnam illi tum propriae fragilitatis ignorantia parat, tum fallax mundi species intentat atque seductorum astutia molitur. Sed neque ruri, ubi non tam frequenter administrari solet Confirmatio, facile admittendi sunt ad eam parvuli, priusquam ad sacram Synaxim accesserint; neglecta enim hac cautione fieri potest, et accidisse dolemus, ut pro labili tenerae aetatis memoria obliviscerentur, se jam

[1]) Can. 2. Dist. V. de Cons. [2]) Catech. Rom. p. II. cap. 3. quaest. 17.

signaculo perfectionis esse munitos, atque sacri chrismatis munimentum denuo expeterent, quod praesertim tunc facilius evenire posset, quando de domo paterna mature evocantur. Ne vero festinatio ad hoc Sacramentum suscipiendum non tantum excusari sed et suggeri videatur eo, quod dioecesium amplitudo rariorem ejus assequendi occasionem suppeditet: Episcopi pro muneris obligatione curabunt, ut in dissitis quoque dioecesium partibus frequentior ejus adipiscendi copia detur, expetituri etiam, si alio modo succurri non posset, Sedis Apostolicae auxilium, ut pro rerum adjunctis de remedio benignissime provideat.

Ne frustra in confirmandos divinum hujus Sacramenti beneficium collatum esse videatur, summa cum pietate et religione illud suscipiant. Itaque de hujus Sacramenti natura, vi et dignitate, nec non de condigna ad illud suscipiendum praeparatione solerter erudiantur a parochis vel aliis sacerdotibus, moneanturque, ut septiformem Spiritus sancti gratiam corde per poenitentiae Sacramentum a peccatis purgato et Corporis Dominici virtute ornato devote excipiant. Et quoniam ad christianae militiae exercitium vocatos confirmatio armat et instruit ad agones, summopere decet, ut militaris tesserae argumentum accurate cognoverint. Quapropter serio et seorsim examinentur, an sciant distincte saltem preces consuetas, rudimenta fidei, praecepta Dei et Ecclesiae, et priusquam admittantur, ea edoceantur. Nemini concedatur accessus, qui huic examini non satisfecerit. Ut Episcopo constet, qui admissi fuerint, quilibet confirmandus exhibeat testimonium parochi vel alicujus acerdotis de praeparatione peracta et admissione concessa. Monemus sacerdotes, eorum conscientias gravantes, ne tali testimonio provideant illos, de quorum praeparatione non constiterit. Testimonia haec, in quibus ceterum etiam nomen patrini pro confirmatione electi scriptum sit, administrato confirmationis Sacramento reddantur parochis, ad quorum coetum confirmati pertinent.

Si ad suscipiendam Confirmationem alia quam parochialis interdumque remotior ecclesia accedenda sit, processionaliter et pie orando vel etiam alternatim hymnos et cantica spiritualia concinendo procedendum est, cujus curam ludimagistri vel alii a parocho constituti gerent. Provida sollicitudine curabunt Parochi aut Catechetae, ut confirmandi mature conveniant, ne absint, quando Episcopus initialem extensis versus confirmandos manibus orationem dicit, nemo enim inungendus est, qui primae isti manuum impositioni non interfuerit; vigilabunt etiam, ne confirmati discedant, nisi absolutis precibus et finali benedictione Episcopi accepta. Masculorum frons crinibus, feminarum vero coronis aliisque hujusmodi ornamentis omnino vacua sit. Feminae praesertim hac occasione decenter et valde pudice sint ornatae, earumque caput, si tegitur, cooperiatur velo aut alio quodam tegumento tam simplici et plano, ut dum frontem inungit Episcopus, simul manum capiti admovere valeat. Quo magis ipsa administrationis solemnitas confirmandorum piam dispositionem augeat et perficiat, videbunt Episcopi, ut sermone nervoso, elicitis virtutum theologicarum actibus, renovato foedere baptismali aliisque piis exercitiis, prouti Spiritus suggesserit et temporis ratio admiserit, confirmandi ad ferventioris devotionis affectus excitentur, ut et Episcopi Spiritum sanctum invocantis, et hujus adventum praestolantium idem sit desiderium idemque suspirium. Et quoniam charitas urget, ut signaculo Dominico jam signati et spirituali robore muniti etiam recentem, quae ad agonem armatur, aciem precibus suis et pietatis votis adjuvent: hinc dum confirmandi sacro chrismate inunguntur, alternatim in ecclesia cantentur hymni, psalmi vel cantica, aut rosarium recitetur.

Patrini, qui ad hujus quoque Sacramenti administrationem advocantur, tamquam duces ac monitores descendentium in spirituale certamen tales solum admitti possunt, quibus non obstat, quod eos a patrinorum munere in baptismo prohibeat. Assumatur autem singulis confirmandis tantum unus, sive vir sive mulier pro sexu confirmandi, sitque confirmationis Sacramento munitus,

et quantum fieri potest, diversus a patrino baptismi.[3] Ob dioecesium hujus provinciae amplitudinem nonnumquam evenit, ut confirmatio in una alicujus territorii ecclesia administretur, ad quam confirmandi ex vicinis parochiis evocantur. Spectatis difficultatibus, quae ut singulis confirmandis singuli patrini assistant, saepissime praepediunt, concedimus propter necessitatem, ut etiam aliquos tantum patrinos masculis, et aliquas feminis matrinas constituere liceat ex parochianis pietate conspicuis, imo si confirmandorum numerus valde exiguus esset, etiam unum tantum patrinum et unam matrinam adhiberi indulgemus; omnino autem prohibemus, ne plus quam uni paroeciae idem patrinus et eadem matrina assignentur, aut ex alia paroecia patrini deligantur, qui nullam cum parvulis consuetudinem habent; hac ratione enim eorum officium ad meram caeremoniam redigeretur. Cum interdum accidat, ut ad Confirmationem venientes sine patrinis compareant, atque obvii dein homines plurium, quos nec nomine norunt, sponsores agant, ita ut hujusmodi munus vanae caeremoniae sit ostentatio, et officium inde susceptum nullius momenti habeatur: praecipimus iis, quibus confirmandorum praeparatio committitur, ut hos, eorumque parentes, praesertim autem electos patrinos de muneris suscipiendi gravitate sollicite admoneant; praeprimis vero parochi videant, ut fidelibus universim hujus officii origo, obligatio et vinculum, quo innodat, clarius innotescat, ne a munere, cujus nomen et signum retinetur moribus, observantia exulet christianae charitatis, quae illud instituit et commendat.

Ad quamvis ecclesiam parochialem adsit etiam liber confirmatorum eorumque patrinorum, ex quo cognosci possit impedimentum cognationis spiritualis, quae contrahitur inter confirmantem et confirmatum, ejusque parentes ac patrinum, in praedicto testimonio nominatum, etiamsi in ipso Con-

---

[3]) Can. 102. Dist. IV. de Cons. et Can. 100. Dist. IV. de Cons.

firmationis actu alius, tamquam hujus patrini procurator manum adposuerit.

Ut saepius renovetur memoria donorum, quae Spiritus sanctus in Confirmatione elargitur, et crescat reverentia in signaculum perfectionis, atque reviviscat robur ad resistendum diabolo et tentationibus ejus: excitent parochi tempore Pentecostes aliisque opportunis diebus festivis fideles jam confirmatos, ut, quibus aucti sunt, dona mente grata recolant, militiam, ad quam vocati sunt ultro subeant, et proelia Domini, ad quae armati sunt, strenue proelientur.

CAPUT IV.

De Sanctissimo Eucharistiae Sacramento ejusque Cultu.

„Amantissimi Redemptoris nostri Jesu Christi, Unigeniti Filii Dei, tanta fuit erga homines benignitas et caritas, ut humana indutus natura non solum saevissimos pro nostra salute cruciatus, atrocissimamque crucis mortem perpeti, verum etiam in augustissimo suo Corporis Sanguinisque Sacramento nobiscum semper morari, ac nos peramanter pascere et nutrire voluerit, quo ipse in caelum rediens ad dexteram Patris nos et sui numinis praesentia, et tutissimo spiritualis vitae praesidio communiret.“ [1] In quo sanctissimo Sacramento dum illum eumdem Deum praesentem adesse credimus, quem Pater aeternus introducens in orbem terrarum dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei, quem Magi procidentes adoraverunt, quem denique in Galilaea ab Apostolis adoratum fuisse Scriptura testatur: nullus dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in catholica Ecclesia semper recepto latriae cultum, qui vero Deo debetur, eidem exhibeant. [2]

Ad hunc cultum praestandum ut subministraretur oppor-

---

[1]) Epist. encycl. S. D. Pii IX. de die 3. Maji 1858. „Amantissimi.“
[2]) Conc. Trid. Sess. XIII. cap. 5.

tuna occasio et vividius incitamentum, publice et solemniter sanctissima Eucharistia in templis proponi coepit. Quem morem dum universa servat Ecclesia, nostrae praesertim regiones quasi domesticum frequentant, quoniam haeresis saeculo decimo sexto exorta Episcopos et fideles eorum curae commissos vehementer excitavit, ut tanto manifestius coleretur et adoraretur apertius Deus Sacramenti specie velatus, quanto acerbius doluerunt impugnari ipsius Sacramenti veritatem, reverentiam cessisse cavillationibus, et cultum contemtui.

Quemadmodum certum est, summopere excitari fidelium animos ad reverentiam Dei Filio debitam Eucharistia in ostensorio venerationi patenter exposita, et corroborari fidem catholicam latriae cultu, quae est aperta contra haereseos mendacium protestatio: sic aeque non deest experientia, nimis frequenti sanctissimi Sacramenti expositione nec gloriam Dei augeri, nec promoveri fidelium aedificationem, imo tepescere cultus fervorem et finem sacrae liturgiae impediri. Hinc multo melius est, ut non ita frequenter exponatur; et tunc cum debita reverentia, quam ut frequentius et sine debito obsequio et reverentiae significatione id fiat, quod cum magna animi commotione multis in locis fieri vidimus et invenimus. [3]

Quae vero sanctissimi Sacramenti expositio nimia dicenda sit, et quae spectatis locorum circumstantiis populique fidelis indigentiis utilis, Ecclesia quidem lege communi non definivit, ast neque singulorum parochorum vel ecclesiarum rectorum judicio definiendum reliquit, sed potius eorum commisit Ordinariis, qui convocatis ecclesiarum rectoribus tempus idoneum constituant, quo sanctissima mysteria in qualibet ecclesia exponenda sibi videantur. [4] Hinc Patres in hac Synodo collecti sanciunt, quae sequuntur:

1. Sanctissimum Sacramentum publice et patenter amodo amplius non exponatur, neque in ecclesiis Regularium, nisi

---

[3]) Confer Benedicti XIV. Instit. eccles. 30.

[4]) Benedicti PP. XIV. Constit. „Accepimus" die 16. Aprilis 1746.

eo tempore, modo et ordine, quem Episcopus praescripserit, servato utique ritu externo, quem Ecclesia in solemni expositione tenendum praecipit.

Quandocumque sanctissima Eucharistia publice adoranda exponitur, accendantur ad minimum duodecim candelae, quae continuo ardeant,[5] fiatque debita incensatio, atque si longiori tempore exposita remaneat, ecclesiae rector curabit, ut semper adsint aliqui Clerici, qui illam flexis genibus adorent. Quodsi sodales confraternitatum in suis vel etiam in alienis ecclesiis id facere velint: scamnum ab ecclesiasticis sejunctum illis tribuatur, ut Deum precentur.[6]

Consuetudinem passim vigentem, impertiendi benedictionem cum Sanctissimo statim ac decantata fuerint hymni „Pange lingua“ verba: „Sit et benedictio“ ceu sacrae liturgiae adversantem reprobamus, praecipientes, ut in posterum decantato per populum hymno praefato celebrans orationem: „Deus, qui nobis sub Sacramento,“ praemisso videlicet competenti versiculo cum responsorio persolvat, moxque populo benedictionem Sanctissimi, utique nil dicens, impertiat.[7]

Si praeter statutos et concessos casus, quibus augustissima Eucharistia exponenda est, peculiaris aliqua causa publicam ejusdem expositionem in quacumque ecclesia desiderare videatur: sciant earum rectores, quod ob causae gravitatem minime faciendae expositionis facultatem habeant, sed omnino petendam esse ab Ordinario licentiam.

Quod privatam attinet Sanctissimi adorationem, quando scilicet Eucharistiae Sacramentum e tabernaculo non profertur, et ita velatum aut in ciborio reclusum est, ut ipsa sacra Hostia videri non possit, porro quoad impertiendam benedictionem cum Sanctissimo in ciborio recluso ad Ordinarios pertinet editis de his instructionibus digno Dei cultui et nutriendae fidelium pietati prospicere.

---

[5]) Benedicti XIV. Instit. eccles. 30. — confer Decr. S. R. C. in Narnien. 15. Martii 1698. [6]) Benedict. XIV. loc. supra cit.

[7]) Decr. S. R. C. in una Ord. Min. Capuc. Prov. Helv. 23. Maji 1835.

2. Pie et religiose in Dei Ecclesia inductum fuisse praeterea morem constat, ut praecelsum hoc et venerabile Sacramentum in processionibus reverenter et honorifice per sacra templa vel etiam per vias et loca publica circumferatur, quo Christiani singulari ac rara quadam significatione gratos ac memores testentur animos erga communem Dominum et Redemptorem pro tam ineffabili et plane divino beneficio, quo mortis ejus victoria et triumphus repraesentatur.[8)]

Quae processiones, ne vel sua frequentia vilescant, vel caeremoniis pro libitu introductis solemnitatis magnificentiam obnubilent, statuimus, ut non instituantur aliis diebus intra vel extra ecclesiam, quam quos Ritualis Romani et provincialis praecepta assignant; quodsi alia occasione celebrari velint, exposita causae gravitate licentia ab Ordinario petenda erit. Nec deferendum censemus consuetudinibus quantumcumque diuturnis et quae praetenderentur privilegiis, sed praedictam normam adeo firmam servari volumus, ut ex hujusmodi titulo frequentari non liceat processiones, nisi illius valorem Ordinarii probaverit examen.

Praecipimus quoque, ut in iis celebrandis ecclesiarum rectores stricte sequantur ritum a sacra liturgia praescriptum; hinc meminerint, semel tantum cum sanctissimo Sacramento benedictionem impertiendam esse fidelibus, et quidem in fine processionis,[9)] exceptis feriis V. et VI. majoris hebdomadae, quibus a benedictione danda prorsus abstinendum est. Morem toties benedicendi populo, quoties absolutis hymni, qui decantari solet, partibus pausatur ceu abusum eliminandum esse praecipimus, salvo utique ritu in processione theophorica a Rituali praescripto.

Processiones autem cum tanta solemnitate atque tanto splendoris apparatu celebrentur, qui et laetitiam gratitudinis cum reverentia pietatis pro viribus aemulari demonstret, et victricem veritatem de mendacio et haeresi triumphum agere doceat.

[8)] Conc. Trid. Sess. XIII. cap. 5. [9)] Decr. S. R. C. in Monopolitan. de die 11. Maji 1652 et in Volaterran. de die 23. Septembris 1820.

Quo certius cultus tam augusto mysterio dignus conservetur et crescat, impense optamus, ut per parochias instituantur vel potius resuscitentur temporum iniquitate suppressae confraternitates sanctissimi Corporis Christi, tot Indulgentiis a Summis Pontificibus nutritae et auctae, quae venerationis sanctissimo Sacramento exhibendae curam gerant, vel adorando, dum proponitur colendum, vel comitando, dum in processione aut ad infirmos defertur, vel subministrando media ad honorem tali ac tanto Salvatore dignum, quantum fieri poterit, magnifico cultu externo contestandum.

3. Fides, quae Deum et Salvatorem nostrum in augustissimo Eucharistiae mysterio inter nos commorari absque dubio tenet, et pro immensa nostri dilectione denuo exinanitum laetitia gestiens miratur, suo ipsius impetu trahitur ad illum adorandum, et tenerrimis gratitudinis testimoniis amplectendum. Haec autem fides, reverentia et gratitudo non ferunt, ut thronus ejus longiori tempore destituatur adoratoribus, et ut Dominus, qui suos expectat, ab iis derelinquatur. Quapropter admitti nequit, ut in ecclesiis filialibus sanctissimum Sacramentum asservetur, nisi ad eas resideat sacerdos, vel in iis quotidie Missa celebretur, et ab ecclesia parochiali vel virorum coenobio non nimis distent, adeo ut emergente incendio vel inundatione ad transferendam Ss. Eucharistiam sacerdos tempestive adesse possit; ac nisi Ss. Eucharistia qualibet hebdomada renovetur, diu noctuque lampas coram Ea colluceat, et judicio Episcopi adsit necessitas ad consulendum saluti animarum.[10] Quae obtenditur ratio, ut populus ad preces communiter persolvendas absente sacerdote coram sanctissimo Sacramento convenire posset, repugnat praeceptis, quae in obeundo cultu divino Ecclesia sequitur.

---

[10]) S. Conc. Congr. in Castanen. 11. Jul. 1767. ad V. dub. et in Asculan. 14. Mart. 1795 — S. R. C. in Nucerina Pagan. 12. Sept. 1626 et in una Ord. Capuc. 22. Aug. 1699; nec non s. Liguori. theol. mor. lib. 6. cap. 3. de Euch. dub. 5 ad fin.

CAPUT V.

De precibus Quadraginta Horarum et perpetua Adoratione Sanctissimi Sacramenti.

1. Ingeniosa fidelium erga Salvatorem charitas, dum vitam et mortem ejus grata mente recoleret, memoratu digniora utriusque momenta tanta pietate repetebat, ut ad eorum tempora etiam suae devotionis moram componeret. Saeculo decimo sexto Mediolani preces solemnes ad quadraginta horarum spatium protrahi coeperunt in honorem quadraginta horarum, quibus Salvator post mortem in sepulchro requievit. Eodem saeculo Summus Pontifex Pius IV. approbavit sodalitium, quod quadraginta horas precibus explere consuevit, ut orationis fervore imitaretur jejunium, quod Dominus ad quadraginta dies protraxit. Cum paulo post Ecclesia gravissimis undique affligeretur malis Clemens PP. VIII. preces ad implorandam Dei misericordiam per ecclesias Romae continuandas ita disposuit, ut per quadraginta horarum spatium in una ecclesia a fidelibus persolutae, in alia eodem temporis spatio continuarentur.[1] Quo efficacius nutriretur orationis studium, solitae sunt preces hae fundi coram solemniter exposito sanctissimo Sacramento. Haec precum supplicationumque regula brevi urbis Romanae terminis excessit, et per universum fere orbem christianum diffusa est, tanto quidem celerius, quo liberalius Indulgentias suae approbationi Summi Pontifices addiderunt. Quoniam vero in nostris regionibus plura obstabant, quominus devotio continuis quadraginta horis deduci possit, benignitas Apostolicae Sedis difficultatibus istis condescendens, Indulgentiarum gratiam precibus quadraginta horarum concessam etiam tunc impertitur, quando stantibus causis gravibus sanctissimum Sacramentum continuis quadraginta horis non proponitur adorandum, dummodo expositio horis diurnis non interrupta quadraginta horarum spatium assequatur.[2]

---

[1]) Constit. Clement. PP. VIII. „Graves et diuturnae“ de die 25. Nov. 1592.
[2]) Constit. Benedict. PP. XIV. „Accepimus“ de die 16. Aprilis 1746.

Quae devotio, quam calamitates turbulenti nostri aevi ita impense commendant, quemadmodum illam suspiria praeteritorum saeculorum pepererant, ut ubi introducta est, perseveret, et introducatur, ubi desideratur, ex toto corde optamus.

Statuimus vero, ut sanctissimum Sacramentum horis diurnis continuis expositum maneat usque ad consummationem quadraginta horarum. Quare expositio neque interrumpatur tempore meridiano, neque benedictione aliqua interdiu elargienda, ut fideles Indulgentias devotioni annexas consequi possint. Volumus quoque, ut quantum peculiares ecclesiarum circumstantiae et vires permittent, etiam de externae solemnitatis apparatu provideatur, quem Instructio Clementis PP. XI. de die 20. Januarii 1705 praescribit, cujus tenorem Rituale mox edendum in appendice exhibebit. Nullibi autem preces quadraginta horarum cum solemnitate Patroni seu Tituli ecclesiae conjungantur, sed alio, quo magis convenit, tempore celebrentur, quia Sanctorum cultus, quem sibi illis diebus eorum memoria vindicat, haud apte conveniret cultui sanctissimo Sacramento impendendo.

2. Quemadmodum ab ortu solis usque ad occasum et in omni loco sacrificatur et offertur Domino caeli et terrae oblatio munda, ita decet, ut grata redemptorum pietas Dei Filium, qui post renovatam in hoc Sacrificio sui oblationem nobiscum manet, etiam jugiter et in omni loco adoret. Quod ut assequeretur, multorum coetuum studium, in unius sodalitii coronam ita coaluit, ut preces quadraginta horarum in una ecclesia absolutae inciperent in alia et continuarentur per tot contiguas, quot ex temporis mensura requiruntur, ut totius anni circulus omnia coronae membra complecteretur. Ita dum renascens anni orbita ad primum coronae membrum revertebatur eodem cursu repetitura cetera, enata est perpetua sanctissimi Sacramenti adoratio. In his per universum orbem sparsis sodalitiis enituit etiam instituta saeculo elapso in Archidioecesi Pragensi confraternitas perpetuae adorationis sanctissimi

Sacramenti,[3] quae benignitate Summi Pontificis Clementis XIV. confirmata atque Archiconfraternitati sanctissimi Sacramenti in Urbe aggregata omnibus ejusdem Indulgentiis aucta est.[4]

Antecessorum piis vestigiis inhaerentes providebunt hujus provinciae Episcopi, ut non tantum confraternitas perpetuae adorationis sanctissimi Sacramenti temporum injuria neglecta resuscitetur, sed ut salutare hoc devotionis exercitium per universam provinciam propagetur, institutis per singulas dioeceses confraternitatibus, quae, ut Archiconfraternitati Urbis aggregentur atque Indulgentiis augeantur, Beatissimum Patrem Pium IX. supplices adibunt sperantes fore, ut fideles indefesso pastorum zelo eruditi in dies laetiores mirentur et gratiores agnoscant gloriae altitudinem, quae ex veneranda Christi praesentia Ecclesiae Dei accedit. Hoc enim assiduo adorationis studio eveniet, ut fideles sibi gratulentur, illud nobis cum caelestibus esse commune, ut utrique Christum Deum et hominem praesentem habeamus; atque dum gaudentes agnoscent, illos Dei praesentis beata visione perfrui, ipsi eum, quem praesentem quidem attamen oculorum sensui impervium firma et constanti fide veneramur, ita adorabunt, ut aliquando illum revelata cernere mereantur facie, beati visu ejus gloriae.[5]

CAPUT VI.

De sacra Communione.

Dominus ac Redemptor noster, qui purgatione peccatorum facta sedet ad dexteram Dei Patris in excelsis, pro immensa, qua nos diligit, caritate non tantum Deus et homo sacramentali modo in altari residens in deliciis habet esse cum filiis hominum, sed sui oblationem quotidie renovans ad hujus vivificantis Hostiae participationem nos invitat, Corpus suum

---

[3]) Sub Archiepisc. Antonio Petro anno 1773. [4]) Breve Clementis PP. XIV. de die 4. Augusti 1773. [5]) Confer. Cat. Rom. p. 2. cap. 4. quaest. 30.

in cibum et Sanguinem in potum nobis offerens. Quum per hoc vitae pabulum et pharmacum immortalitatis efficacissimo modo praestat, quod promisit dicens: „Venite ad me omnes, qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos:" [1] quis in hoc exilii deserto non laetus properet ad colligendum manna caeleste et hauriendas aquas de fontibus Salvatoris? Sicut igitur omnium fidelium unus sit dolor, hac esca angelica privari, ita animarum pastoris sit praecipua cura, ut oves sibi commissae illa reficiantur, atque Corpore Domini nutriti de Spiritu ejus vivant; illa sit anxia sollicitudo, ne quis sibi judicium manducet et bibat, non dijudicans Corpus Domini.

Hinc animarum curam agentes praesertim parvulos ad primam Communionem diligenter et accurate praeparent, nullique parcant studio, quo tenera corda ferventiori erga Christum incalescant amore. Si enim verum est, a christiana puerorum institutione ut plurimum pendere totius parochiae incolumitatem: non minus certum est, nil ad istam piam educationem conferre efficacius debita ad primam Communionem praeparatione. Principium, ex quo totius praeparationis effectus sequitur, summa existimatio est, quam de sua prima Communione concipere debent pueri. Ad quam ut tenera aetas perducatur, Parochis et Catechetis nil adeo cordi esse debet, quam ut pueros christiana doctrina imbuant et ad pietatem informent, ne, si ignari et leves accederent, praematura et propera admissio in diuturnum dignae Communionis impedimentum verteretur. Quando solerter examinati admittendi censentur, persuadere ipsis conentur, diem primae Communionis futurum esse totius vitae celeberrimum et sanctissimum, quum ex hac principali actione tamquam ex fonte derivari soleat reliqua sacrae Communionis frequentatio, vita christiana et ipsa salus aeterna. Nil itaque intentatum relinquant, ut puerorum cordibus alte imprimatur Scripturae commonitio: „Opus grande est, neque enim homini praeparatur habitatio, sed Deo." [2] Ipsa vero

[1]) Matth. 11, 28. [2]) I. Paral. 29, 1.

prima parvulorum Communio, cui ut etiam parentes intersint ardenter optamus, sit dies sacrae laetitiae et desiderabilis solemnitatis; quapropter quo splendidiori poterit modo celebretur, ut animis adhuc integris alte imprimatur Sacramenti majestas, et sanctitatis, atque reverentiae et pietatis, qua Dominum ad se divertentem exceperunt, memoria non possit facile obliterari. Qui post primam sacram Communionem scholas frequentant, iis non exceptis, qui in privatis institutis educantur, duce parocho aut presbytero religionis magistro quater per annum praemissa sacramentali confessione ad sacram Synaxim accedant.

Ut non solum parvuli, sed omnes utriusque sexus fideles saepius per annum sacra Communione reficiantur, sancta Mater Ecclesia vehementissime desiderat, imo optat teste Tridentina Synodo,[3] ut in singulis Missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiae perceptione communicent, quo ad eos sanctissimi hujus Sacrificii fructus proveniret. Cui voto et desiderio Ecclesiae ut fideles saltem ex parte satisfaciant, omni adhibito studio et indefessa diligentia parochi adlaborabunt. Quem in finem in omni patientia et doctrina populo christiano saepius explicabunt, et in memoriam revocabunt fidei articulos de sanctissimo Eucharistiae Sacramento, praesertim de nostrae infirmitatis indigentiis, quibus ejus virtus et medicina succurrit, et quae de praestantissimis sacrae Communionis effectibus Ecclesia sentiendum declaravit et definivit. Et quamvis necesse sit, ut solerter inculcent, quam temerario ausu accedant et pernicioso ore gustent, atque sacrilego corde percipiant, qui mortali peccato gravati mensae caelestis Communionem non verentur: caveant tamen, ne dum illa doctrinae ecclesiasticae capita explanant, nimio rigore seducti, fideles a salutari refectione avocent et debiles robore desiderabili privent, meminerintque, sanos medico non indigere, sed aegrotos. Quapropter non suum sensum sed Decreti S. Concilii Congregationis ab Innocentio PP. XI. appro-

---

[3]) Sess. XXII. cap. 6.

bati sequantur judicium, dicentis: „Frequens ad sacram alimoniam percipiendam accessus confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquendus, qui ex conscientiarum puritate et frequentiae fructu et ad pietatem processu laicis negotiatoribus et conjugatis, quod prospicient eorum saluti profuturum, id illis praescribere debebunt.“ [4])

Sacra Communio palam petentibus negari non potest, nisi publice indignis, quales sunt excommunicati, interdicti, manifestique infames: ut meretrices, concubinarii, foeneratores, magi, sortilegi, blasphemi et alii ejus generis publici peccatores, si de eorum poenitentia et emendatione non constet et publico scandalo prius non satisfecerint; [5]) non tamen licet sacerdoti quemquam ex iis, qui arcendi non sunt, interrogare de peracta confessione, antequam eum ad Communionem admittat.

Praecipue autem animarum pastor vigilabit, ne sint in grege, qui nec paschali tempore Dominicae passionis et charitatis mysteria frequentare desiderent. Hinc tempore Quadragesimae legem Ecclesiae in Concilio Lateranensi IV. latam et a Tridentino confirmatam saepius promulget et explicet. [6]) Cui praecepto ut omnes Christifideles facilius satisfacere, et ut neque desides ullam excusationis causam praetendere possint: tempus paschale, seu terminum suscipiendae sacrae Communionis paschalis ex diuturni moris usu a feria IV. Cinerum usque ad Dominicam Trinitatis inclusive extendimus. Optamus insuper, ut fideles Communionem paschalem sumpturi propriam ecclesiam parochialem adeant; [7]) quamvis salutare istud necessitudinis parochialis vinculum temporum iniquitate laxatum aspero praecepto constringere nolumus: paterne tamen fideles monemus, ut qui aegre ferrent, si membra familiae declinarent a convivio, quod communis familiaribus laetitia paravit, nec

---

[4]) S. C. Congr. Decret. de die 12. Februarii 1679. [5]) Confer Ritual. Rom. de Ss. Euch. Sacram. [6]) C. 12. X. (5. 38.); confer Conc. Trid. Sess. XIII. can. 9. [7]) Confer Ritual.. Rom. de Commun. pasch.

ipsi deflectant a mensa communi, quae illos fide domesticos, charitate familiares et supernaturali nutrimento consanguineos demonstrat.

In ipsa administratione hujus augustissimi Sacramenti sacerdos ea religiose observet, quae in Missali et Rituali de Communione intra et extra Missam fidelibus distribuenda praescribuntur, ad illud praecipue attendens, ut fideles ad sacram mensam accessuri, quantum fieri potest, intra Missam post Communionem celebrantis admittantur et advocentur. Mos passim introductus, communi videlicet voce recitandi lingua vernacula confessionem generalem, quam minister altaris lingua liturgica interim pronuntiat, laudem meretur et imitationem.

Qui infirmitate corporis praepediti ecclesiam accedere non possunt, refectione sacramentali propterea non sunt privandi, sed quo magis indigent medico, qui animo medetur et corpori, eo ferventius desiderent Salvatorem, eo reverentius excipiant venientem. Parochus vero aegrotis parochianis sacrâm Communionem, non tantum prout lex postulat tempore Paschae, sed et votis eorum satisfacturus quoquo alio tempore paratissime ministret; imo caelestis medici desiderio, sanandi contritos corde et confractos dimittendi in remissionem, laetus occurrens populum saepe docebit et singulos fideles paterne monebit, ut aegrotis, etiamsi vitae periculum non immineat, de medicina sacrae Synaxis saepius, maxime si Festi alicujus celebritas id suadeat, provideant. [8])

Infirmis vero graviter decumbentibus, de quorum vita dubitatur, Sacramentum Eucharistiae ministretur per modum Viatici, et quidem ordinarie a parocho ejusve vicario, ab alio autem sacerdote extra casum necessitatis nonnisi de parochi licentia. Itaque parochi memores praecepti Ritualis Romani: „Viaticum sacratissimi Corporis Domini nostri Jesu Christi summo studio ac diligentia aegrotantibus opportuno tempore procurandum est,

---

[8]) Confer Rit. Rom. de Commun. pasch. et Commun. Infirm.

ne forte contingat illos tanto bono parochi incuria privatos decedere“:[9]) parochianos pro pastoralis sollicitudinis zelo commonefacient, illorum esse, quandocumque quis familiarium vel domesticorum graviter decumbat, mature parochum vocare; monstrabunt etiam, quae sit impietas, infirmum fraudare medicina caelesti et quam saeva sit commiseratio, destituere afflictum divino Consolatore, qui visitationis suae gratia illos erigit, quos vana hominum consolatio tristes relinquit. Sed et ipsi quocumque modo cognita parochiani alicujus gravi infirmitate, etiam non vocati illum visitabunt, et ad suscipiendum sacrum Viaticum allicient.

Sacra Eucharistia ad aegrotos, sive illa refici velint ex devotione, sive muniri ut Viatico, publice et honorifice deferatur a sacerdote, superpelliceo et stola induto, campanula adventum Domini sonitu suo annuntiante. Morem hic ibique vigentem, deferendi Ss. Sacramentum sub baldachino cum majori solemnitate et fidelium comitatu, grati laudamus, volumusque, ut pia haec consuetudo, ubi adhuc desideratur, pro viribus inducatur. [10])

Deferantur autem quantum locorum et temporis rationes admittunt, plures Particulae consecratae in parvo ciborio, proprio operculo cooperto, tum ut aegroto Eucharistia jam refecto cum sanctissimo Sacramento benedici possit, [11]) atque illud comitantes Indulgentiarum a Summis Pontificibus concessarum [12]) participes fiant, tum ut ipse sacerdos facilius evitet difficultates, si fors neganda esset infirmo sacra Communio.

Occulte autem Ss. Sacramentum ad infirmos numquam deferatur, nisi Ordinarius facultate sibi a Sede Apostolica concessa ex gravissima causa dispensaverit. [13])

---

[9]) De Comm. Infirm. [10]) Confer Rit. Rom. loc. supra cit. [11]) Confer Rit. Rom. loc. cit. ad fin. [12]) Constit. Innocent. PP. XI. „Injuncti Nobis“ de die 1. Oct. 1678. et Innocentii PP. XII. „Debitum pastoralis“ de die 5. Jan. 1695.
[13]) Decr. S. R. C. in Gandaven. 16. Decemb. 1826.

CAPUT VII.

De Sacramento Poenitentiae.

Quemadmodum nobis nasci non profuit, nisi redimi profuisset: ita neque renasci profuit illis, qui post susceptam baptismi gratiam seipsos in peccati servitutem et daemonis potestatem tradiderunt, nisi eis alterius insuper, utcumque laboriosi baptismi remedium praesto esset, Sacramentum videlicet Poenitentiae provida miseratione a Christo Domino institutum.[1]

Quodsi vero hujus Sacramenti medicina non secus lapsis post baptismum, ac baptismus nondum regeneratis ad salutem prorsus necessaria dignoscitur:[2] procul dubio, cum humanae naturae fragilitas alioquin omnibus nota sit, maxime cavendum erit, ne superveniente fors essentiali defectu ex parte ipsius ministri salutiferi ejusdem Sacramenti effectus frustrentur.

Idcirco Patres in hac Synodo congregati pari solertia, qua oves errabundas reducere ad gregem ardentissime exoptant, sequentia prae ceteris de legitima Sacramenti Poenitentiae administratione profiteri et statuere consultum ducunt in Domino:

Cum fideles praesertim hoc ipso Poenitentiae Sacramento ad sacram Eucharistiam sumendam aptissime disponantur: divinus Sacramentorum Auctor pia et maxima consentanea dispositione providit, ut illi ipsi, qui soli verum Ejusdem Corpus conficiendi potestatem habent, accepta etiam altera sacerdotalis Ordinis potestate, corpori Christi mystico salubriter prodessent, fidelibus videlicet Sacramentum Poenitentiae ministraturi, adeo ut omnes et singulos presbyteros in hac functione Apostolis succedere verissime censendum sit.[3] Quoniam vero illius quoque judicii, quod nomine et auctoritate Dei miserantis exercetur, natura et ratio exposcit, ut sententia in subditos duntaxat feratur: persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, et verissimum esse praesens quoque Synodus palam

---

[1]) Conc. Trid. Sess. XIV. de Poen. cap. 1. et 2. [2]) Cat. Rom. p. 2. cap. 5. quaest. 1. [3]) Cat. Rom. loc. cit. quaest. 54.

profitetur, non illicitam solum, sed omnino invalidam, seu nullius momenti esse absolutionem, quam sacerdos profert in eum, in quem ordinariam aut delegatam non habet jurisdictionem.[4]

Cui dogmati catholico ea, qua decet, fidelitate inhaerentes districtim et severissime prohibemus, ne quis sacerdos sive saecularis sive regularis, in quacumque hujus provinciae dioecesi utriusque sexus fidelibus Poenitentiae Sacramentum ministrare praesumat, nisi legitimam ab Ordinario loci facultatem obtinuerit, excepto tamen mortis periculo, quo imminente, si proprius desit sacerdos, alioquin quicumque presbyter quoslibet poenitentes a quibusvis peccatis et censuris licite et valide absolvere potest.[5]

Facultatem hanc seu jurisdictionem pro sacro tribunali Antistites locorum servatis Concilii Tridentini sanctionibus[6] conferent aut ordinariam per collationem beneficii seu officii, cui cura animarum conjuncta est, aut delegatam, quam reliqui sacerdotes pro beneplacito Ordinarii obtinebunt.

Quaecumque autem sit obtenta jurisdictio, et sive scripto Ordinarii testimonio, sive vocis eloquio detur, strictissimae interpretationis habenda est tum ratione loci et temporis, tum ratione personarum et casuum reservatorum, adeo ut praesumptivi consensus excusatio nemini patrocinetur. Quodsi vel provisus jurisdictione ordinaria munus, cui adnexa est, dimiserit vel delegata alterius sacerdotis jurisdictio ratione definiti tenoris et ambitus cessaverit: pro iterum obtinenda facultate ad Ordinarium loci recurrendum est.

Ordinariam, qua parochi provisi sunt, jurisdictionem minime fas est sic interpretari, ut alios quoscumque sacerdotes, legitima facultate destitutos ad audiendas parochianorum suorum confessiones sine praevio consensu Ordinarii loci delegare se posse existiment. Quod ne fiat, praesenti decreto aperte declaratur, Episcopos hujus provinciae collationem cu-

---

[4]) Conc. Trid. Sess. XIV. de Poen. cap. 7. [5]) Conc. Trid. loc. cit. — Cat. Rom. 2. cap. 5. quaest. 55. [6]) Sess. XXIII. de Ref. cap. 15. et Sess. XIV. de Poen. cap. cit.

juscumque jurisdictionis pro excipiendis fidelium confessionibus suo judicio et beneplacito reservasse. Minime tamen impedimus, quominus parochi subditos suos in alia hujus provinciae dioecesi fortasse commorantes, prout potissimum in peregrinationibus sacris contingere solet, licite et valide absolvere queant. [7]

Concedimus quoque, ut ratione consuetudinis in hac provincia vigentis vicini in confiniis dioecesium parochi eorumque adjutores, quando concursus poenitentium mutua confessariorum subsidia exigere videtur, in administrando Poenitentiae Sacramento ultro sibi invicem auxilio sint; cujus tamen ministerii causa distinctam casuum, qui in finitimis dioecesibus reservati sunt, notitiam habeant oportet.

Quanta olim religione in antiquissima Ecclesia jus ordinarii sacerdotis conservatum fuerit, ex veteribus Patrum decretis facile intelligitur; quibus cautum est, ne quis Episcopus aut sacerdos in alterius dioecesi aliquid gerere auderet sine ejus auctoritate, qui illi praeesset, aut nisi magna necessitas cogere videretur. [8] Etiamsi stante decreto Concilii Tridentini [9] proprius poenitentium sacerdos non solus parochus, sed quilibet presbyter censendus sit legitima per Ordinarium loci facultate praeditus, adeo ut sacerdotes ab Episcopo ad audiendas confessiones per dioecesim constituti etiam invitis parochis quocumque tempore fidelibus Poenitentiae Sacramentum administrare queant: [10] multis tamen rationibus convenit omnino, ut saltem non inscio parocho confessiones praesertim aegrotantium excipiantur; unde prout Regulares ex Constitutione Clementis PP. X., [11] ita praesenti decreto saeculares etiam hujus provinciae confessarii obligantur, parochum de ministrando vel ministrato hujusmodi infirmis Poenitentiae Sacramento illico certiorem

---

[7]) S. C. Congr. in Posnanien. 3. Decemb. 1707 (in Lib. Decret. 57. et apud Bened XIV. Instit. 86.) [8]) Cat. Rom. loc. cit. quaest. 54.
[9]) Conc. Trid. Sess. XXIII. de Ref. cap. 15. [10]) S. C. Congr. in Aretina 26. Oct. 1613. (in Lib. Decret. 11.) [11]) Bulla „Superna“ de die 22. Junii 1670, §. 4.

reddere; sufficit tamen, ut haec certioratio fiat saltem per scripturam apud ipsum infirmum relinquendam.

Magnopere etiam ad christiani populi disciplinam pertinere Patribus visum est, ut atrociora quaedam et graviora crimina non a quibusvis sed a summis duntaxat sacerdotibus absolverentur; unde prout merito Pontifices maximi pro suprema potestate sibi in Ecclesia universa tradita, ita Episcopi quoque in sua quisque dioecesi causas aliquas criminum graviores suo possunt solentque peculiari judicio reservare. 12)

Episcoporum erit, sedulo curare et vigilare, ut casus Sedi Apostolicae reservati, praesertim qui frequentius fors occurrere possint, a confessariis minime ignorentur, quibus etiam quantum conservandae disciplinae ecclesiasticae ratio permittet, facultatem a Sede Apostolica sibi datam communicabunt, adeo ut iidem a quibusdam hujusmodi casibus subdelegato modo valide absolvere queant. Sed et in statuendis casibus, quos suae jurisdictioni Ordinariae reservare possunt, solertissime providebunt, ut reservationes ejusmodi fidelibus vere prosint. In hunc finem quamvis pro tradita sibi in subditos auctoritate jure praedicto semper et quandocumque voluerint, uti queant: potestatem reservationis potius in Synodo, quam extra Synodum exercebunt. 13)

Ne confessarii in materia tam gravi facile errent vel multimodis dubiis angantur: providam locorum Episcopi instructionem exarabunt, qua non solum singulos, quos statuerint, casus reservatos apertis et indubiis terminis annuntiabunt, sed insuper regulas interpretationis adjungent, quarum ope confessarii occurrentia dubia tuto solvere possint.

Lege denique sapientissima cautum est, ne confessiones in privatis aedibus excipiantur, nisi ex causa rationabili; quae cum inciderit, prout potissimum cura aegrotorum postulare solet, Sacramentum Poenitentiae decenti ac patenti loco ministretur. Honori tum ejusdem Sacramenti, tum ipsius con-

---

12) Conc. Trid. Sess. XIV. loc. cit.

13) Bened. XIV. de Syn. dioec. lib. 5. cap. 4. n. 3.

fessarii consulit Rituale Romanum, pariter praecipiens, ut quae in ecclesiis habentur sedes confessionales, crate perforata inter poenitentem et sacerdotem sint instructae. [14] Legis hujus ex officio muneris Episcopalis custodes ac vindices constituti, Patres hujus Synodi severissime prohibent, ne quis excepto necessitatis casu confessiones mulierum extra ecclesiam, imo neque in ipsa ecclesia, nisi sedes confessionalis praedicto modo aptata sit, excipere audeat; contra facientes gravibus, prout intolerabilis hujusmodi abusus meretur, poenis et ipsa etiam suspensione ab officio Confessariorum mulctabuntur.

CAPUT VIII.

De proficua ejusdem Sacramenti administratione.

Quidquid hoc tempore sanctitatis, pietatis et religionis in Ecclesia summo Dei beneficio conservatum est: id magna ex parte confessioni tribuendum esse, omnes fere pii persuasum habent; ut nulli mirandum sit, humani generis hostem, cum fidem catholicam funditus evertere cogitat, per ministros impietatis suae et satellites hanc veluti christianae virtutis arcem totis viribus continuo oppugnare. [1] Exinde facile liquet, quantum curae et diligentiae in administrando Poenitentiae Sacramento pastores et confessarii ponere debeant, ut si opportuno eorum auxilio in corde poenitentium fuerit contritio, in ore confessio, in opere fructifera satisfactio, dignis his ipsis poenitentiae fructibus mendaces vivifici hujus Sacramenti adversarii confundantur.

Cum Synodi hujus Patribus plurimum cordi sit, ut omnes et singuli provinciae confessarii inter dispensatores mysteriorum Dei fideles inveniantur: sequentia monere de proficua hujus Sacramenti administratione sibi proposuerunt:

Ut idonei habeantur confessarii, tales nimirum, qui ex voto

---

[14]) Ord. minist. Sacram. Poenit.

[1]) Cat. Rom. P. 2. cap. 5. quaest. 36.

s. Pii PP. V. plenam opitulante Deo totius orbis christiani reformationem perficere queant, provide decrevit sancta Synodus Tridentina, nullum etiam Regularem posse confessiones saecularium audire, nec ad id idoneum reputari, nisi ab Episcopis per examen, si illis videbitur esse necessarium, aut alias idoneus judicetur.[2] Salutari huic decreto innixi Episcopi hujus provinciae neminem neque ad beneficium parochiale promovebunt, neque delegata facultate ad excipiendas confessiones providebunt, nisi praedictum examen subierit et bonum idoneitatis testimonium meruerit. Noverint quoque omnes sacerdotes utut examinati et jurisdictione pro tribunali sacro provisi, Episcoporum esse jus et officium, ut confessarios, quandocumque de eorum dexteritate prudenter dubitaverint, ad examen denuo subeundum requirant.[3]

Cum ceterum ipsi fideles ecclesiastica Catechismi Tridentini instructione moneantur, ut maximo studio eos sibi confessarios seligant, quos praeter vitae integritatem doctrina prudensque judicium commendat:[4] vix plures necesse erit afferre rationes, ut confessariis persuadeamus, quomodo eos oporteat indefesso praesertim positivae theologiae moralis studio scientiae suae copiam continuo locupletare, ne gravissimo pariter ac periculoso muneri, quo ceu doctores, judices et medici animarum funguntur, ulla ex parte desint. „Utinam non contingeret, merito conquestus est Benedictus PP. XIV., „quod tamen frequentissime videmus, aliquos nempe sacerdotes, qui initio praeclarissime confessarii munus susceperunt, inde post diuturnum tempus omni studiorum cura neglecta pristinam moralis theologiae scientiam amittere, ita ut qui in ejusmodi arte peritissimi fuerant, tandem exigua solum et confusa ipsius artis scientia primisque rudimentis instructi vix inter tirones adnumerentur."[5]

---

²) Sess. XXIII. de Ref. cap. 15. Confer Bull. Innoc. PP. XIII. „Apostolici ministerii" de die 13. Maji 1723.

³) Bull. Bened. PP. XIV. „Apostolica indulta" de die 5. Aug. 1744.

⁴) Cat. Rom. p. 2. cap. 5. quaest. 56. ⁵) Instit. eccl. 32.

Quia vero nil proderit scientiae utut solidae et superabundantis thesaurus, nisi ex illo ditare poenitentes confessariis maxime cordi sit: genuinum et ardentem animarum zelum requirimus in omnibus et singulis, quibus faustissima sorte obtigit, cooperari Deo ad reducendas animas pretioso Christi Sanguine redemtas, quique vel ideo impendant et superimpendantur ipsi pro salute poenitentium.

Zeli hujusmodi et misericordiae primum exhibebunt documentum confessarii in eo, ut maximo affectu ad confessiones excipiendas ducti nullo non tempore promtos facilesque se praebeant, prout alioquin Rituale Romanum praecipit. [6] Imprimis vero monemus et per charitatem Christi obsecramus parochos eorumque adjutores et alios, qui ex titulo justitiae seu stricti officii ad audiendas confessiones obligantur, ut non tantum vocati, sed alias etiam ultro, praesertim diebus dominicis et festivis, sabbato a meridie, et in vigiliis festorum statis horis in sede confessionali compareant, divinum Pastorem imitantes, qui sedens ad fontem Jacob salvandam expectabat mulierem de Samaria peccatricem, et ultro veniens ad piscinam Probaticam, cum hominem vidisset jacentem et cognovisset, quia jam multum tempus haberet, prior ipse quaesivit ex illo, num sanus fieri velit. Erat autem sabbatum in illo die. [7] Non minorem ecclesiarum rectores curam gerant, ne fideles sacrum adituri tribunal aedituorum aliorumque ministrorum morositate a salutari proposito deterreantur.

Meminerint porro confessarii, quod a poenitentibus Patrum nomine compellantur, ut misericordia moti paternum eis affectum praebeant, recipiendo ipsos summa mansuetudine, sufferendo patienter tarditatem eorum, imbecillitatem, ignorantiam aliasque imperfectiones. Confitentes autem peccata sine increpatione audiant, timidos confirment, vacillantes instruant, nec ullo fastidii signo miseros et alioquin paventes confundant. Non enim egent, qui sani sunt medico, sed qui male habent; neque venimus vocare justos, sed peccatores ad poenitentiam. [8]

---

[6]) Ord. minist. Sacr. Poen. [7]) Joann. 5, 9. [8]) Luc. 5. 31—32.

Quoniam vero sacerdoti maxime verendum est, ne semel dimissi amplius non redeant: omni quo potuerint, prudentiae et benevolentiae studio allaborent confessarii, ut ex imparatis ad absolutionem, prout monuit Leo PP. XII. faciant paratos. 9)

Suscepti muneris partes non implent, imo vero gravioris, ut verbis utamur Benedicti PP. XIV., „criminis reos se faciunt confessarii, qui nulla tacti sollicitudine poenitentes tantum audiunt, non monent, non interrogant; sed expleta criminum enumeratione, absolutionis formam illico proferunt. 10) Adjuramus igitur omnes hujus provinciae confessarios, ut sospitem Samaritanum sequentes sauciatis omni, prout prudentia et spiritus suggesserit, admonitionis et solaminis praesidio succurrant et vinum charitatis et oleum misericordiae eorum vulneribus infundere non renuant. Blande suaviterque imo si opus fuerit, opportune et importune necessaria exquirentes, quae citra culpam taceri non possunt, caveant tamen summopere, ne vel imprudenti interrogandi modo, aut inutilibus et curiosis quaestionibus poenitentes offendant. Imprimis vero Sedis Apostolicae auctoritate graviter et districte, divini interminatione judicii atque in virtute sanctae obedientiae, omnibus et singulis utriusque Cleri confessariis prohibemus, ne poenitentes, „qui peccatum seu crimen aliquod, cujus socium aut socios habuerint, ipsis in tribunali Poenitentiae confiteantur, interrogare praesumant de nomine socii seu complicis, loco habitationis, vel aliis hujusmodi adjunctis sive circumstantiis, expressionem magisque individuam ejusdem complicis manifestationem concernentibus, eidem poenitenti si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando; alioquin noverint sese ultra peccati lethalis incursum suspensioni ab officio audiendarum confessionum aliisque etiam gravioribus poenis fore subjiciendos.“ 11)

---

9) Cat. Rom. loc. cit. quaest. 58. — Encycl. Jub. Leon. PP. XII. „Charitate Christi“ de die 25. Decemb. 1825, §. 5.

10) Encycl. Jubil. „Apostolica constitutio“ de die 26. Junii 1749, §. 19.

11) Constit. Benedicti XIV. „Ubi primum“ de die 7. Julii 1745 et 2. Junii 1746.

In imponenda satisfactione sit amor, sed non emolliens, sit rigor, sed non exasperans, sit zelus, sed non immoderate saeviens, sit pietas, sed non plus, quam expediat, parcens.[12] Quodsi poenitentes injunctam satisfactionis materiam nimis aegre ferant, quamvis confessarii in ea imponenda neque Concilii Tridentini, neque Ritualis Romani instructionem neglexerint:[13] valde proficuum erit, ut ad vetustam Ecclesiae disciplinam et Canones poenitentiales provocent, quorum notitiam sibi procurare haud omittant. Proderit de cetero, satisfactionem quidem graviorem suadere, sed eam tantum imponere, quae prudenter judicetur a poenitentibus adimplenda, et prout Catechismus Romanus consulit, ultro repetenda.[14]

Quoniam nulla res fidelibus adeo curae esse debet, quam ut frequenti peccatorum confessione animam studeant expiare:[15] hinc parochis et confessariis, qui vero zelo accensi, nullum in terris quaerunt aliud praemium laboris, nisi peccatorum conversionem et animarum in via salutis profectum, vix necesse erit persuadere, quanta sollicitudine eos oporteat quavis occasione poenitentes instruere et monere, ut non semel tantum et iterum per annum, sed multo saepius et frequentissime, prout in Domino expedire videbitur, ad sacrae exomologesis lavacrum recurrant. Multum proderit hunc in finem, ut pia sodalitia et confraternitates, quibus frequentior Sacramentorum usus maxime fovetur, poenitentibus suis facundo ore commendent. Non minus expediet, ad Indulgentiarum, quae Sedis Apostolicae largitate conceduntur, thesaurum provocare, et poenitentes pie allicere, ut ad lucrandam Indulgentiae gratiam contrite confiteri non dubitent. Imo, si proficuum esse videbitur, hoc opus satisfactionis imponatur poenitentibus, ut repetitis vicibus divinae miserationis tribunal accedant et ultro accedere assuescant. Plurimum autem auxiliante Domino frequentiorem Sacramenti Poenitentiae usum promovebunt con-

---

12) Greg. M. Reg. past. p. 2. cap. 6. ad fin.
13) Conc. Trid. Sess. XIV. de poen. cap. 8. — Rit. Rom. Ord. min. Sacr. Poen.
14) Cat. Rom. lib. et cap. cit. quaest. 74. 15) Lib. et cap. cit. quaest. 53.

fessarii sollicite adlaborantes, ut poenitentes confessiones sic dictae generalis beneficium experiantur, et inde novo quasi vitae spiritualis fundamento gaudentes, casto perfectionis christianae desiderio exardescant.

Non possumus autem non monere confessarios, quorum industria fideles frequentius confiteri didicerunt, ut in dirigendis ejusmodi animabus minime fluctuantibus opinionibus privatis innitantur, sed constantem omnino Ecclesiae catholicae traditionem, et piam ab auctoribus probatissimis commendatam praxim sequantur. Cavenda est enim „conscientia nimis larga et nimis stricta, quatenus prima generat praesumtionem, altera desperationem," [16] utraque autem spiritualem deviationem provocare solet, adeo ut animae salvandae misere perire possint.

Quamvis denique provinciae hujus confessariis, qui invictum sacramentalis silentii vindicem et Martyrem beatum Joannem Nepomucenum sortiti sunt gloriosum praedecessorem et Patronum caelestem, prolixo sermone hujus officii sui gravitatem monstrare vix necessum habemus: eos tamen monitos esse volumus, ut ori suo custodiam ponentes clarissimum ejusdem sancti sui Patroni exemplum et meritum tenerrimo studio aemulentur. Hinc non tantum a quacumque sigilli infractione, quae severissimis Ecclesiae poenis et ipso jure naturae et religionis condemnatur, cautissime abstineant, sed etiam citra periculum sigilli violandi et tecto nomine de rebus ex confessione cognitis absque gravissima causa mutuo minime conversentur. Imo quia Sacramentum Regis abscondere bonum est: illicitum habeant dicere, aliquem apud eos confessum fuisse, nisi confessio haec alioquin publice peracta fuerit. [17] Multo magis a directa cujusdam poenitentis laudatione, quasi indirectum aliorum vituperium sonante, caute abstineant. Eadem pietate tandem ignorantiam, ineptias scrupulosque confitentium sacerrimo silentio celent, neque de his aliisve jocari patian-

---

16) S. Bonav. Comp. theol. verit. lib. 2. cap. 52.

17) S. Alph. Lig. Homo Apost. tit. 16. cap. 8. num. 156.

tur, ut beatis, qui lingua non sunt lapsi, etiam ratione piissime custoditi sigilli sacramentalis annumerentur. Quo religiosius vero Sacramenti materiam coram hominibus occultare satagunt: tanto plus pro poenitentibus et cuncto populo sibi credito bona loquantur coram Domino, ut vel ipsi in arduo tribunalis sacri ministerio per Spiritum sanctum illuminari et adjuvari mereantur

CAPUT IX.

De Sacramento Extremae Unctionis.

Numquam firmiori Dei praesidio indigemus, quam dum crescente infirmitate mortis timor animum occupat, et praeteritorum delictorum memoria exagitati persentiscimus impleri in nobis, quod scriptum est: „Venient in cogitatione peccatorum suorum timidi, et traducent illos ex adverso iniquitates ipsorum," [1] atque dum illa cura vehementer nos angit, imminere judicium Dei, a quo de nobis justissima, prout meriti fuerimus, sententia ferenda sit. Auxilii a solo Deo exspectandi necessitatem auget impetus diaboli calcaneo nostro hac praesertim occasione insidiantis. Nam etsi adversarius noster, ut ajunt Patres Tridentini, occasiones per omnem vitam quaerat et captet, ut devorare animas nostras quoquo modo possit: nullum tamen tempus est, quo vehementius ille omnes suae versutiae nervos intendat ad perdendos nos penitus et a fiducia etiam, si possit, misericordiae deturbandos, quam cum impendere nobis exitum vitae prospicit. [2]

Quod certissimum auxilium et piissimum lenimen cum Dominus benignissime nobis praestet per Sacramentum Extremae Unctionis: facile intelligent tum parochi, tum graviter decumbentes, eorumque familiares et medici, quanto studio debeant curare, ut periculose aegroti hoc exoptatissimo remedio

---

[1]) Sap. 4, 20. [2]) Sess. XIV. Doctrin. de Sacr. Extrem. Unct. in Proöm.

muniantur, et ne quid Sacramenti gratiam impediat, sollicite cavere.

Itaque parochos non tantum caritas Christi et tenera oviculararum dilectio urgebit vehementer, ut diu noctuve vocati etiam cum suae vitae periculo saltem hanc ultimam medicinam de vita periclitantibus subministrent, sed et pastoralis sollicitudinis zelus vigiles faciet, ut quam primum parochianorum aliquem graviter decumbere resciverint, ipsi ad eum festinent, illumque ad rite suscipienda Sacramenta excitent et praeparent.

Ad quorum notitiam ut facile et mature veniant, docebunt parochianos, quantopere illos pietas in familiares et domesticorum cura obliget, ut memores mandati Dominici [3]) inducant presbyteros ad aegrotos, et eo tempore, si fieri possit, cum illis adhuc integra mens et ratio viget, ut ad uberiorem Sacramenti gratiam percipiendam ipsi etiam suam fidem ac piam animi voluntatem conferre possint, dum sacro liniuntur Oleo. [4])

Et quoniam multorum ignorantia et segnities eo devenit, ut quanto celeriorem et delicatiorem infirmorum corporibus curam adhibent, tanto duriori manu spiritualem a languentibus medicinam retardent; ita quidem, ut sacerdos, quem vel pastoralis zeli angor ad decumbentem adduxit, vel sera moris christiani ratio ad agonizantem vocavit, idem et spiritualis medicus et mortis nuntius appareat: paterne monemus et in Domino obsecramus, ut infirmi etiam citra mortis periculum Sacramenta Poenitentiae et Eucharistiae suscipiant, eorumque familiares hortamur, ut illos ad ea desideranda invitent; ne dum caduco spiritus tabernaculo reficiendo operam navant, ejus dominus miser langueat et deficiat. Ita quidem fiet, ut infirmi pacis, quam mundus dare non potest, praeconio erecti et spirituali refectione recreati tum morbi dolores cum majori meriti incremento perferant, tum ingravescenti morbo absque pavore saluberrimum Unctionis allevamentum multo cum profectu adhibeant.

Hinc praesertim carissimos in Domino medicos impense

---

[3]) Jac. 5, 14—15. [4]) Rit. Rom. de Sacr. Extrem. Unct.

rogamus et obtestamur, ut dum restituendae infirmorum sanitati omnem artem et operam laudabiliter impendunt, in curanda quoque spirituali languentium salute auxiliatrices nobis manus praebeant. Pro expolita, quae apud medicos viget, humanae naturae cognitione neminem latebit, quantum conscientia pacata, mensque inevitabilem aeternitatis sortem cum spe praestolans ad restituendam corporis valetudinem conferat. Provide idcirco Ecclesia non infirmis tantum, sed et ipsis medicis consulit, ardentissime desiderans, „ut medici ante omnia curent advocare medicos animarum, quo salubrius nimirum, postquam infirmis fuerit de spirituali salute provisum, ad corporalis medicinae remedium procedatur.“ [5]) Pietati non minus ac scientiae medicorum fidentes volumus, ut ab infirmis, prout ipse Altissimus praecepit, honorentur, maxime dum religionis et Ecclesiae votis piissime satisfacturi, aegrotantium saluti non corporali tantum, sed et spirituali providere satagunt.

Quum ex Apostoli verbis et Ecclesiae doctrina ob eam rem instituta sit Extrema Unctio, ut non modo animae, sed etiam corpori medicinam afferat: idcirco iis tantum, qui adeo periculose aegrotare videntur, ut ne supremus illis vitae dies instet, metuendum sit, hoc Sacramentum praeberi debet, et iis, qui prae senio deficiunt et in diem videntur morituri, etiam sine alia infirmitate; non vero iis, qui gravi morbo affecti non sunt, tametsi vitae periculum adeant, quales sunt: periculosam navigationem parantes, proelium commissuri, ultimo supplicio plectendi, feminae partui proximae, nisi alia insuper accesserit extraordinaria aut lethalis corporis aegritudo. [6])

Pueris infirmis, quum ad eam aetatem pervenerint, in qua peccare potuerunt, quamvis nondum communicaverint, administrandum est hoc Sacramentum; nec non adultis, qui amentes facti sunt vel delirant, si aliquando usum rationis habuerunt, minime vero amentibus, qui ejus usum numquam adepti

[5]) Conc. Lateran. IV. Cap. 22. confer C. 13. X. (5. 38.) et Constit. Pii PP. V. „Super gregem dominicum“ de die 8. Mart. 1566. [6]) Benedict. PP. XIV. de Synod. dioec. lib. 8. cap. 5. — Rit. Roman. de Sacram. Extrem. Unct.

sunt. Moribundi, qui dum sana mente et integris sensibus essent, illud petierunt, seu verosimiliter petiissent, muniendi sunt hoc salutis praesidio, quoniam de quolibet fideli Ecclesiae communione non destituto, nisi impoenitens sit aut in manifesto peccato mortali decedat, praesumendum est, fuisse hoc Sacramentum petiturum. [7]

CAPUT X.

De Sacramento Ordinis.

Quoniam per Sacramentum Ordinis fideles mysteriorum Dei dispensatores constituuntur et in regendis ecclesiis adjutores assumuntur: legibus propterea sapientissimis praeceperunt Patres in sancta Synodo Tridentina congregati, ut Episcopi in conferendis sacris Ordinibus summa circumspectione et exquisito delectu procedant. Legibus illis fideliter obtemperaturi, ut idem studium in exsequendo praestemus, quod in praecipiendo adhibitum intelligimus, sequentia in conferendis Ordinibus constituimus servanda:

Quum illud maxime cavendum sit Episcopis, ne vel ipsi de singulorum provectione, nec ordinati de sacri officii susceptione a Domino damnentur: hinc prae ceteris Examinatores ordinandorum constituent, viros videlicet divinae legis peritos ac in ecclesiasticis sanctionibus exercitatos, quibus sibi adscitis, insistentes tum Concilii Tridentini decretis, tum Constitutionibus Pontificiis ordinandorum genus, personam, aetatem, institutionem, mores, doctrinam et fidem atque factam de honesta sustentatione provisionem diligenter investigabunt et examinabunt; ne alicui ante aetatem maturitatis, ante tempus examinis, ante meritum laboris, ante experientiam disciplinae cito manus imposuisse tristes experiantur. [1]

---

[7]) Benedict. XIV. loc. supra cit. cap. 6.

[1]) Conc. Trid. Sess. XXIII. de Ref. cap. 4—17.; Sess. XIV. de Ref. cap. 2.; Sess. XXI. de Ref. cap. 2. — Constit. Pii PP. II. „Cum ex sacrorum" de 17.

Quia de vita et conversatione praesentandi, quod nonnumquam ignoratur a pluribus, scitur a paucis, quumque facilius ei quis obedientiam exhibeat ordinato, cui assensum praebuerit ordinando: non frustra fuit a Patribus institutum, ut de electione illorum, qui ad regimen altaris adhibendi sunt, consulatur etiam populus. [2]) Antistites hujus provinciae, prout vel editum in hac Synodo decretum de Clericis educandis et instituendis loquitur, [3]) omni studio vigilabunt, ut ad ministerium Sanctuarii adhibendi Deo et hominibus placeant, et vel ideo instante Ordinum sacrorum collatione praeceptis canonicis satisfacturi curabunt, ut cum promulgatione faciendae Ordinationis promovendorum ad Ordines majores nomina et desiderium tum in ecclesia cathedrali, tum in ecclesiis parochiarum, quae sunt in civitate episcopali, atque illarum, e quibus singuli oriundi sunt vel domicilium acquisierunt, publice denuntientur. Parochi autem hac occasione fideles monebunt, ut quid de ordinandorum actibus aut moribus noverint, quid de merito sentiant, libera voce pandant, et si aliquid contra illos habent, pro Deo et propter Deum cum fiducia dicant, verumtamen memores sint conditionis suae. [4]) Relationes parochorum de peracta ordinandorum promulgatione Curiae episcopali exhibendas Examinatores ordinandorum justo judicio probabunt.

Pie admodum in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, ut statis diebus, quibus etiam solemnia jejunia ex vetustissimo catholicae Ecclesiae more indicuntur, Ordinationes fiant, ut scilicet fidelis populus Sacrorum ministros a Deo impetret, qui ad tanti ministerii potestatem recte et cum Ecclesiae utilitate gerendam aptiores esse videantur. Quamvis cursus studii theologici et attemperata illi ad sacros Ordines

---

Novemb. 1461.; Decr. S. C. Cong. ex mand. Clementis PP. VIII. de die 15. Maji 1595; Innocent. PP. XII. „Speculatores“ de 4. Nov. 1694; Benedicti PP. XIII. „In supremo“ de 23. Sept. 1724.

[2]) Pontif. Rom. de Ord. Presbyt. [3]) Titul. I. cap. 9. [4]) Pontif. Rom. loc. supra cit.

suscipiendos in seminariis Clericorum praeparatio in hac provincia morem induxerit, ut adhibito dispensationis in angaria remedio extra statuta a jure tempora Ordinationes fiant: tamen quatuor temporum jejunia augendo spirituali Cleri profectui dicata manere volumus; tum quia fidelium preces, quas Ecclesia istis diebus desiderat, jejunio sanctificatae fient magis proficuae, tum ut Ordinationes, quae sacratis his temporibus alibi per orbem catholicum aguntur, totius Ecclesiae precibus suffulciantur, quum maxime deceat, ut communem causam communis prosequatur oratio.

Mandamus itaque, ut recurrentibus Quatuor Temporum jejuniis, atque indictis antea publice diebus, quibus sacrae Ordinationes fient, preces communes ab Episcopo praescribendae in omnibus per dioecesim ecclesiis peragantur, monentes simul ecclesiarum rectores, ut fideles ad frequentandum his diebus Missae Sacrificium et preces pro ordinandis et universis ecclesiasticis ordinibus devote persolvendas suaviter convocent. Proderit etiam, ut his vel aliis opportunis occasionibus de Ordinis Sacramento et tantis, quae ex illo in Ecclesiam et societatem humanam universim diffunduntur, beneficiis populum instruant; unde tum ipsi ad excitandam gratiam, quam ex hoc Sacramento adepti sunt, fortius movebuntur, tum fideles clarius intelligent, quo honore digni sint Ecclesiae ministri, et quantopere oporteat rogare Dominum messis, ut mittat operarios in messem suam, et ut mittantur opere adlaborare.

Praecipimus tandem, ut praesertim majores Ordines magna cum solemnitate, et quidem in ecclesia cathedrali vocato etiam ejusdem Capitulo conferantur; quodsi in alio dioecesis loco Ordinationes fiant, dignior, quantum fieri poterit, ecclesia eligatur. [5])

---

[5]) Conc. Trid. Sess. XXIII. de Ref. cap. 8.

CAPUT XI.

De Sacramento Matrimonii.

Quemadmodum matrimonium ut naturalis conjunctio ad propagandum genus humanum ab initio a Deo institutum est: ita deinde, ut populus ad veri Dei et Salvatoris nostri cultum et religionem procrearetur atque educaretur, Sacramenti dignitas illi tributa est. Quum enim Christus Dominus vellet arctissimae illius necessitudinis, quae ei cum Ecclesia intercedit, suaeque erga nos immensae caritatis certum aliquod signum dare: tanti mysterii dignitatem hac potissimum maris et feminae sancta conjunctione declaravit.[1] Foedus hoc, cujus indissolubile vinculum restituit, gratiae suae donis adeo liberaliter auxit, ut illis, quos jungit, mutuae esset sanctificationis adminiculum et ex eo genus electum, gens sancta et populus acquisitionis exsurgeret. Propter quam sacramentalem foederis conjugalis dignitatem, ab Ecclesia catholica perpetuo custoditam, matrimonium in ea numquam ceu merus contractus civilis considerari potest, a Sacramento aliquo modo separandus, cum ex verbis Sanctissimi Patris Pii IX. „inter fideles matrimonium dari non possit, quin uno eodemque tempore sit Sacramentum, atque idcirco quaelibet alia inter Christianos viri et mulieris praeter Sacramentum conjunctio cujuscumque etiam civilis legis vi facta nil aliud sit, nisi turpis atque exitialis concubinatus ab Ecclesia tantopere damnatus.“[2] Quapropter Ecclesia matrimonium quoad essentiam et vinculum suis legibus perpetuo direxit, causasque matrimoniales ad forum ecclesiasticum pertinere docet.[3]

Cum tanta sit matrimonii dignitas, tantaque beneficia ex illo non solum in singulos sed etiam in Ecclesiam et societatem civilem redundent, cum ea quoque sit Ecclesiae sollicitudo, ut legum suarum de matrimonio observatio in sanctifi-

[1]) Cat. Rom. p. 2. cap. 8. quaest. 15.
[2]) Allocut. in causa Reipubl. Neogranat. „Acerbissimum“ de die 27. Sept. 1852.
[3]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de Sacram. Matrim. can. 12.

cationem fidelium cedat: vigilabunt parochi omnesque, ad quos spectat, ut et ipsi legibus istis satisfaciant, et fideles ad sanctificationem per matrimonium procurandam dirigant. Revocent itaque fidelibus in animum, quod filii sanctorum sint et non possint ita conjungi sicut gentes, quae ignorant Deum; [4]) praemoneant tum adolescentes de familiari cum altero sexu conversatione, ne fallax amicitia et humana fragilitas ad peccatum seducat, diuturno remorsu conscientiam aflictura; tum adolescentulas, ne falsis pollicitationibus deceptae cum irreparabili virginalis innocentiae jactura in laqueum libidinis incidant.

Quum in seligendo vitae hujus comite et ad salutem aeternam consequendam adjutore circumspecta et matura cautione tanto magis opus sit, quanto certius constat, matrimonii consummati vinculum nonnisi morte rescindi posse: graviter dehortentur parochi et confessarii fideles, ne clandestina ineant sponsalia, quae rite facta matrimonii ineundi obligationem inducunt, et pericula non pauca involvunt. Qui enim Dei judicium non verentur, clandestinis sponsalibus ad seducendas mulieres facile abuti possunt, si nulla suppetunt testimonia in foro judiciali ad resilientem de fide fracta convincendum. Moneantur itaque nupturientes, ut nonnisi consultis parentibus, quorum assensum maximi faciant, et coram duobus vel tribus testibus, vel scriptis confectis de matrimonio contrahendo paciscantur. Ceterum meminerint parochi, impedimentum, quod ineundo matrimonio ex sponsalibus obstat, esse solum juris privati, et excepto publicae honestatis casu tantum actore petente dijudicari; quare nupturientem, qui fatetur se cum alia contraxisse sponsalia, ad fidem quidem servandam hortari tenentur, jure vero non pollent, denegandi assistentiam contrahendo matrimonio, si non adsit, qui de sponsalibus tuendis querelam moveat.

In examine sponsorum tum de fide, tum de requisitis ad valide et licite contrahendum matrimonium instituendo summam curam et religionem ita adhibeant, ut, dum culturae,

---

[4]) Tob. 8. 5.

morum, famae, conditionis atque aetatis sponsorum rationem habent in instituendo, ab illo tamen faciendo se abduci nullo humano respectu patiantur. Quos itaque elementorum fidei ignaros cognoverint, ad nuptias non admittant, antequam ea edocti fuerint. In examine de requisitis faciendo non acquiescant sponsorum verbis, sed documenta, quibus probentur, exquirant, factique examinis instrumentum secundum normam ab Ordinario praescriptam conficiant.

Detecto aliquo impedimento, praesertim matrimonium irritante, dispensationis petendae consilium spemque obtinendae non facile suggerant, cum dispensationes legis sint vulnera, atque si facile et saepe concedantur, disciplinam ecclesiasticam enervent. Sint igitur in praestando ad dispensationem consequendam auxilio parcissimi, et quando vel ab Ordinario provocati vel a sponsis rogati dispensationis obtinendae gratia testimonium aliquod exhibent, severe examinent, quae testantur, ne simulata veritatis specie decipiantur. Causae non inducantur nisi canonicae. Pari diligentia observent in exsequenda dispensatione, quae a Sede Apostolica vel ab Ordinario mandata fuerint, memores, ab accurata et fideli dispensationis exsecutione matrimonii valorem saepe dependere. Episcopi in tuendis Ecclesiae legibus suo exemplo praelucebunt, et sollicite vigilabunt, ne nimia facilitate in dispensationibus concedendis vel procurandis matrimonii sanctitati et fidelium saluti magis noceant, quam prosint.

Ut sponsi Sacramenti gratiam rite parati et dispositi suo matrimonio procurent, religiose observent, quae de suscipiendis Poenitentiae et Eucharistiae Sacramentis, et de non cohabitando in eadem domo ante benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam Synodus Tridentina praecepit. [5] Commendent itaque parochi et confessarii sponsis, ut generali peccatorum confessione animas suas purgent, quatenus novum statum novi homines aggrediantur, et qui communi conatu per

---

[5]) Sess. XXIV. de Ref. Matrim. cap. 1.

temporale connubium ad aeternas Agni caelestis nuptias tendere volunt, communi quoque Ss. Eucharistiae perceptione ad iter arduum se confortent.

Ad matrimonium contrahendum sponsi non admittantur eodem die, quo ultima ejus proclamatio facta est. Ut valide contrahatur, ineundum est coram parocho proprio alterutrius sponsi et duobus vel tribus testibus. Statutum hujus provinciae antiquae consuetudini innixum innovantes [6] definimus, jus nuptiis assistendi et stolae percipiendae ad parochum sponsae pertinere, licet matrimonium coram proprio parocho sponsi vel sponsae valide contrahi possit. Licentia matrimonio assistendi, quae a parocho proprio danda est, si sponsi coram alio sacerdote contrahere velint, in scriptis detur, ut matrimonii valide contracti documentum semper exhiberi possit. Testes, qui praeter parochum ad valorem matrimonii ineundi requiruntur, licet quicumque esse possint, dummodo, quae fiunt, percipere et testari valeant: propter reverentiam Sacramento, benedictioni et aliis sacris ritibus debitam non facile admittantur, nisi Catholici, qui communionis ecclesiasticae beneficiis ex integro fruuntur.

Quamvis tempore clauso communi lege ecclesiastica solemnitates nuptiarum solum prohibeantur, matrimonium autem omni tempore contrahi possit: [7] praecauturi tamen, ne contrahendo matrimonio etiam solemnitates, ut fieri solet, adjungantur, et praeceptum Ecclesiae eludatur, Synodi Pragensis statutum [8] jugi observatione firmatum innovamus mandantes, ut si ob causam gravem matrimonium vetito tempore contrahendum sit, praevia Episcopi licentia procuretur. Ex antiquissima et laudabili hujus provinciae consuetudine nuptiales hujusmodi solemnitates triduo quoque ante Ascensionem Domini intermitti solent; quem usum, cum fideles nostrae curae concreditos excitare possit, ut iis diebus processionibus ac spiritualibus operibus diligentius vacent, ejusdem Synodi Pragensis

---

[6]) Rit. Rom. provinc. Prag. de Sacram. Matrim. [7]) Rit. Rom. de Sacram. Matrim. [8]) Synod. Prag. anni 1605. de Matrim.

decreto [9]) innixi, retineri volumus. Et quum pro diebus jejunii et abstinentiae extra Adventum et Quadragesimam in nostra provincia praescriptis eadem devotionis et sacrae disciplinae ratio militet: hos quoque dies, quos moris observantia tempori vetito junxit, etiam in posterum a nuptiarum solemnitatibus vacare volumus, statuentes, ut ad contrahendum hisce diebus ex causis gravibus matrimonium sponsi ab Episcopo facultatem petant. Quotiescumque ad contrahendum tempore vetito matrimonium legitima dispensatio concessa fuerit, contrahatur summo mane, januis ecclesiae clausis, omisso solemni comitatu et sine benedictione sponsorum intra Missam; ipsa Missa dicatur de die vel festo occurrente, prout ex rubricarum praecepto dicenda est, absque commemoratione pro sponso et sponsa. [10])

Matrimonium celebretur tempore antemeridiano, ut Missae Sacrificio jungi, et sponsi benedictionis intra Missarum solemnia impertiendae, quando illam leges ritus sacri permittunt, participes fieri possint. Dolentes inveniri sponsos, qui augendae insolitae pompae saecularis studio seducti, matrimonii celebrationem a Sacrificio omnis gratiae et benedictionis fonte ditissimo separent, contrahentes tempore pomeridiano: statuimus, ut facultas matrimonium a meridie contrahendi, ab Ordinario in scriptis petenda, rarissime et nonnisi ex gravissimis causis, quarum veritatem et pondus parochi religiose examinent, concedatur, addita conditione, ut sponsi die nuptiarum Missae Sacrificio intersint.

Ut matrimonium monstretur contractum, a parocho, coram quo initum est, statim referatur in librum matrimoniorum; utque necessitate emergente plena illius probatio afferri possit, documenta, quae leges de ineundo matrimonio postulant, quaeque a sponsis exhibita sunt, in tabulario parochiali ita custodiantur, ut petentibus numquam restituantur eorum autographa, sed tantum exempla parochi asservantis subscriptione et sigillo munita.

---

9) Loc. sup. cit. 10) S. R. C. in Montis Pessul. de die 31. Aug. 1839.

CAPUT XII.

De matrimoniis mixtis.

„Cum sancto sanctus eris, et cum perverso perverteris. Si hoc in aliis, quanto magis in conjugio, ubi una caro et unus spiritus est. Quomodo autem potest congruere charitas, si discrepet fides? Et ideo cave Christiane, gentili aut Judaeo filiam tuam tradere. Cave, inquam, gentilem aut Judaeam atque alienigenam, hoc est haereticam, et omnem alienam a fide tua uxorem arcessas tibi. Saepe illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, et a religione fecit discedere. Et ideo tu vel amori consule vel errorem cave. Primum ergo in conjugio religio quaeritur." [1] Discordiam, qua secundum haec s. Ambrosii verba arctissimum conjugii consortium ex religionis discrepantia laxari solet, et seductionis a recta fide periculum formidans Ecclesia catholica semper prohibuit, ne Catholici conjugali foedere Acatholicis jungerentur. Tale matrimonium ideo quoque vehementer improbavit, quoniam salutis amittendae periculo praeter conjuges objiciuntur etiam eorum proles, quae non raro a diversis parentum conatibus huc illuc jactatae, in tristissimo indifferentiae religiosae discrimine versantur. Ex quo planum est intelligere, mixta haec matrimonia a Sede Apostolica non permitti, nisi ex gravissimis causis et sub certis conditionibus; imprimis, ut conjux catholicus remoto a se perversionis periculo plena suae fidei profitendae libertate polleat, sciatque obligari se ad acatholicum ab errore pro viribus retrahendum, utque proles utriusque sexus ex matrimonio procreanda in catholica religione educetur. [2] Cum autem conjugia mixta etiam his cautionibus inita, non sint optanda sed expavescenda, quoniam, etsi suggerant, quod speremus, tamen non removent, quod doleamus et timeamus: quid de iis dicamus connubiis, quae conjugem catholicum nullo fidei ab acatholico datae

---

[1]) S. Ambros. de Abraham, lib. 1. cap. 9. num. 84.

[2]) Literae Benedicti XIV. „Magnae nobis" de die 29. Junii 1748.

praesidio munitum, gravioribus tentationum et perversionis periculis circumdant?

Hinc quantacumque charitate prosequamur dissentientes a nobis in fide, non possumus tamen non dehortari fideles ab ineundis hujuscemodi matrimoniis, quia secus in tanto fidei et salutis eorum discrimine et tanto Ecclesiae de multorum ruina moerore timenda esset nobis objurgatio a Domino dicente: „Curabant contritionem filiae populi mei cum ignominia dicentes: pax, pax et non erat pax." [3])

Quapropter parentes catholicos in Domino rogamus et obtestamur, et tamquam pastores animarum de oviculis nostrae curae commissis tremendo Judici rationem reddituri mandamus etiam, ut prolem suam ab ineundis matrimoniis mixtis pro viribus praecavere et avertere studeant. Hinc quo gratiores verae fidei pretium ipsi agnoscunt et tuentur, tanto studiosius ad eamdem gratitudinem liberos educare, eamque in eorum cordibus verbo et exemplo ita confirmare nitantur, ut qualecumque lucrum, quod fidem in discrimen vocare possit, detrimentum arbitrentur. Praesertim filiarum consortio attendant, neque permittant cum iis frequentius versari, quibuscum conjugio aliquando copulari nefas esset.

Animarum pastores, praesertim qui coetibus praesunt, in quibus Acatholici versantur, doctrinam Ecclesiae de mixtis matrimoniis in publica et privata fidelium institutione, cum omni tamen discretione et mansuetudine proponant, dumque caritatem christianam ad omnes extendi docebunt, limites simul, quos divina lex posuit, demonstrare non omittant. Animarum zelo semper vigili et circumspecto, atque paternae inter suos conversationi etiam preces et oblationes jungant, ne illorum, quos Dominus in unitate fidei iis commisit servandos, quisquam in devia aberret, utque emergente matrimonii mixti periculo verbis suis et adhortationibus vim atque successum concilient.

Quodsi paterna hujusmodi studia in irritum caderent et

---

[3]) Jerem. 6, 14.

sponsus catholicus ab ineundo matrimonio mixto abstinere nollet: parochus illis saltem cautionibus suppeditandis operam navabit, quas Ecclesia catholica in indulgendis matrimoniis mixtis postulat. Si ad eas praestandas nupturientes invenerit paratos, curabit, ut de promissis conficiatur instrumentum, in quo inter alia etiam declaretur, prolem, si fors adsit, extra matrimonium procreatam in religione catholica esse educandam, et nupturientes omnino renuntiare juri de mutando pacto, quo se ad prolem utriusque sexus catholice educandam obstrinxerunt; quum evenire possit, ut in illis ditionibus sedem figerent, quarum leges talia pacta mutare permittunt. Instrumentum autem subscriptione nupturientium, duorum testium et ipsius parochi, nec non apposito sigillo parochiali confirmetur. Quum matrimonium mixtum praestitis etiam cautionibus contrahere Catholico minime liceat, nisi dispensatio Sedis Apostolicae vel Episcopi facultate instructi accesserit: libello supplici ad hanc obtinendam adjungatur instrumenti de praestitis cautionibus autographum, ut de conditione, sine qua dispensatio concedi nequit, certo constet. Ut haec dispensatio conferri possit, meminerint parochi, adducendas esse rationes, ex quibus vel ob majora mala avertenda vel spiritualia bona procuranda impedimenti mixtae religionis remissio expetitur. In proclamationibus matrimonii nonnisi obtenta dispensatione faciendis nulla de nupturientium religione mentio occurrat. Matrimonium valide contrahi nequit, nisi coram proprio partis catholicae parocho, qui quaecumque Episcopus in responso ad relationem de singulis casibus e Sanctae Sedis Ordinationibus mandaverit, ad amussim observet. Matrimonium contractum in libro matrimoniorum ita describatur, ut dispensationem et cautiones praestitas esse pateat, quod etiam in testimonio de inito matrimonio exhibendo fiat.

Quodsi autem cautiones praescriptae constanter negentur, et pars catholica a matrimonio ineundo averti nequeat, parochus cum omni mansuetudine sed et gravitate exponat illi, quantopere non tantum in sanctiones canonicas sed etiam in legem na-

turalem et divinam peccet; atque ad Ordinarium accurate de tristi hoc casu referat, expetens, ut sibi vel quae ultra tentanda sint, mandentur, vel permittatur ex Indulto Sedis Apostolicae contrahi matrimonium cum assistentia ut ajunt passiva. [4]) Responso accepto, si nullum praeter mixtae religionis impedimentum matrimonio obstat, praemittantur indulgente itidem Sancta Sede trinae promulgationes; quodsi aliud occurrat impedimentum, edoceatur pars catholica, non esse sperandam ejus remissionem, quum immorigeris filiis dispensationis gratiam Ecclesia elargiri non soleat. Si de peractis proclamationibus exarandum sit testimonium, id solum enuntiet, factis tribus denunciationibus praeter vetitum mixtae religionis nullum tale impedimentum, ob quod matrimonium ab iis valide contrahi non posset, detectum esse, nihilque addatur, unde nuptiarum approbatio inferri possit. Institutio parti catholicae solertissime impertienda intermedio promulgationum tempore continuetur; eique monstretur, quam indigna sit absolutionis sacramentalis, cum non suam tantum, sed etiam suae prolis salutem periculo exponat, addictura eam religioni, de cujus falsitate sibi persuasum esse debet. Quare etiam in sacro tribunali absolvi nequit; si vero in matrimonio constituta sincere resipiscat, et reatus sui poenitentia ducta ad mala, quantum poterit, reparanda paratam se exhibeat, absolutio ei non denegetur. Matrimonium ut validum sit, contrahendum est coram parocho partis catholicae et duobus vel tribus testibus, non in loco sacro sed tamen decenti. Parochus his nuptiis praesentiam praestabit, excluso quovis ritu ecclesiastico, perinde ac si partes ageret meri testis, ut ajunt, qualificati seu authorizabilis, ita scilicet, ut utriusque conjugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat. Forma inscribendi matrimonii eadem servetur, ut in aliis praescripta est, nisi quod rubrica „Copulans" vacua remaneat, et praesentia parochi annotetur verbis: „Co-

---

[4]) Instruct. Gregorii PP. XVI. ad Archiepisc. et Episc. Austr. dition. de die 22. Maj. 1841. „Cum Romanus Pontifex."

ram me N. N. parocho," ad cujus tenorem etiam testimonium de inito matrimonio exarandum est. Moneat conjuges, quum matrimonio valido juncti sint, indissolubile ejus esse vinculum, reliquosque perstare legitimi matrimonii effectus, partem vero catholicam dehortetur, ne reatum aggravando ministrum acatholicum accedat, ad ritum aliquem religiosum suscipiendum aut admittendum.

CAPUT XIII.

De causis matrimonialibus.

Causis matrimonialibus tractandis accuratam diligentiam et religiosum studium adhibendum esse, ipsa matrimonii dignitas et gravitas innuit. Cum sit vinculum, cujus sanctitas tenerrimam et inviolabilem Christi cum Ecclesia conjunctionem adumbrat, et Sacramenti splendore fulgeat, illius firmitas a conjugibus servanda est et a judicibus tuenda. Quamvis enim maritalis sponsorum consensus illud nexuerit, conjugum tamen dissensus, et impii eorum ausus illud dissolvere nequeunt; judicibus autem, quibus sanctiones praescriptae sunt ex matrimonii dignitate repetitae, non est licitum in causis matrimonialibus tractandis ab iisdem deflectere, nisi velint et justitiae laesae et Sacramenti violati reatum incurrere.

Imprimis itaque noverint conjuges, non esse iis integrum, ut ab invicem discedant ante sententiam auctoritate rei judicatae munitam, si agitur de rescindendo matrimonio contracto, neque absque licentia a judice obtenta, quando res in eo vertitur, ut a thoro et mensa separentur. Meminerint quoque judicis sententiam de rescindendo matrimonio latam, aut obstans impedimentum removentem non subsistere firmam neque conscientiam eorum tutam reddere posse, si errore ductus eam tulerit. Caveant igitur, ne aut falsis depositionibus aut aliis quibuscumque artibus judicem in errorem abducant; quia illis sententia judicis humani errore infecta nil proderit, si matrimonii vinculum solverit, cum coram Judice falli nescio vin-

culum perseveret, atque etiam a judice humano restitui debeat, quandocumque error detectus et probatus fuerit.

Judices autem monemus, ut in causis matrimonialibus agendis prae oculis potissimum habeant Constitutionem Benedicti PP. XIV. „Dei miseratione“ [1] nec non instructionem pro judiciis ecclesiasticis Imperii Austriaci in causis matrimonialibus, ab ejusdem ditionis Episcopis in conventu Vindobonensi anno 1856 adoptatam, et in singulis hujus provinciae dioecesibus jam promulgatam, quam quum plurium annorum experimenta admodum commendent, praesens quoque Synodus probat iterumque acceptat. Casus autem, quibus in hac instructione non provisum esse invenerint, ad juris communis normam pertractent et decidant.

Curati, quibus jus quidem tractandae causae matrimonialis non competit, sed vigilantiae pastoralis officium incumbit, sedulo videant, ne suae paroeciae conjuges absque judicii competentis licentia ab invicem discedant. Quodsi conjugatos misso conjugali consortio absque licentia seorsim degentes deprehenderint, moneant eos, ut ad vitae consortium revertantur, aut necessariam licentiam ab invicem discedendi sibi procurent; quicumque obedire detrectaverint, ad Ordinarium deferantur.

Si matrimonii vinculo impugnato sola consensus renovatio medelam afferre potest, vel conjugum cohabitationi separatio a thoro et mensa minatur: parochi paternae commonitionis officio, quod illis aut sententia judicialis injunxerit, aut muneris obligatio imponit, assiduo studio satisfacere nitantur, atque considerantes arduum persaepe pensum eo collimare, ut Deus corda conjugum conciliet et familiam christianam integram conservet, nec labori parcant, nec cedant molestiis.

[1] De die 3. Novembr. 1741.

TITULUS V.

DE FABRICA ET SUPELLECTILI ECCLESIASTICA.

CAPUT I.

Decretum generale.

Quemadmodum invisibilia Dei testante Apostolo [1] per ea, quae facta sunt, intellecta conspiciuntur: sic virtus quoque et divinitas sanctissimi Redemptoris nostri in omnibus et singulis, quae ad externam cultus divini speciem et pulchritudinem provida Ecclesiae dispositione ordinantur, miritice refulget, piasque fidelium mentes condigna Sponsi caelestis ejusque Sponsae admiratione perfundit, attollitque sursum. Etsi enim hujus ipsius Sponsae et filiae Regis omnis gloria sit ab intus: placuit omnino Sponso regali, ut „quam dilexit et tradidit seipsum pro ea" [2] assistat „Regina a dextris ejus in vestitu deaurato, circumdata varietate." [3]

Hinc avita fidelium pietas et religiosa liberalitas, quantum semper potuit, tantum ausit, ut illo numquam Christi Sponsa careat sacrae supellectilis thesauro et ornamento, cujus fulgore augustissima, quae in ecclesiis celebrantur et asservantur, Jesu Christi mysteria clarissime nitescant.

Pietatis hujusmodi et liberalitatis quum Ecclesia auctrix ipsa sit et nutrix: multifariis institutionibus et decretis, externum cultus divini ornatum seu sacratam fabricam et supellectilem concernentibus, casti ingenii, candidi fervoris et artis religiosae dux quoque fuit et custos semper fidelis, ne zeli ac liberalitatis dona, vel ingenii artisque ministeria quidpiam redoleant, quod orthodoxae fidei ac aedificationis impedimentum potius, quam fulcimentum foret.

---

[1]) Rom. 1. 20. [2]) Ephes. 5. 25. [3]) Ps. 44. 10—14.

Eapropter omnia et singula, quae tum per sacros Canones et Apostolicae Sedis Constitutiones, tum variis praesertim Sacrae Rituum Congregationis decretis de fabrica et supellectili ecclesiastica sancita sunt, tenerrima fide observari jubemus.

Inter alia vero celeberrimi Mediolanensium Antistitis s. Caroli Borromaei et ultimae Synodi Archidioecesanae Pragensis [4]) vestigia sectantes, ad augendum decorem domus Dei capita quaedam praecipua e decretorum Ecclesiae et Conciliorum thesauro delibare placuit, quae instructionis instar Clero hujus provinciae universim, potissimum vero ecclesiarum rectoribus proponimus, et ut religiose quantum fieri poterit, executioni mandentur, ardentissime optamus.

CAPUT II.

De ecclesiarum exstructione, conservatione et restauratione.

Servatis, quae jure canonico praescribuntur, quando de nova ecclesia aedificanda agitur, locus prae ceteris aptissimus et sacrae aedi omnino conveniens Episcopi judicio eligatur. Constans autem traditio ab Apostolis derivata [1]) haec est, ut in memoriam Jesu Christi, qui cruentum oblaturus sacrificium Calvariae jugum ascendit et ad significandam, quam in monte posuit, civitatem sanctam [2]) ecclesiae, quantum fieri potest, in edito seu quodammodo prominenter collocentur. Hinc ecclesiarum, quae nonnisi in plano condi poterunt, fundamenta saltem super planitiem eleventur ita, ut per aliquod gradus numero tamen impares ascensio fiat ad aedis pavimentum.

Quo major porro domui sacratae honor accrescat, more majorum curabit Episcopus, ut ecclesiae quoad situm insulae quamdam speciem repraesentent, et proinde non tantum pro-

---

[4]) Act. Eccl. Mediol. p. 4. libri 2. Instr. fabr. et supell. eccl. — Syn. Prag. anni 1605.

[1]) Act. Ap. 1. 13.; 20, 7—9. [2]) Matth. 5. 14.; 16. 18; Apoc. 21. 10.

cul omnino a clamosis sordidisque domibus erigantur, sed passim a quibuscumque aedibus aliquantum dissitae sint ac prorsus separatae. Quodsi vero Clericorum vel aedituorum habitacula potissimum propter sacrae supellectilis custodiam penes ipsam ecclesiam aedificantur: cavendum est, ne istiusmodi domus structura prospectum ac decorem domus Dei impediat vel offendat.

Ad illud etiam ab ipso initio advertendum erit, ut ecclesia sat ampla et late patens praeter populum adscriptum coetus quoque interdum ad festa peragenda confluentes capere possit; neque superfluum videtur, ut in eligenda area ampliandae quoque serius fors structurae provida ratio habeatur.

Architecturae forma seu dispositio cum multiplex esse possit: illa pro arbitrio Episcopi eligatur, quae praesertim repraesentandis orthodoxae fidei mysteriis, et traditioni ecclesiasticae aeque ac arti, duce Ecclesia excultae, adprime convenit. Jam vero illa ecclesiarum forma, Apostolorum Constitutionibus [3]) quodammodo sacrata, maximopere commendari meretur, quae Crucis, in qua salus mundi pependit, speciem quamdam exhibet, et positis duabus ab utroque latere capellis ad similitudinem brachiorum productis, forisque pro ratione architecturae prominentibus significando Crucis mysterio optime inservit. Quicumque ceterum sit structurae modus architectonum consilio propositus, pia Episcoporum solertia cavebit, ne constructionis forma ingenio religionis catholicae et rerum divinarum indigna intrudatur, neve adornanda domus Dei profanis vel imperitorum vel impiorum artificum commentis deformetur.

Plurima novimus condita fuisse antiquitus templa versus orientem aequinoctialem; quam praxim auctores non pauci Apostolorum jussu introductam asserunt, et summopere commendant, ut videlicet „ad paradisum, unde excidimus, antiquam patriam et regionem nostram respiciamus atque Deum oremus, ut ad locum, unde exules ejecti sumus, nos velit resti-

---

[3]) Const. Apost. lib. 2. cap. 57.

tuere." [4] Morem hunc adprime convenientem merito laudantes, ecclesias, nisi inevitabiles loci circumstantiae aliter urgeant, sic volumus aedificari, ut sacerdos in altari majori Missam celebrans orientem respiciat.

Frontispicium autem majores nostri singulari semper ornatu donari adamarunt, ut vel promicans eminus sacrae structurae decor egregius domum Dei hic esse et portam caeli doceat. A quo more cum nefas esset discedere, curabunt Episcopi, ut pro ratione architecturae et facultatum frons aedis Deo dicatae formosis ornamentis emineat. Illud praeter alia ardenter desideramus, ut quae a fronte locantur ostia, ipso suo congruo ornatu effatum Christi quodammodo interpretentur, dicentis: „Ego sum ostium." [5] Tribus autem, nisi alia obstent, a fronte ostiis aditum ad ecclesiam patefieri suademus; non tantum ob virorum mulierumque distinctionem, ordinemque in solemnitatibus facilius servandum, sed adumbrandi praeprimis Sanctissimae Trinitatis mysterii memores, cujus intuitu asserente s. Paulino „alma Dei domus triplici patet ingredientibus arcu, testaturque piam janua trina fidem." [6] Decet omnino, ut atrium quoque seu vestibulum in ecclesiarum fronte positum pro ratione areae et structurae sacri aedificii solido ac industrioso artificum opere exornetur. Recte insuper monuit s. Carolus Borromaeus, ut in uniuscujusque ecclesiae, praesertim parochialis frontispicio, ac superiori scilicet parte ostii majoris extrinsecus pingatur aut sculpatur decore religioseque imago B. Mariae Virginis, Jesum Christum in complexu habentis; a cujus latere dextero exprimatur effigies Sancti vel Sanctae, cujus nomine illa ecclesia nuncupatur; a sinistro alia item Sancti Sanctaeve, cui prae ceteris parochiae illius populus venerationem tribuit; aut saltem, si totum id triplicis imaginis opus fieri non potest, Sancti vel Sanctae solius tantum

---

[4]) S. Isidor. Originum lib. 15. cap. 4. — S. Athan. Quaestion. ad Antioch. Princip. quaest. 37.

[5]) Joann. 10, 9. confer Durand. Rational. lib. 1. cap. 1, 4, 26.

[6]) S. Paulin. Episc. epistol. 32. ad Severum, num. 13.

figura fiat, cujus nomine ipsa ecclesia appellatur. [7]) Etsi in parietibus, qui a latere et a tergo sunt, extrinsecus picturae et sculpturae minus desiderentur: volumus tamen, ut saltem in pariete Sanctuarii, seu capellae, ubi sanctissimum Sacramentum reconditur, vel alio loco decenti, extrinsecus scilicet, congrua quaedam pictura vel sculptura pateat, qua augustissimum istud et adorandum religionis catholicae mysterium praetereuntibus jugiter in memoriam revocetur.

Externam, quam superius adumbravimus, ecclesiae dispositionem sponte sua sequitur locatio interna, postulans, ut Clerus populusque ad obeunda fidei mysteria congregatus in modum Crucis Deo praesentetur. Quod quidem ut distincte figuretur mysterium, antiquissimis Apostolorum Constitutionibus innixi volumus atque mandamus, ut pavimentum capellae majoris, seu chori sacerdotalis sive presbyterii solo ecclesiae altius extruatur ita, ut locus iste ter sanctus non tantum cancellis septus ab ecclesiae navi separetur, sed per scalam quoque eminentiorem ipsius Sanctuarii majestatem commonstret. Gradus autem ad chorum ponantur vel tres ad figurandum Ss. Trinitatis mysterium; vel quinque ad significanda D. N. Jesu Christi stigmata; vel septem plane, quibus et ascensio ad munus sacerdotale per septem ordinum gradus, et septem Novae Legis Sacramenta repraesentantur, quae ceu divini Sacrificii salutares rivuli omnem gratiae thesaurum in orbem terrarum diffundunt. Accepimus quoque traditionem vetustissimam, ut navis pars australis masculorum stationi, feminis vero pars borealis assignetur. [8])

Ne cultus divini exercitium unquam interrumpatur, vel ob ingravescentia damna graviora plane impossibile reddatur: conservandae aedis sacrae non minor quam struendae cura sit ac sollicitudo.

Primo quidem tecti, a quo aliarum partium conservatio

---

7) Act. Eccl. Mediol. p. 4. Instr. fabr. lib. 1. cap. 3. confer Syn. Prag. 1605. de eccl. cultu.

8) Amalar. Episc. Trevir. de eccles. offic. lib 3. cap. 2., confer Const. Apost. lib. 2. cap. 57 de mulier. separ.

dependet, sedulo habeatur ratio oportet. Provide s. Carolus Borromaeus jam quoad modum tegendae ecclesiae singularem poposcit architectonum industriam et cautionem, ut vel ipsa tecti projectura ejusmodi fiat, qua stillicidia ab imis parietibus et pavimenti fundamentis, quantum arte praepediri possunt, arceantur. Tectum porro omnino firmum solidumque procuretur, fulcris ac trabibus necessariis bene munitum, cui deficientibus laminis aeneis tegulae e lapide fissili, aliaeve pro regionum usu diligenter imponantur.

Ut autem domus Dei undequaque sarta tectaque custodiatur, continuam praesertim rectoris ecclesiae vigilantiam provocamus, quippe qui illius tamquam sponsae suae carissimae curam gerens, frequentissima inspectione providebit, ut etiam tenuiores rimulae, per quas pluviarum guttulae penetrare solent, illico obstruantur, et sicubi gravius damnum in tecto temporis edacitate emerserit, quantocius reparetur, ne illo neglecto sensim putrescat maceries, labescant parietes, omnisque structura corrumpatur. Pari solertia prospiciet, ut prominentes parietum coronae a herba graminis mature depurgentur, fruticesque et radicosae arbores evellantur, quibus non raro ipsa aedium fundamenta paulatim gravissimis damnis afficiuntur. In eo quoque omnis cura ponenda est, ne humorum injuria parietes vel extrinsecus vel intrinsecus detrimentum capiant, ideoque procurandum, ut, quae diuturna stillatione confluens aqua basibus ecclesiae praesertim loco humido positae officeret, secura ac celeri defluxione amoveatur.

Intus autem ecclesia congruis fenestris pro magnitudine aedificii sat longis latisque provideatur, ita tamen constructis, ut ad siccandos parietes et vapores arcendos sine difficultate aperiri, imo si quae fors minoris structurae et facile amovibiles fuerint, ob eumdem finem quandoque amoveri possint. Pavimentum item ex nulla parte sit nudum, sed vel silice polito, vel lateribus vitreatis aut alio solido lapide bene stratum. Qualecumque autem pavimentum fuerit: debita Sacris honorificentia ipsamet vetat, ne in illo figura vel sculptura sanctae Crucis,

Sanctorum imagines vel historiae sacri cujusdam mysterii typum gerentes exprimantur.

Ceterum conservationi eorum, quae ad sacrae aedis multimodam supellectilem et omnigenum ornatum pertinent, optime providebunt ecclesiarum rectores, instructionis studiose memores, quam e Synodo Pragena derivamus mandantes, ut „ecclesiae summa munditie semper excellant; octavo quoquo die et saepius item scopis mundentur; pulveres e sedibus, parietibus, fenestris, altaribus ac picturis panno aliquo, vel scopis ad id aptatis abstergantur, atque aranearum telae undique studiose tollantur.“ [9])

Ad restaurationem ecclesiarum tum externam tum internam fauste auspicandam sedula consultis artificibus peritis optandae innovationis delineatio ad Episcopum deferatur, sine cujus licentia ecclesiarum rectores nil in aede sacra locare aut immutare praesumant. Obtenta vero licentia in cunctis minimisque approbatae delineationi insistant, vigilesque videant, ut restaurationis opus piis mentibus, manibusque gnaris credatur. Si vetus ecclesia amplianda est: nova, quae additur, structura cum genere seu forma antiqui aedificii conveniat. Idem utique servetur in qualibet tum externa, tum interna ecclesiarum instauratione.

Optamus ardenter, ut parochi omnesque universim sacerdotes solidam praesertim archaeologiae ecclesiasticae peritiam et subtile de artis christianae principiis et ministeriis judicium acquirant, ne sinistro eorum arbitrio, deficiente siquidem scientia et dexteritate, conservanda tollantur, abolenda retineantur, et instauranda sumptuose potius deformata, quam reformata merito vituperentur.

Quae de ecclesiarum aedificatione, conservatione et restauratione, eadem partim de turribus valent, quarum forma externa cum structura ecclesiae conveniat oportet. Ascensus ad locum campanarum et horologii, quantum fieri poterit, commodus sit, neque periculosus. Ostia turrium firmis valvis

---

[9]) Syn. Archid. anni 1605. De ecclesiarum cultu.

pessulisque munita, et continuo clausa sint, nisi cum opus est campanas pulsari. Profana, quae domum Dei dehonestant, a turribus quoque sedulo arceantur.

CAPUT III.

De Capellis viatoriis et Oratoriis privatis.

1. Capellae, quas in viarum compitis pagisve fovendae devotionis causa fidelium pietas erigi desiderat, data nonnisi Episcopi licentia condi possunt, ad quam impetrandam praeter usitatas in hac provincia literas, obligationem pro futura struendi operis conservatione testantes, structurae delineatio exhibeatur. Decet autem prae ceteris, ut locus aedis aedificandae eligatur paulo editior et a vehiculorum actu aliquanto remotus; quo melius a sordibus et aqua lutulenta defendatur.

Capellae viatoriae bene tectae sint, ne sacrae picturae vel sculpturae pluviarum injuria laedantur; foris opere tectorio incrustentur, intus autem pro ratione architecturae condigno saltem ornatu decorentur. Cavebunt idcirco locorum Antistites, ne collocandae imagines vel statuae cumulentur, neve reliqua aedis ornamenta catholicae religionis genio utcumque adversentur. Fenestrulae vitreo clathrisque sint munitae, et quantum fieri poterit, tota undique capella firmis sepiatur cancellis, ne vel luto sordeve extrinsecus inquinetur, vel injuriose tractari possit.

Quodsi in talibus capellis Episcopo licentiam conferente fixis per annum diebus Missae Sacrificium offerri poterit: curandum est, ut decenti altaris mensa et necessaria ad peragendum Sacrum supellectili instruantur.

Ceterum pia parochorum sollicitudo providebit, ut etiam sacrae Cruces, imagines et sculpturae in compitis viarum positae studiose conserventur.

2. Oratoria domestica, quae privatae tantum singulorum vel

totius familiae devotioni inserviunt, quin in illis Sacrum celebretur, cuivis pro arbitrio condere licet; imo summopere optamus, ut ad resuscitandum cultum Dei domesticum, injuria temporum et saeculi iniquitate nimis, proh dolor, imminutum, deleta nobiliorum praesertim aedium sacella innoventur. Hortamur proinde ingenuos talium aedium haeredes, ut oratoria, quae majorum pietas condidit et sacravit, sollicite conservent fidem facientes, se avitae quoque testatorum pietatis esse haeredes. Monemus etiam locupletiores patres et matres familias, ut ad nutriendam domesticorum suorum religionem singulare pro communi devotionis exercitio sacellum condere non erubescant; reliquos autem omnes obsecramus in Domino, ut venerando sacrorum iconum ornatu et cultu habitationem suam omnemque familiam Deo dicatam esse profiteantur.

Quodsi vero quis oratorium privatum ea cum intentione erigere velit, ut in eodem quandoque Missae Sacrificium celebrari possit: sciat utique, specialem ad ejusmodi erectionem Sanctae Sedis veniam esse impetrandam, pro qua prout decet procuranda Ordinarium loci adeat oportet.[1]

Obtenta canonica facultate locus tali oratorio dicandus per Episcopum examinetur, et cautio adhibeatur, ne in inferioribus aedium partibus eligatur ita, ut oratorio alia cubicula superaedificata sint. Decet etiam, ut quantum fieri potest, a reliquis cubiculis, ubi familia frequentius versatur, omnino separatum sit; nilque in eo de domestica supellectili collocetur, nilque fiat, quod profanum videtur, aut a locis sacris alienum sit oportet. Tale oratorium, cujus adumbratio Episcopo exhibeatur, ad sacrae aedis formam et regulam disponendum est.

---

[1]) Conc. Trid. Sess. XXII. Decr. de observ. et evit. in celebr. Miss. Confer Lit. encycl. S. C. Congr. de die 10. Mart. 1615 ex mand. Paul. PP. V. (in thesaur. resolut. S. C. Congr. in Calatejeronen. „Orat. priv.“ 7. Jul. 1855) porro S. C. Congr. in Monasterien. 1. Febr. 1847. (acta per summar. prec. refert. in supra cit. Calatejeronen. §. „tandem“) confer etiam Decret. Clement. PP. XI. de die 15. Decemb. 1703. confirm. ab Innoc. PP. XIII. in Constit. „Apostolici ministerii“ de 23. Maji 1723 et Const. Bened. PP. XIV „Magno cum animi“ de die 2. Junii 1751.

Cujus altare, pavimentum, tectum, fenestrae et reliqua simili modo aptentur, prout leges ecclesiasticae de capellis altaribusve minoribus sanciunt. Ad altare ascensus fiat duobus gradibus, quorum alter ipsius altaris scabellum efficit. Fenestrae sic in altum exstructae seu aptatae sint, ut foris stantes introspicere nullo modo queant. Labrum quoque aquae lustralis prope januam intus positum sit. Congruum item praesto sit armarium asservandae sacrae supellectili inserviens.[2] Denique affixum pateat in sacello documentum, quo licentiam ibi Sacrum faciendi concessam esse authentice declaratur.

Quia vero Ss. Concilium Tridentinum Episcopos severe monuit, ne Missas celebrari et audiri extra ecclesias in domibus privatis patiantur: hinc indulta aut privilegia oratorii privati tam pro aegrotis quam pro aliis concessa strictissimae interpretationis esse, cunctis innotescat; ita quidem, ut vel ipsa oratorii ad alium locum translatio sine licentia Superioris, ad cujus forum res spectat, fieri nequeat.

CAPUT IV.

De Altarium qualitate et ornatu.

„Forma corporis altare est, et Corpus Christi in altari," ait s. Ambrosius;[1] cumque imaginem Corporis Christi teneat, simul et sepulchri, in quo sanguis Agni caelestis et per eum spirituales fidelium Deo hostiae immolantur: sponte colligitur, mensam Sacris eucharisticis dicatam praecipuum ecclesiarum decorem constituere, partemque sibi vindicare principalem. Cum ipsum Christum altaria repraesentent, qui petra est et lapis Ecclesiae angularis: deceret omnino, ut, quemadmodum majores nostri a saeculis commendarunt, et rubricis generalibus praecipitur,[2] ex integro et solido, exquisito et in-

---

[2]) S. Car. Borrom. loc. cit. lib. 1, cap. 30.

[1]) De Sacram. lib. 4. cap 2. [2]) Missal. Rom. Rub. gener. XX.

corrupto lapide formentur. Qui si procurari non poterit: novae, quae eriguntur altarium mensae, saltem latericiae sint, solidaque tegantur tabula lapidea, eaque ratione exstruantur, ut in ipsis nil subtus recondi aut poni possit, nisi forte pro reponendis sacris Reliquiis locus aptetur. Gradus pariter altarium si minus e marmore, saltem e solido lapide vel lateribus tabula lignea tectis conficiantur, sintque tres, aut quando ecclesiae amplitudo postulat, quinque arae majori inservientes; cum e contra unus in altaribus minoribus gradus sufficiat. Altaris mensa a superficie scabelli seu suppedanei, tabulis asseribusve ligneis decenter ornati, sic in altitudinem erecta sit, tamque longe et late pateat, ut sacerdotes celebrantes nulla impediantur angustia, et absque timore Sacra facere queant.

De numero altarium antiquitus cautum est, ne in ecclesiis superabundet. Tres in parochialibus praesertim ecclesiis mensae communiter sufficere poterunt, ita locandae, ut quaecumque sit ecclesia sive Crucis instar formata, sive tribus navibus, aut ex una solum constans, versus orientem spectent. Ubi vero compluribus altaribus opus est: reliqua in utroque sacrae aedis latere condantur, sic tamen, ut sacerdotes Sacra simul facientes ob nimiam altarium propinquitatem se invicem non impediant aut perturbent. Minime convenit, altaria sic locare, ut pilis seu ecclesiarum columnis quodammodo inhaereant. Quae in capellis minoribus erigitur altaris mensa, media fronte ponatur, non a lateribus. Ad instar majoris altaris ceterae quoque mensae sacrae paulisper editius super pavimentum aedificentur, et clathris ferreis ornatisque munitae sint.

Videant ecclesiarum rectores, ut dum nova altaria eriguntur, vel vetustate consumta restaurantur, aedis architecturae optimo quoquo modo conveniant, neve tam arctata aut profusa condantur, ut vix a pulveribus commode purgari queant.

Ad essentialem altarium supellectilem et ornatum requiritur, ut tribus mappis seu tobaleis lineis et mundis operiantur, quarum superior longior ex utroque mensae latere

decenter propendeat. [3]) Circa angulos altaris nullae coronides nec ligneae, nec utcumque pretiosae ducantur, sed earum loco apponi poterunt fasciae ex auro vel serico confectae aut variegatae. [4]) Pallio autem, quod et antipendium dicitur, pars mensae anterior, nisi ipsamet peculiari formositate picturae vel sculpturae alioquin emineat, ornari solet, cujus tamen pallii color, quantum fieri potest, Officio diei respondeat.

Super altaris mensa collocetur Crux in medio, quae utpote principalis Sacri faciendi supellex quoquo modo decora sit, et sat alta, ut super Celebrantis caput aliquantum promineat. Candelabra hinc et inde in utroque Crucis latere locanda saltem duo praesto sint, quae cum structura et ornatu Crucis, quantum res fert, conveniant. Infimo altaris majoris gradui cereostata seu phari, majora videlicet candelabra apponi solent, quorum usum, cum in Missa solemni alioquin duo saltem intorticia ad finem Praefationis accendi debeant, [5]) ratione Festi solemnioris plurimum laudamus. Candelae vero, nisi e cera ceu opere apum sine ulla sebi admixtione compositae sint, incruento Missae Sacrificio minime conveniunt. Prohibemus proinde, ne praeter cereos aliud candelarum genus utcumque solidum elegansque contra legem et traditionem Ecclesiae adhibeatur.

Reliquiae Sanctorum, quae statis diebus festivis exponi solent, congruis thecis vel vasculis pretiosis munitae et in peculiari armario reconditae sint. Convenit, ut illud armarium vel prope altare majus aut alio insigniori ecclesiae loco, vel si magis expedire videtur, in sacristia positum, extrinsecus et intrinsecus aptissime ornatum et bene clausum sit. Reliquiaria autem, quae potissimum in ara majori continuo exposita sunt, sic proprie collocentur oportet, ut non tantum Celebrantem nullo modo impediant, sed etiam prout quandoque Ritus postulat, facile amoveri possint.

---

[3]) Missal. Rom. loc. cit. [4]) Caerem. Episc. lib. 1. cap. 12. num. 11.
[5]) Missal. Rom. Rit. celebr. Miss. VIII. 8. confer Rubr. gen. XX. et Comment. Barth. Gavanti de parando Cereo.

Etsi vasa cum flosculis serico contextis adornando altari bene inservire queant:[6] flores tamen horti frondesque odoriferae melius convenire videntur.

Tabellae secretarum modico tantum, sed utique decenti ornamento provideantur; ceterum textus secretarum pingui praesertim scriptura literisve potius majoribus exhibeatur, ut tabellae usui Celebrantis commode inserviant.

Cussinus in cornu Epistolae Missali supponendus e solido texto conficiatur, et si fieri potest, coloris sit Officio diei convenientis. Quodsi Celebranti parvum pulpitum aptius inservire videtur, non obstamus; optamus autem, ut talia pulpita polite confecta, fors panno quoque decenti ornata sint.

Imagines et altarium sculpturae, quae antiquitatis et piae artis pretio eminent, maxima solertia conserventur, neque aliis nisi peritissimis artificibus restaurandae credantur.

Denique altarium mensae, ne sordibus pateant, mundo panno operiendae sunt; quod tegumentum autem, quando Sacra fiunt, non ex parte tantum replicetur, sed semper omnino tollatur.

CAPUT V.

De Tabernaculo Sanctissimae Eucharistiae.

Consuetudinem asservandi in ecclesiis Venerabile Sacramentum, cum adeo antiqua sit, ut saeculum jam Nicaeni Concilii eam agnoverit, Synodus Tridentina tum propter infirmos omnino salutarem et necessariam probavit, tum propterea quoque retinendam statuit, quia sanctissimum Sacramentum „non ideo minus est adorandum, quod fuerit a Christo Domino, ut sumatur, institutum.“ [1]

Quo rectius autem illum eumdem Deum in sacratissimo Eucharistiae Sacramento praesentem credimus, in cujus nomine omne genu flectatur caelestium, terrestrium et inferno-

---

[6]) Caerem. Episc. lib. 1. cap. 12. num. 12.

[1]) Sess. XIII. cap. 5 et 6.

rum: tanto magis oportet omnino, ut locus mirificae habitationis Ejus, thronus gratiae, et increatae Sapientiae sedes, praecelsa Novi Foederis arca, turris divinae fortitudinis, salutiferi vitae pignoris pastophorium, tabernaculum Dei cum hominibus, novum hoc, quod Angeli mirantur in terris, caelum religiosissima devotione tractetur, et singulari prorsus debitae gratitudinis industria ornetur. Quae hunc in finem pie partim suadere, partim sacris Ecclesiae sanctionibus insistentes districtim praecipere decrevimus, potissimum ad sequentia redeunt:

Cum Corpus Domini in uno tantum ejusdem ecclesiae loco ab Episcopo designando custodiri debeat:[2] locus tabernaculi eligatur tum ratione totius sacrae structurae, tum ad exhibendam tanto Sacramento venerationem aptissimus, omnino conspicuus et nobilissimus. Idcirco servetur Ritualis Romani rubrica praecipiens, ut tabernaculum in altari majori utpote loco ecclesiae digniori, vel alio, quod venerationi et cultui sacrae Eucharistiae commodius ac decentius videatur, sit collocatum; ita ut nullum aliis sacris functionibus aut ecclesiasticis officiis impedimentum afferatur.[3] Hinc in ecclesiis cathedralibus propter functiones, quae fiunt versis ad altare renibus, in peculiari extra chorum sacello, ornatissimo tamen, collocetur.[4]

Quae in antiquioribus hujus provinciae ecclesiis passim reperiuntur tum sacra armariola ad dextrum cornu altaris majoris in pariete potissimum posita, tum pastophoria columnae vel turris instar pro modo architecturae medii aevi artificiose constructa: pie omnino retineantur, et restauranda probatae artificum dexteritati credantur, ne nobilis plerumque tanta majorum haereditas incuria vel inscitia postumorum corrumpatur.

Ne distinctis de structura tabernaculi legibus fervorem

---

[2]) S. R. C. in Augustae Praetoriae de die 21. Jul. 1696.

[3]) Ritual. Rom. de Ss. Euchar. Sacram.

[4]) Caerem. Episc. lib. 1. cap. 12. num. 8.; S. R. C. in Roman. 14. Junii 1845.

ingenii Deo famulantis piamque fidelium liberalitatem limitare videamur: suadere potius malumus et obsecrare per viscera charitatis Christi nobiscum habitantis, ut quantum vires suppetunt, tantum audeat unita Cleri populique pietas, quo dignior paretur et pretiosissimo artis humanae apparatu exornetur sacratissima arca Domini. Pie admodum optarunt Patres in Concilio Aquensi congregati, ut tabernacula, si fieri posset, ex auro solido essent confecta et pretiosissimis gemmis religiose ornata.[5] Cujus voti non immemor quidem, sed et paupertati condolens sanxit Archidioecesana Synodus Pragensis, ut tabernaculum, si e laminis argenteis aut aeneis inauratis, aliave ratione elegantius, haberi non potest, saltem e tabulis sectilibus, quae humiditatem non gignant, polite tamen elaboratis, et religiosarum imaginum sculptura ornatis et inauratis decenti amplitudine construatur.[6]

Si omnis ecclesiae structura, tanto plus praecelsi Sanctuarii dispositio et architectura peritissimis nonnisi manibus committatur, ut venerabili ac ingeniosa formositate emineat. Nova, quae in ecclesiis struentur, tabernacula sat ampla sint, ut in iis Sacramentum ipsum cum ostensorio et hierotheca minori seu sacro ciborio commode reponi queat, neque tamen sic in alto vel a fronte seu coronide mensae nimis procul posita, ut ad depromendam et exponendam Eucharistiam super altare ascendere necesse sit; neve potiorem sacrae mensae partem ita occupent, ut vix in ista, quae ad Sacrum faciendum necessaria sunt, locari possint. Versatilibus, quae hinc inde inveniuntur, tabernaculis antiquiorem merito praeferimus Sanctuarii structuram, congruo ostio seu foribus muniti. Quae fores, si artificiosae formositatis causa perforatae fuerint, ab intus pretioso velo obducantur, ne muscis potissimum et araneis accessus pateat.

Sit autem tabernaculum etiam intus vel panno serico, aut

---

5) Conc. Prov. Aquens. anni 1585. de Euchar. Sacram.

6) Syn. Archidioec. anni 1605. De Sacram. Euchar.

tela quadam pretiosa albi coloris eleganter vestitum, vel saltem solide inauratum. Sit porro bene tutum, seris sat firmis custoditum, et continuo clausum, ne ad illud temeraria manus possit extendi; clavis autem inaurata et cordula decenti ornata nullo modo cum aliis clavibus colligetur, nec ulli unquam laico, aut aedituo credatur, cum potius ipsius parochi vel ecclesiae rectoris honorificum sit officium et insignis praerogativa, ut clavem hanc et Sanctuarium Christi pie semper custodiat, et si fidelis fuerit custos Domini sui, glorificetur. [7]

Quia tabernaculum nitido ceteroquin et mundo corporali stratum nonnisi asservandae Eucharistiae inservire debet: intus ab omni alia re vacuum sit oportet adeo, ut neque Reliquiae Sanctorum ibi recondi queant. [8] Quumque ex decreto S. Rituum Congregationis super tabernaculo nec ipsius sanctae Crucis Reliquias collocare et exponere liceat: hinc minime tolerari potest consuetudo superimponendi pictas imagines, sculpturas, vasa florum aliaque ornamenta ita, ut idem tabernaculum pro basi inserviat. [9] Imo nec in ostiolo seu ipso aditu tabernaculi talia collocare convenit. [10]

Essentialem denique pastopharii ornatum constituunt lampades, quae, prout Rituale Romanum loquitur, plures sint, sed una saltem diu noctuque perpetuo colluceat. [11] Ut istud lumen Christi numquam deficiat, jugiter quippe oleo nutriendum: sollicitudinem et vigilantiam parochorum omniumque, qui ecclesiis praesunt, paterno affectu obtestamur, illorum conscientiam gravissime onerantes, quorum, quod absit, socordia vivificum Lumen mundi lumine continuo ardenti venerari nesciat. Quodsi enim alendo igni sacro sumptus ecclesiae forent impares: bonus ac fidelis custos Domini oratione, verbo et opere exardescere faciat ignem in cordibus fidelium, quorum pia liberalitate mox sine dubio rutilans lampadum ignis Sanctuarium Domini collustrabit, praedicabitque memoriam mirabilium Ejus.

---

[7]) Prov. 27. 18. [8]) Ritual. Rom. loc. supra citat.

[9]) S. R. C. Decr. gen. de die 3. April. 1821 et in Tridentin. 12. Mart. 1836.

[10]) S. R. C. in Congr. Mont. Coronae. 22. Jan. 1701 ad 10. [11]) Loc. supr. cit.

CAPUT VI.

De Supellectili in ambitu aedis sacrae disponenda.

Eminens et salutifera dignitas, quae Sacramento regenerationis nostrae ex aqua et Spiritu sancto inest, poscit omnino, ut baptisterium, quo nulla ecclesia parochialis carere potest, decenti loco positum sit, et solidissimo materiae ac formae apparatu emineat. Pie proinde majores nostri aut peculiare sacellum, nomine s. Joannis Baptistae passim insignitum, ministrando baptismi Sacramento dedicarunt, aut in ecclesiae loco illustriori, videlicet a latere, ubi Evangelium legitur, seu ad significandum mysterium in vicinia ostii majoris baptisteria condiderunt.[1] Antiquam hanc traditionem summopere commendantes volumus quoque, ut baptisterium, quantum fieri poterit, ab ecclesiae parietibus paulo remotius collocetur; decet enim, ut sacerdos, ministri, patrini ceterique conferendi hujus Sacramenti testes commode adstare queant. Si facultates suppetunt: fons baptismatis paretur ex marmore, aut alio lapide, attamen non spongioso, sed solido ac bene polito; sin minus, conficiatur e stanno; baptisteriis autem ex ligno confectis vas immittatur stanneum, bene aptatum, aut pelvis ejusdem materiae sat ampla et profunda, ut sufficientem pro baptizandorum multitudine copiam aquae capere possit. Cum ex praecepto Ritualis Romani baptisterium sera et clave munitum, atque ita obseratum esse debeat, ut pulvis vel sordes intro non penetrent: congruo operculo pro ratione structurae decenter ornato provideatur, in eoque, ubi commode fieri potest, depingatur imago s. Joannis Christum baptizantis.[2] Convenit etiam, ut cancellis circumseptum, et apto armariolo instructum sit, in quo minora supellectilia ad ministrandum baptismi Sacramentum necessaria commode asserventur. Ceterum fons baptismalis binis per annum vicibus, occasione nimirum novae benedictionis, sabbatis Paschae et Pentecostes

[1]) Confer S. Carol. Borrom. Instr. fabr. lib. 1. cap. 19. [2]) Rit. Rom. de Sac. Bapt.

faciendae, [3] per ipsum parochum aut alium sacerdotem diligenter purgetur, aqua vero residua in sacrarium mittatur. Quodsi tempore intermedio sacra unda inveniatur ita imminuta, ut vix amplius sufficiat: aliquantula aquae non benedictae copia immitti poterit; si autem omnino defecerit aut prorsus fuerit corrupta: nova fiat fontis benedictio.

Sedes confessionales in singulis ecclesiis tot desiderantur, quot confessarii in frequentiori populi concursu adhiberi solent. [4] Quodsi vel deficiente dotis copia, vel pro angustia loci plures haberi non possint: sedes quaedam parentur minoris structurae, quae casu necessitatis in ecclesia commode collocari et facile iterum amoveri poterunt, quae vero decenter aptatae, et omnino laminis atque crate perforata inter poenitentem et sacerdotem instructae sint. [5] Iisdem laminis ab utroque latere confessarii interpositis, cratibusque perforatis provideantur majores, quae in ecclesiis habentur sedes confessionales, conspicuo et apto loco disponendae. Sint autem non affabre solum, sed quantum fieri potest, commode etiam conditae, ne confessarius praesertim, laborioso alioquin officio defatigatus, aliam ex incommoda sede molestiam experiatur. Ut non obstante poenitentium concursu liberius respirare queat: sedes confessionalis uno alterove gradu a superficie pavimenti elevata, et insuper aut asserculo versatili aut serico velo ductili provisa sit, cujus ope sacerdotis facies occultetur, ita ut proinde poenitentem loquentem facilius percipere, et vel ipse minus impeditus verba ad eum facere possit. Sed et confitentium commoditati aliquatenus consulere, non abs re est; unde consentaneum videtur, ut appositis laminis versatilibus, in superiori parte perforatis a circumstantibus separentur, et facie hac ratione occultata liberius confiteantur. Genuflexorium porro apte paratum sit, et Crucis quaedam imago coram oculis poenitentium posita paventes et contritos soletur.

---

[3]) Confer. Missal. Rom. Sabb. s. et Vig. Pentec. — S. R. C. in Lucana 12. April. 1755. et in Urbevetan. 7. Decemb. 1844.

[4]) Archid. Syn. Prag. 1605 de Eccles. cultu. [5]) Ritual. Rom. de Sac. poenit.

Suggestus pro concione dicenda, si elegantior non habetur, saltem ex tabulis sectilibus iisdemque firmioribus congrua, prout ecclesiae structura poscit, forma et apparatu decenti conficiatur, et ab Evangelii latere loco conspicuo et aptissimo positus sit, ut fideles, etsi fors non omnes concionatorem videre, certe tamen verba ejus facilius percipere queant. [6]) Ambonae a latere Epistolae pridem collocatae opportuna restaurationis occasione, quatenus fieri poterit, transferantur.

Sedilia laicorum in ecclesiis hujus provinciae usitata sic disponantur, ut ecclesiae non sint impedimento. In choro seu capella majori non collocentur, neque reliquis altaribus nimis prope apponantur. Propria singulis laicis sedilia nonnisi data rectoris ecclesiae licentia vel ratione antiquae consuetudinis tolerari possunt. Ceterum solido opere ligneo sic conficiantur, ut fideles genibus flexis Sacro interesse queant.

Subsellia, quae in choro majori usui Celebrantis et ministrorum assistentium inserviunt, a cornu Epistolae juxta altare ponantur; [7]) in eodem latere abacus quoque seu credentia collocetur, altaris instar decenter parata, mundo linteo, alioque congruo ornatu provisa, et sat ampla, ut praeter Crucem cum duobus candelabris supellectilia ad Sacrum faciendum necessaria commode capiat. [8])

Labra seu vasa aquae lustralis praeter gestatoria, quae in sacristia asservantur, in ecclesia praesto sint immobilia, totque, quot passim ostia ingredientibus patent, cum in vicinia valvarum pio fidelium usui inservire debeant. Si fieri poterit, parieti non inhaereant, sed potius e marmore aliove lapide solido confecta, congruo columellae scapo suffulciantur. [9])

Chorus denique, in quo cantores et divinam musicam exercentes conveniunt, ejus sit amplitudinis, ut illi ipsi pietatis suae officio absque omni divini officii perturbatione commode vacare queant. Ne autem vel inviti fidelibus in ecclesiae navi

---

[6]) Syn. Arch. Prag. loc. sup. cit. [7]) Missal. Rom. Rubr. gen. XVII. 6.
[8]) Caerem. Episc. lib. 1. cap. 12. n. 19.
[9]) S. Carol. Borr. Instr. fabr. lib. 1. cap. 21.

congregatis distractionis ansam praebeant, consultum videtur, ut chori hujus septa cratibus ex ligno aliave materia eleganter confectis et decenter ornatis provideantur, quae crates quippe tam altae sint, ut cantores et musici, quantum fieri poterit, a populi conspectu occultentur. Organorum apparatus externus structurae et reliquo ecclesiae ornatui respondeat.

CAPUT VII.

De Vasis, Paramentis et Supellectilibus Sacrificii.

1. Quum inter vasa mystica illa sint prima et praestantissima, quae ad offerendum et consecrandum panem vitae aeternae et sanguinem salutis perpetuae requiruntur hinc tenore Missalis Romani distincte declaratur, calicem, ad quem omnino patena quoque pertinet, debere vel argenteum esse aut saltem habere cuppam argenteam, intus inauratam cum patena itidem inaurata.[1]) Permittimus quidem, ut qui in ecclesiis sufficienti dote destitutis calices cum patenis supersunt ex aurichalco vel cupro confecti, dummodo bene inaurati sint, adhiberi interea queant, donec vel nova inauratione vel alia restauratione non indiguerint; simul autem monemus et praecipimus, ut data ejusmodi occasione saltem cuppae et patenae substituantur argenteae ab omni parte inauratae. Si enim ecclesiarum proventus ad tales sumptus faciendos haud sufficerent: lubentes confidimus, fore ut adunato pastorum et fidelium fervore digna comparentur vasa Domini.

Eadem decoris ratio postulat, ut ciborium quoque saltem cuppa argentea, et ostensorium majus, quod vulgo monstrantiam appellamus, orbiculari lamina seu lunula ex auro vel argento confecta provideantur. Praeter ciborium majus, in quo Eucharistiae particulae pro quotidiano usu fidelium ad mensam Domini accedentium asservantur, aliud quoque ciborium parvum, quantum fieri poterit, praesto sit, in usum quippe in-

---

[1]) Rit. celebr. Miss. I. 1.

firmorum, aliorumve, qui ecclesiam adire nequeunt; convenit enim omnino, ut Ss. Sacramentum praesertim ad infirmos, qui intra oppidum aut certe prope illud degunt, in ciborio potius, quam in alio exiguo vasculo deferatur. Illud ipsum autem vasculum parvum, in quo vel deficiente minori ciborio Eucharistia ad infirmos communiter, vel ad procul existentes deferri solet, si non argenteum, solide saltem auro illitum sit, et firmo cooperculo bene clausum, ut quodcumque Eucharistiae profanandae periculum removeatur. Ceterum antiquiorem formam calicis, cujus basis videlicet latius patet, nec non vetustam structuram ostensorii majoris, ad instar tabernaculi seu turris compositi admodum commendabilem censemus.

Pyxides, in quibus consecrandae particulae tum majores tum minores asservari solent, mundae, bene clausae, ejusque amplitudinis sint, ut plures etiam hostiae commode immitti et sine laesione depromi queant. Urceolos crystallinos seu e vitro pellucido solide confectos plurimum probamus. Candelabra ex aurichalco vel ex aere campanarum confecta, stanneis et ligneis utcumque ornatis praeferimus. Cymbala seu tintinnabula gestatoria utique dignioris formae sint, quam illa, quae usui profano passim inserviunt. Thuribulum non nimis magnum sit, sed potius, prout moris erat antiquitus, modicum et sat commodum, ut incensatio calicis potissimum et altaris sine difficultate fieri possit; basim naviculae commendamus firmam et ampliorem, cui quippe tuto innitatur.

2. Inter sacra paramenta praecipuum habemus vestem sacerdotalem, per quam charitas intelligitur, [2] planetam seu casulam, „quae super omnes vestes est, ante pectus et post humeros, ut Deus ametur et proximus, amicus et inimicus; quae instar parvae casae est, quia totum hominem tegit charitas.“ [3] Dolemus autem, impraesentiarum casulas esse adeo decisas contra debitam majestatem, et in aliam prope speciem

---

[2]) Pontif. Rom. de Ord. Presbyt. [3]) Thesaur. Ss. Rit. a Barth. Gavant. p. 2. tit. 1. confer Pet. Bles. Sermo 41. in Syn.

deformatas, ut si cum prisca et propria hujus indumenti forma componantur, vix suum tueantur nomen.[4] Quam degenerationem, ut verbis utamur clarissimi Cardinalis Bona, nullo Pontificum seu Synodorum decreto stabilitam invenimus.[5] Antiquis proinde majorum traditionibus innixi innovamus decretum Synodi Archidioecesanae Pragensis, mandantes, ut quae amodo casulae novae comparabuntur, longe pateant ad minimum ulnas duas, et ab utroque latere infra humeros aliquatenus dependeant;[6] fasciam porro habeant decentis latitudinis assutam, ab anteriori et posteriori parte usque ad extremum dependentem, cui altera fascia transversalis Crucis quamdam speciem exprimat.[7] Volumus etiam, ut in ecclesiis cathedralibus aliisque insignioribus, praesertim Regularium, casulae plicatae praesto sint, et prout generales Missalis Romani rubricae de qualitate paramentorum docent, adhibeantur.[8]

Dalmatica Diaconi ejusdem cum casula longitudinis sit, manicisque ad manum usque protensis et paulo amplioribus differat a tunica Subdiaconi, veste videlicet simili quidem, ast paulo breviori, cujus manicae proinde breviores quoque et strictiores esse debent.

Pluviale duabus ulnis paulo longius, et pro semicirculi ratione late pateat. Inferiores hujus indumenti, nec non dalmaticae ac tunicae extremitates congruis fimbriis seu laciniis potius, quam limbis ornentur.

Stola longitudinis sit ulnarum saltem quatuor, ita ut infra genua producatur; latitudine vero vix dimidium unius palmae attingat; ceterum ab utraque parte extrema sensim paul-

---

[4]) Confer Catalani Commentar. ad Caerem. Episc. lib. 2. cap. 8. §. 19. num. 3., et J. Fornici Institut. liturg. in usum semin. Romani. p. 1. cap. 11.

[5]) Rer. liturg. lib. 1. cap. 24. §. 8.

[6]) Ulnae mensuram seu longitudinem extendimus ad tres palmas; per palmam autem intelligimus tantum spatii, quantum vir majoris staturae expansa manu extremitate pollicis et medii digiti comprehendere potest.

[7]) Synod. Prag. ann. 1605. De Sacrist. confer De imit. Christ. lib. 4. cap. 5. 3.

[8]) Rubr. gener. XIX. 6.

lulum latius patens praefato fimbriarum ornatu provideatur. Ejusdem latitudinis sit manipulus pariter fimbriis ornandus, cujus tamen longitudo duas palmas nullo modo excedat. Stola et manipulo tres cruces, nisi panno intextae sint, annectantur, una in medio, reliquae in utraque parte extrema.

Prout stola et manipulus, sic etiam bursa et velum calicis ex eodem panno conficiantur, ut videlicet cum casula conveniant. Quodsi casula ex panno non serico confecta sit: velum saltem calicis debet esse sericum, [9] coloris paramentorum, et sat longe lateque patens ita, ut calicem ex omni parte tegat, cum quippe sacerdos ad altare procedens calicem velo undique coopertum deferre debeat.

Cum item de praecepto sit, ut sacerdos capite cooperto accedat ad altare: [10] singuli, qui birreto uti debent, proprium habeant, capiti decenter aptatum, tribus apicibus instructum, [11] et ita imponendum, ut pars illa, quae apice caret, a sinistra sit.

Quae de colore paramentorum tum generalibus rubricis, [12] tum variis S. Rituum Congregationis decretis sancita sunt: ad amussim observentur oportet. Nominatim igitur mandamus, ut eliminato pedetentim usu paramentorum caerulei coloris praescriptus color violaceus in usum deducatur. Ejusdem coloris violacei sint quoque vela seu linteamina, quibus tempore Adventus et Quadragesimae imagines altarium teguntur. Ex decreto praefatae Rituum Congregationis etiam usum coloris flavi tam in Sacrificio Missae, quam in expositione Ss. Sacramenti eliminandum esse declaramus. [13] Cum eadem S. Congregatio iterato edixerit, minime continuari posse usum illarum ecclesiarum, quae pro colore tam albo, quam rubro, viridi et violaceo utuntur paramentis vel flavi coloris vel mixtis diversi coloris floribus: hinc sacra paramenta conficiantur potius ex panno seu textili unius tantum coloris, vel saltem

[9]) Missal. Rom. Rit. celeb. Miss. I. 1. [10]) Missal. Rom. loc. cit. II. 1.
[11]) S. R. Congr. in Venusin. 7. Dec. 1844. [12]) Missal. Rom. Rubr. gen. XVIII.
[13]) S. R. Congr. in Marsorum de die 12. Novemb. 1831; et in Veronen. de die 16. Mart. 1833. item in Firman. ad 8. 1. de die 22. Septemb. 1837.

unus color ita praedominetur, ut facile primarius dignoscatur, et paramenta unius potius quam alterius coloris dici possint.[14]) Haecce ut in posterum serventur, districtim praecipientes, obtenta facultate indulgebunt Episcopi, ut quae in ecclesiis hujus provinciae supersunt paramenta, etiamsi praefatis decretis minus respondeant, licite tamen adhiberi possint, donec consumantur.

Velum humerale Subdiaconi in Sacro solemni adhibendum coloris sit convenientis Missae diei; velum autem Celebrantis in expositione sanctissimi Sacramenti numquam alius nisi coloris albi sit; prout vela ciborii quoque, nec non bursae et baldachini deferendo Venerabili Sacramento inservientes ex albi coloris panno confecta sint oportet.[15])

Prout in altari ad Sacrum pro defunctis faciendum parato, sic etiam in paramentis nigri coloris cruces albae, vel mortis imagines, et multo minus ethnicorum symbola nullo modo appareant.[16])

3. Ut porro, quod inde ab Ecclesiae primordiis de reliquis indumentis sacris et Sacrificii supellectilibus traditum est, pie custodiatur seu restituatur: generali supra laudatae Congregationis decreto innixi auctoritate Sedis Apostolicae praecipimus, ut amictus, albae, corporalia, pallae, purificatoria et altarium tobaleae ex lino aut cannabe conficiantur, non autem ex alia quacumque materia, etsi munditie, candore et soliditate linum aut cannabem aemulante et aequante. Pauperibus potissimum ecclesiis parcentes permittimus quidem, ut amictus, albae, tobaleae et mappulae, si quae ex gossypio habentur, adhiberi interea possint, usquedum consumantur; districte vero jubemus, ut corporalia, pallae et purificatoria post lapsum unius mensis a praesentis decreti publicatione linea omnino

---

[14]) S. R. Congr. in Vicen. de die 19. Decemb. 1829, et in Marsorum de die 7. April. 1832. [15]) S. R. Congr. in Taggen. 9. Jul. 1678. — Ritual. Rom. De Sacram. Euchar. — Caerem. Episc. lib. 1. cap. 14. num. 1.

[16]) Caerem. Episc. lib. 2. cap. 11. num. 1.

sint vel ex cannabe, interdicto aliorum usu, quae ex gossypio supererunt.[17]

Eadem traditionis continuae et mysticae significationis ratio exigit, ut etiam superpellicia et rochetta, item mappae dominicales, quibus nimirum mensa ad dispensationem sacrae Communionis destinata tegitur, nec non reliqua textilis materiae supellectilia, quantum fieri potest, ex lino aut solida cannabe conficiantur, seclusis praecipue telis cujuscumque generis, quae vel materiae vilis sunt, vel profanum ornatum redolent.

Signum Crucis amictui in medio insuendum de praecepto est.[18] Ad exornandas albas texta reticulata non requiruntur, quae alioquin nisi pretiosa sint, vix commendari merentur; si vero solida quaedam adhibentur, rubrum supponere fundum minime licet.[19] Cingulum ex candido lino confectum serico praeferendum ducimus.[20] Pallae, cum omnino lineae esse debeant, studiose conficiantur et aptae sint, ut calici tuto imponi queant.

5. Monemus tandem et in Domino obtestamur ecclesiarum rectores et pastores, ut suscepti in sacra Ordinatione officii sui numquam non memores, vasa Domini omni, qua decet, pietate tractare et custodire sciant; id sine dubio maximi habentes, et quoquo modo aemulantes, ut omnia et singula vasa tum congruae materiae pretio, tum religiosae artis ministerio excelsae cultus divini dignitati respondeant. Pro conficiendis paramentis nisi pannus sericus vel qui damascenus appellatur, praesto sit, solidum saltem procurabunt textum, a quolibet profanae texturae genere omnino diversum, typis ecclesiasticis adornatum, et non nimis rigidum, sed materiae potius mollioris, ut indumenta sacra, prout alioquin in vestibus requiritur, commode aptata, corpus decenter ambiant, neque indutum quapiam rigiditate impediant. Meminerint

---

17) Decret. gener. S. R. Congr. de die 18. Maji 1819.

18) Missal. Rom. Rit. celeb. Miss. I. 3.

19) S. R. Congr. in una Ordin. s. Joann. de Deo 17. Aug. 1833.

20) S. R. Congr. in una Congr. Montis Coronae ad 7. 22. Jan. 1701.

praesertim, paramenta, prout rubrica loquitur, non debere esse „lacera aut scissa, sed integra et decenter munda ac pulchra;“ [21]) unde a gravi culpa non excusabuntur illi praesertim viri ecclesiastici, ad quos sacrae supellectilis cura spectat, nisi studiose attendant, ne cujuslibet immunditiae et indecentiae, rerumque divinarum vilipensionis species in domo Dei reperiatur.

Cum ad sacerdotii dignitatem evecti, ab officio reliquorum Ordinum minime se exemptos arbitrari possint: hinc potissimum ceu Ostiarii agant quasi rationem reddituri Deo pro iis rebus, quae clavibus sibi commissis recluduntur. [22]) Cumque Subdiaconum inter alia oporteat pallas altaris et corporalia abluere: [23]) officii istius memores linteamina haec, itemque purificatoria ipsi prius in vase quodam nitido diligenter abluant, et tunc demum piis laicorum manibus lavanda committant.

Calix et patena solummodo per Episcopum consecrantur, et si fuerint denuo inauratae, nova consecratione indigent. Reliqua vasa et paramenta sacra ab aliis quoque sacerdotibus benedici possunt, qui stante Sedis Apostolicae facultate ab Ordinario deputati fuerint. [24])

CAPUT VIII.

De Sacristia.

Quae de recta dispositione sacristiae ejusque supellectilis ultima Synodus Archidioecesana Pragensis, legi et traditioni ecclesiasticae innixa, sapientissime statuit: Patres in hoc provinciae Concilio adunati grato assensu excipiunt, et praesenti decreto innovare minime ambigunt.

Prae ceteris igitur curabunt ecclesiarum rectores, ut a

---

[21]) Missal. Rom. Rit. celeb. Miss. I. 2. [22]) Pontif. Rom. de Ord. Ostiar.
[23]) Pontif. Rom. de Ord. Subd.
[24]) S. R. C. in Leodien. 14. Jun. 1845. — Missal. Rom. loc. citat. de praep. Sacerd. 1 et 2.

sacristiis loco fors uliginoso conditis, nisi alio loco magis idoneo reaedificari possint, nociva humiditas quoquo artificii et industriae modo arceatur. Quae autem novae struuntur sacristiae, quatenus fieri potest, versus meridiem vel orientem locentur, ejusque sint amplitudinis, ut et necessaria supellectilia commode disponi, et plures potius aptari queant fenestrae, clathris et vitreo opere munitae, caelo sereno facile aperiendae.

Quodsi in sacristia ob angustiam loci altare haberi non possit: armarium aliquod, in quo sacra supellectilia asserventur, sic aptetur, ut altaris quodammodo mensam repraesentet. In fronte hujusmodi armarii Crux aliaeque sacrae imagines emineant, ab utroque latere autem tabulae ponantur, in quibus non tantum orationes, cum celebraturus paramentis induitur, dicendae, sed etiam Missae per annum tenore fundationis persolvendae, item collectae ex Ordinarii mandato sumendae, tandem et renovationes Ss. Eucharistiae sedulo descriptae sint. Meminerint autem ecclesiarum rectores, sanctissimum Sacramentum bis omnino per singulos menses esse renovandum.

Armaria tot sint commode constructa, quot et qualia vasorum et paramentorum sacrorum, nec non reliquorum supellectilium varietas et copia requirit, quae omnia congruo ordine distincta, firmisque seris munita et clausa sint. Loculi ad asservanda sacra vasa destinati decentius in superiori parte illius armarii habeantur, quod instar altaris eminentiorem sacristiae locum occupat. Armaria paramentorum sic constructa, ut sacra indumenta potius suspensa asservari queant, prae ceteris commendamus; dummodo vero sat ampla sint adeo, ut vestes nullo modo rugis laedantur, quod et alias maxime cavendum est. Libri sacrae liturgiae, videlicet Missalia et Ritualia prout etiam libri Evangeliorum, ordinis divinorum, aliique ex praecepto Ordinarii in sacristia asservandi propriis loculamentis custodiantur. Decet enim omnino, ut potissimum sacrae liturgiae libri religioso decore emineant et summa so-

lertia tractentur; unde expresse prohibemus, ne Missalia et Ritualia lacera et immunda in Sacris adhibeantur.

Lavacro et sacrario, quod alii passim piscinam vocant, nulla ecclesia careat. Lavacrum in apto sacristiae loco parandum, nisi lapideum habeatur, e cupro vel stanno solide confectum, et sic dispositum sit, ut aqua ex gutturnio in pelvim, et inde per fistulam in sacrarium, vel in aliud vas idoneum, parieti excavato appositum, defluat. Vas illud, et pollubrum, si quo uti necesse sit, projecta in sacrarium ablutione frequentissime purgentur, ne sordium colluvies foetorem causet. Mantilia ad manus abstergendas munda, ideoque saepius mutanda praesto sint duo, quorum uno soli sacerdotes utantur, altero ministri. Ipsum autem sacrarium, nisi aptius pone altare majus aut in sacristia construi possit, loco contiguo extra ecclesiam paretur. Fiat quippe fossa sat profunda et ampla, quae excepto fundo undique opere latericio vestita sit, operculo lapideo vel ligneo tuto claudenda.

Nisi decens quoddam receptaculum seu oratorium adsit, ubi sacerdotes ante et post functiones sacras piae recollectioni commode vacare possunt, scabellum saltem in sacristia paretur, cui Crux et ex utroque Crucis latere tabulae superponantur, in quibus orationes ante et post Missam dicendae descriptae sint.

Permittimus quidem, ut in sacristiis praesertim amplioribus sedes quaedam confessionalis commode aptata, crate tamen instructa collocetur, quae excipiendis potissimum confessionibus surdastrorum, senium et infirma valetudine laborantium optime inservire poterit; ordinarie autem pro ministrando Poenitentiae Sacramento sedes confessionalis in ecclesia collocata adeunda est.

Denique non possumus non impense monere parochos et ecclesiarum rectores, ut sit eis fidelissima cura sacristiae diebus ac noctibus, prout in ipsum officium Ostiariorum electi spoponderunt. Quae vel ideo ceu vigiles domus Dei custodes ab ipsa ecclesia omnino removere non dubitant, eadem quo-

que a sacristia arceri pro viribus contendant. Idcirco non tantum sollicite providebunt, ut sacristia quoque tempore munda, nitida et bene ordinata sit, sed vigilabunt etiam, ut ibidem, quantum negotia necessaria et ministrorum officia patiuntur, religiosum perpetuo servetur silentium; unde conventus et confabulationes aedituorum nugasque parvulorum, qui deficientibus Clericis ad ministeria quaedam admittuntur, minime tolerabunt, et quantum fieri poterit, praepedient, ne populus per sacristiam indiscriminatim adire ecclesiam assuescat.

CAPUT IX.

De asservatione sacrorum Oleorum.

Quanta cura et sollicitudine sacra Olea tractanda et asservanda sint, vel ex eo facile colligitur, quod ab ipsis solum Episcopis, sub sacrosancto in Coena Domini Sacrificio solemnissimo ritu consecrata, singulis per totam dioecesim fidelium turmis in signum communionis ecclesiasticae offeruntur, ut novetur sexus omnis unctione chrismatis, ut sanetur sanciata dignitatis gloria, et uncta fronte sacrosancta influant charismata,[1] ut tandem qui baptismo renatos vivo olivae et chrismatis signo contra jura daemonum defendit, illis ipsis in agone constitutis per sanctam unctionem et piissimam misericordiam suam, quidquid fragiles deliquerint, clemens indulgeat.

Hinc in omnibus ecclesiis, quibus sacra Olea creduntur, vascula praesto sint argentea intusque deaurata, aut saltem stannea bene obturata, quae vasa singula propriam habeant inscriptionem majusculis literis incisam,[2] nisi jam ipsa peculiari forma et diverso suo artificioso ornatu distincta sint; prout majorum pietati olim moris fuit, vascula quoque pro diversitate Oleorum vel turris instar aliove congruo modo ingeniose confecta aptissimis consecrati doni caelestis symbolis adornare. Praeter illa majora vasa ut minora etiam ad usum quotidia-

---

[1]) Confer Rit. Consecrat. ss. Oleorum. [2]) Rituale Rom. De baptism.

num habeantur, pariter ex argento, si fieri potest, aut stanno, sive separata sive conjuncta, apte tamen distincta et bene cooperta, ipsius Ritualis Romani instructione admodum commendatur. 3)

Sacra Olea, charissima haec divinae gratiae et misericordiae pignora, in loco proprio honesto ac mundo, bene clauso serisque munito asserventur, clave semper et ex officio ab ecclesiae rectore pie custodita, ne ab alio nisi a sacerdote temere tangantur, aut eis sacrilege quisquam abuti possit. 4) Etsi ceterum in ipsa sacristia locum talem decenter aptare liceat: magis tamen convenit, et idcirco optamus ardenter, ut pro digna sacrorum Oleorum asservatione potius in ecclesiis congrua armaria struantur pio ornamentorum delectu interius exteriusque decoranda. Tale armarium, in quo scilicet tantum sacri Chrismatis et Olei Catechumenorum vascula reconduntur, monente s. Carolo Borromaeo convenienter in ipso baptisterii sacello aut saltem prope baptisterium ab aliquo latere in pariete aut parieti adhaerens erigatur, foribus et seris bene clausum, exterius aptis sculpturis ornatum, intus autem panno serico albi coloris undique circumvestitum. 5) Alterum pro custodiendo Oleo infirmorum armariolum in altaris seu capellae vicinia, ubi augustissimum Sacramentum asservatur, simili modo congruo aptetur; in quo deficiente altero armario cetera etiam Olea sancta custodiri possunt.

Si Unctionis medicina caelestis ad infirmos defertur, vasculum sacri Olei panno serico violacei coloris coopertum sit, sciantque parochi, ad religiosae ss. Oleorum asservationis officium pertinere, ut ipsi vel alii ecclesiae ministri, non autem laici neque aeditui, sacra Olea quantum fieri potest, honorifice deferant. 6)

---

3) Loc. citat. 4) Loc. citat.

5) Instruct. fabr. lib. 1. cap. 19.

6) Rituale. Rom. De Unctione Extrem.

CAPUT X.

De Coemeteriis et Sepulcris.

1. Coemeteria ecclesiis contigua, sicubi praesto sunt, religiose conserventur, neque nisi ob graves causas ab Episcopo probandas aboleantur. Convenit enim omnino, ut quatenus fieri potest, penes ipsam domum Dei, unde renati in Christo aquam vitae aeternae hauriunt, corpora quoque defunctorum in Domino beatae quietis locum inveniant. Nec illud praeterea parvi momenti censendum est, quod coemeteria in ipso vivorum prospectu posita tum ad fovendam charitatem erga fideles in somno pacis dormientes, tum ad conditionis humanae memoriam continuo excitandam plurimum conferant.

Pro aedificandis extra vicos et urbes coemeteriis locus ex arbitrio Episcopi eligatur quoquo modo aptissimus; non nimis dissitus, siccus, et quantum regionis natura permittit, aliquatenus saltem editior, sat commodus insuper, ut sacra funebria absque ullo impedimento fieri, et ipsa coemeteria suadente devotione et christiana charitate facile a fidelibus frequentari queant. Area porro majoris potius sit dimensionis, ita ut tumulandorum multitudini etiam tempore pestis sufficiat. Neque proinde abs re erit, providere jam in ipsa loci electione, ut coemeterium, si fors decursu temporis necessitas cogeret, commode ampliari possit.

Ut a coemeteriis utpote locis sacris cujuscumque profanationis periculum facilius arceatur: firmis undique parietibus septa sint, valvisque bene munitis provideantur; quae quidem nisi cum usus venerit, minime pateant. Quo melius autem clausis etiam valvis praetereuntes seu tumulos visitaturi piae suae devotioni satisfacere queant: patentes ex utraque ostii majoris parte fenestrae erigi poterunt, ferreis tantummodo clathris munitae, quibus ab exteriori parietis parte lapidea scabella apponantur, ut inspecturi commode flexis quoque genibus preces pro defunctis persolvere possint. In fronte portae majoris vel Christi resurgentis imago, vel alius symboli chri-

stiani ornamentum, seu conveniens saltem inscriptio e sacris Literis desumta emineat.

Ad essentialem coemeteriorum supellectilem pertinet potissimum Crux in medio, quantum fieri poterit, collocanda, in altum erecta, solidissima basi suffulta, et pro facultatum modulo decoranda. Quodsi opes suppetunt: decet omnino, ut in coemeterio sacellum etiam erigatur, congruo altari et necessaria supellectili pro offerendo Missae Sacrificio provisum. Sicubi ossuaria adsunt, curabunt animarum curati, ut defunctorum exuviae pia mente et apto ordine collocentur ita, ut viventium corda vel ipso ossium praeconio salubriter moveantur. Ceterum ossa, quae deficiente tumulorum copia exhumari debent, in apto quodam coemeterii loco tumulentur, ut profanationis cujuslibet periculum arceatur, et pax exuviis quoque eorum sit, quibus requiem aeternam a Domino precamur. Adsit denique decens repositorium, in quo tumulanda pauperum cadavera usque ad diem depositionis honesta ratione locari, et cenotaphia aliaque funeralia instrumenta tuto recondi queant.

Pia erga defunctos charitas coemeteria hic illic eum in modum condere et adornare solet, ut parietes intrinsecus ab omni parte congruis porticibus vestiti et sacris imaginibus ac epitaphiis religiose instructi appareant. Hujusmodi structurae modum et pietatis morem summopere laudamus, optantes, ut saltem in locis insignioribus, prout s. Carolus Borromaeus monuit,[1] et opulentis recens erigenda coemeteria praefato modo aedificare, liberalitati Christi fidelium placeat. Dispositio autem coemeterii quomodocumque conditi ea tamen sit, ut nisi alia obstent, defunctorum cadavera orientem respiciant, unde vexillum Regis Crucifixi fulget, cujus lux perpetua luceat eis. Morem pietate catholica dignum, imponendi nimirum singulis tumulis Crucem cum vasculo aquae lustralis, pro merito laudamus; solliciti ecclesiarum rectores vigilabunt, ne cruces

---

1) Instruct. fabr. lib. 1. cap. 27.

aurae injuria deciduae negligantur, vel irreligiose prorsus tractentur.

Non minorem pastorum vigilantiam et curam epitaphia sibi vindicant et tumulorum elogia, ne scilicet absona et profana compositione sua oculos auresque fidelium offendant, ideoque potius lapides offensionis, quam christianae fidei et charitatis monumenta dici mereantur. Volumus itaque, ut parochi ceterique viri ecclesiastici, quibus coemeteriorum cura concredita est, data ejusmodi occasione petentibus sano consilio succurrant; artificibus autem et Christifidelibus, qui defunctorum tumulos epitaphiis ornare cupiunt, suademus in Domino, ut vel dubio occurrente maturum sacerdotis judicium et consilium sibi expetant, vel sponte oblatum grato corde excipiant.

Quoniam stipendia peccati mors: utique non decet, ut coemeteria instar horti ita colantur, ut visitantibus recreationis potius, quam religiosae aedificationis materiam praebeant; quia vero speramus, fore ut mors absorbeatur in victoria: pariter cavendum est, ne sacrata Christ[illegible]orum coemeteria justo decore et ordine destituta, nonnisi terram miseriae et tenebrarum significent, ubi nullus ordo, sed sempiternus horror inhabitat. Curabunt itaque ecclesiarum rectores, ut in coemeteriis omnia et singula bene ordinata, munda et loco sacro digna sint.

Sacerdotum et Clericorum cujuscumque ordinis sepulchra, ubi fieri potest, a tumulis laicorum separata sint, et prout Rituale Romanum praecipit, decentiori loco sita. Optamus proinde, ut in civitatibus cathedralibus aliisque majoribus, ubi Clerus numerosus est, locus in coemeteriis eligatur communis et dignior pro sepeliendis viris ecclesiasticis; decet enim, ut quomodo in vita dilexerunt se, ita et in morte non sint separati. [2]

Pro vetusta et laudabili ecclesiarum consuetudine etiam infantes baptizati et parvuli, qui ante annos discretionis obierunt, speciales in coemeteriis et separatos ab aliis loculos et sepulturas habeant, quatenus commode fieri potest; alias enim,

---

[2]) Rituale Rom. de Exequiis.

prout decisiones Congregationum Sedis Apostolicae docent, sepeliri poterunt in sepulcris majorum vel in promiscuis coemeteriorum tumulis.[3]

2. Si cui locus sepulturae, Episcopo quippe licentiam conferente, in ecclesia dabitur: humi tantum detur ita, ut defunctorum cadavera in tumbis profundis infra terram collocentur. Nullo autem modo sepulcra in choro seu capella majori condantur, neque sub altarium predellis, a quibus potius adeo remota sint, ut ne quidem infimum altaris gradum seu scabellum attingant.[4] Stante porro decreto Pii PP. V. de non tolerandis conditoriis super terram elevatis, sepulcra et monumenta cum reliquo ecclesiae pavimento sic aptentur, ita ut neque e solo emineant, neque transeuntibus impedimento sint.[5] Ostia sepulcrorum securitatis causa duobus lapidibus contegantur; in quorum superiori Crucis signum aut aliud sacrum symbolum minime sculptum sit, ne vel luti inquinamento, vel invito transeuntium gressu profanari videatur; sed et alius generis sculpturae seu ornamenta et epitaphia nonnisi obtenta Episcopi approbatione admitti poterunt.

CAPUT XI.

De Institutis pro augmento decoris domus Dei erigendis.

Quum dispersa congregare et congregata conservare pia sit hujus Synodi intentio: Patribus consilia de rebus ecclesiasticis conferentibus summopere in votis est, ut etiam decor domus Dei unitis Cleri populique fidelis viribus in hac provincia promoveatur. Ad praeclarum finem hunc ipso Deo juvante as-

---

[3]) Rituale Rom. loc. cit. S. C. Congr. in Novarien. funerum 15. Mart. 1704.

[4]) Rituale Rom. loc. cit. — S. Congr. Episc. et Regul. in Interamnen. 13. Sept. 1593 et 8. Febr. 1599. — Confer ejusd. S. Congr. decret. in Messanen. 2. Maji 1601, et in una s. Dominici 15. Junii 1635.

[5]) Constitut. „Cum primum Apostolatus“ de die 1. April. 1566. §. 6.

sequendum praesenti decreto sequentia proponunt et sanciunt: In qualibet dioecesi et quidem in civitatibus cathedralibus erigatur sub auspiciis Episcopi pia sodalitas pro decore domus Dei christiana liberalitate et ministerio artis ecclesiasticae promovendo. Statuta hujus unionis, cujus sodales tum sacerdotes tum pii laici esse poterunt, Episcopi provinciae collatis inter se consiliis exarabunt.

Confraternitatibus, quae de sanctissimo Sacramento appellantur, et sic dictis unionibus virginum maximum accrescet pietatis meritum, si ecclesias praesertim pauperes paramentis, aliisque supellectilibus, quae devoti sexus feminei pia et docta manu optime confici solent, nec non congruo ornatu, prout lex, traditio et ars ecclesiastica abunde docent, providere satagent. Quod ut opitulante Deo eveniat, parochi et praedictarum confraternitatum rectores omni, qua poterunt, solertia adnitentur.

In quolibet Vicariatus districtu constituetur ab Episcopo vir ecclesiasticus, legis et traditionis catholicae, nec non artis christianae optime gnarus, qui ceu episcopalis antiquitatum sacrarum Conservator, et fabricae ac supellectilis ecclesiasticae quodammodo magister singulis ecclesiarum per totum districtum rectoribus in restauratione sacrarum aedium, in comparandis vasis et paramentis aliisque ad ornatum ecclesiasticis pertinentibus a consiliis erit, et pro facultate ab Ordinario sibi fors tradita providebit, ut decor domus Dei augeatur in longitudinem dierum.

TITULUS VI.

DE REGIMINE ECCLESIASTICO.

CAPUT I.

De canonica regiminis norma.

Quoniam potestati ecclesiasticae, quam a Domino nostro Jesu Christo Apostolis eorumque successoribus traditam credimus et profitemur, divino jure competit, cuncta disponere et sancire, quae ad aeternam salutem fidelium conducunt: hinc omnes et singuli, qui christiana professione censentur, leges et sanctiones canonicas debita veneratione et obedientia prosequantur oportet. Imprimis autem omnes cujuscumque ordinis et dignitatis sacerdotes, utpote electi Ecclesiae ministri et populi christiani doctores, iique maxime, quibus regimen animarum creditum est, sacros Canones tamquam praecipuam officii sui ecclesiastici et pastoralis muneris normam summo studio nosse et exequi allaborent, ut in nullo eorum actu quidpiam adpareat, quo ab ordinationibus canonicis et Patrum traditionibus, atque a vigente Ecclesiae disciplina auctoritate Sanctae Sedis approbata deflectere seu discordare videantur. Principalis haec prudensque sollicitudo, si nullo non tempore, nunc potissimum in viris ecclesiasticis requiritur, cum fausto tenore Concordiae inter Sanctam Sedem et Augustissimum Austriae Imperatorem initae [1]) multifaria regiminis canonici impedimenta remota fuerint, sed simul major animorum commotio et infensus mundi spiritus ad ea prae ceteris subsidia oculos converti jubeat, quorum ope fideles inde ab octodecim saeculis modo licet diverso, eodem tamen unius fidei et charitatis spiritu ad salutem aeternam gubernatos fuisse novimus.

Quo melius autem vigens et approbata Ecclesiae disciplina teneatur: ad ea praeprimis recurrendum erit, quae per

---

[1]) Confer Artic. XXXIV. et XXXV.

sanctam Synodum Tridentinam providissima sollicitudine condita et sancita sunt. Cujus Concilii Canones et Decreta, una cum recentioribus Summorum Pontificum et sacrae Congregationis ejusdem Concilii interpretis et vindicis declarationibus certissimam normam praebent, cui totum animarum regimen saluberrime et tutissime innitatur. Sed et quaecumque alia Decreta et Constitutiones Apostolicae a Summo Pontifice pro suprema ejus in universam Ecclesiam auctoritate emanaverint: pronissima fide et obedientia executioni dentur. Quapropter omnia ejusmodi mandata, sive ad omnes totius orbis Episcopos, sive ad Imperii Austriaci et hujus provinciae Antistites directa a singulis dioecesium Ordinariis Clero publicabuntur, imo etiam fidelibus, quotiescumque Literae Apostolicae de fide et moribus gregis christiani immediate egerint, lingua vulgari diligentissime exponantur. Antiquiores quoque Constitutiones Apostolicae, quarum iterata promulgatio propter peculiares hujus provinciae indigentias requiri videbitur, collatis Episcoporum consiliis et potissimum in Synodis denuo publicabuntur.

Quumque Romanus Pontifex suam juris dicendi potestatem, quam in universam Ecclesiam jure divino tenet, plurimum per sacras Cardinalium Congregationes exserat: Synodus praesens distincte praecipit, ut decisiones et decreta, quae a sacris istis Congregationibus pro Urbe et Orbe, pro dioecesibus ditionis Austriacae, aut pro hac provincia vel singulis ejusdem dioecesibus edentur, congruo modo mox ad cognitionem Cleri perferantur, et secundum tenorem et vim aut universalem aut particularem religiose observentur. Eadem sollicitudo postulat omnino, ut etiam antiquiores interdum hujusmodi decisiones de rebus gravioribus prolatae Clero innotescant, illae praesertim, quarum tenore et auctoritate praxis erronea, sicubi irrepserit, mox corrigi et disciplinae ecclesiasticae ad amussim conformari possit. [2])

---

[2]) Confer Decret. huj. Concilii Tit. I. cap. 2. unm. 2.

CAPUT II.

De Episcopis.

Provide Synodus Tridentina duce Spiritu sancto Ecclesiae utilitati consuluit, cum Episcopis et reliquo Clericorum ordini certas officiorum vias rationesque praescripsit, quibus intelligerent, se non ad propria commoda, sed ad labores et sollicitudines pro Dei gloria vocatos esse, et in iis numerari, quos dedit Deus quosdam quidem Apostolos, alios autem pastores et doctores ad consummationem sanctorum, in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi. [1] Et quamvis eadem Synodus per Dei misericordiam, providamque ipsius Dei in terris Vicarii solertiam speraverit, omnino futurum, ut ad ecclesiarum regimen, onus quippe angelicis humeris formidandum, viri assumantur secundum venerabiles beatorum Patrum sanctiones maxime digni: nihilominus tamen omnes ecclesiarum quovis nomine ac titulo praefectos, videlicet Episcopos expresse monitos esse voluit, ut attendentes sibi et universo gregi, in quo Spiritus sanctus posuit eos regere Ecclesiam Dei, vigilent sicut Apostolus praecipit, in omnibus laborent, et ministerium suum impleant. [2]

Haec dum Antistites in praesenti Synodo congregati prona mente revolvunt: minime diffitentur, excelsi sui muneris professionem maxime postulare, ut qui in numero operariorum primi censentur, religionis et laboris exemplo ceteris praeluceant; qua in cogitatione obeundi sui officii illam Episcopi perfectam imaginem, digito Dei ab Apostolo descriptam, assidue sibi proponunt: Oportet Episcopum sine crimine esse, sicut Dei dispensatorem; non superbum, non iracundum, non vinolentum, non percussorem, non turpis lucri cupidum; sed hospitalem, benignum, sobrium, justum, sanctum, continentem, amplectentem eum, qui secundum doctrinam est, fidelem ser-

---

[1]) Sess. XXV. de Ref. cap. 1. confer Conc. Prov. Mediol. I. de vit. Episc. et Cleric. num. 14.

[2]) Sess. VI. de Ref. cap. 1. — 2 Timoth. 4. 5.

monem, ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos, qui contradicunt, arguere. [3]

Quumque in praesenti eo consilio convenerint, ut quae legis et traditionis ecclesiasticae auctoritate ad stabiliendam religionis catholicae disciplinam sancita sunt, in hac provincia ad communem Cleri populique utilitatem conserventur aut innoventur: hinc de regimine ecclesiastico conferentes, ante omnia, quae suae sunt partes, lubentissimi agnoscunt, et vel ideo iterata et candida professione palam faciunt, nil sibi habituros esse antiquius, quam ut ipsimet in gravissimo gregis regendi negotio sacrorum Canonum auctoritate dociles gratique dirigantur. Emissi in Consecratione sua juramenti non immemores „regulas sanctorum Patrum, decreta, ordinationes seu dispositiones, reservationes, provisiones et mandata Apostolica“ totis viribus observabunt et facient ab aliis observari. [4]

Baculo pastoralis officii provisi, illud Ecclesiae votum meditabuntur, „ut sint in corrigendis vitiis pie saevientes, judicium sine ira tenentes, in fovendis virtutibus auditorum animos demulcentes, in tranquillitate severitatis censuram non deserentes.“ Annulo donati, fidei scilicet signaculo, illud sibi denuo proponunt, ut „Sponsam Dei, sanctam videlicet Ecclesiam, intemerata fide ornati, illibate custodiant.“ Evangelio instructi paratissimi vadent, „praedicare populo sibi commisso; potens est enim Deus, ut augeat eis gratiam suam.“ [5]

Quaecumque Synodus Tridentina de visitationis canonicae officio sancivit: diligentissime observabunt; in id potissimum operam navaturi, ut facultatibus a Concilio sibi concessis utantur; ne si forte remissius egerint, visitatio fructu ac fine suo careat, aut disciplinae ecclesiasticae nervus elidatur. [6]

Ut porro in difficillimo pastoralis regiminis negotio mutui adjutorii solamina experiantur, et servandae unitatis di-

---

[3]) Conc. Prov. Mediol. I. loc. cit. — Tit. 1. 7—9. [4]) Pontif. Rom. de Consecr. electi in Episc. [5]) Pontif. Rom. loc. cit.

[6]) Sess. XXIV. de Ref. cap. 3 et 9. — Sess. XXV. de Ref. cap. 6. — Sess. XXI. de Ref. cap. 8. — Sess. XXIV. de Ref. cap. 10.

lecto suo Clero exemplum praebeant: res praesertim gravioris momenti collatis, quantum fieri poterit, consiliis tractabunt; optantes insuper et aemulaturi summopere, ut metropolitanae Ecclesiae Antistiti, cujus utpote provinciae Praesulis jura canonica et metropoliticae dignitatis praerogativas piissime reverentur, sese intimo fidei et charitatis vinculo sociatos commonstrent.

Pium tandem sanctorum Patrum morem quoad concelebrandas Episcoporum Exequias, praeeunte s. Carolo Borromaeo revocaturi, statuunt, ut Episcopo mortuo vel morti proximo Metropolita seu alius Episcopus vicinior a Capitulo cathedrali invitetur, qui statim veniens, si Antistitem invenerit vivum, piissime eum consoletur, et quae ad animae salutem requiruntur, fraterna charitate praestet; defunctum vero debito more ad sepulcrum comitetur. Ejusdem Capituli erit, Episcopos provinciae de obitu Antistitis confestim certiores reddere, qui in ecclesiis suis cathedralibus Missam pro anima defuncti Confratris celebrandam curabunt, Deumque pie deprecabuntur, ut orbato gregi Pastorem dare velit secundum cor suum. Ceterum Anniversaria pro defuncto Episcopo praemisso Officio defunctorum fiant in ecclesia cathedrali, quamdiu proximus ejus successor in Episcopatu vixerit. 7)

CAPUT III.

De Synodis Provinciae et Dioecesium.

Communis et ardentissimi voti miseratione divina compotes facti Antistites provinciae, dum hujus ipsius Concilii insigne beneficium et fructum sperandum gratissimo corde coram Deo expendunt, fusis precibus ab eodem Patre luminum, a quo omne datum optimum et donum perfectum descendit, enixe postulant in fide, et nihil haesitantes confidunt, fore ut celebrandorum conventuum synodalium

---

7) Confer Conc. Prov. Mediol. I. de funer. Episc.

praxis exoptatis praesentis Concilii auspiciis inaugurata, auxiliante Domino amodo stabiliatur et ad maximam totius provinciae utilitatem junctis Episcoporum potissimum studiis conservetur, atque conservata gratae posteritati custodienda credatur. Rei huic gravissimae consulturi sequentia sanciunt in nomine Domini:

1. Quum remotis lapsi temporis impedimentis, et stante Concordia inter Sedem Apostolicam et Augustissimum Austriae Imperatorem Synodis faciendis nil obstet, [1] imo prorsus necessarium videatur, ut post plurimas saeculorum vicissitudines causae communes et graviores potissimum in Conciliis provinciae componantur: curabit Metropolita, seu illo legitime impedito Coëpiscopus antiquior, ut quolibet triennio Synodus provincialis habeatur, praescripta ratione convocanda et celebranda. [2] Quodsi autem, cum dioeceses hujus provinciae nimis late pateant, Antistites ob gravem negotiorum molem diutius, prout actiones Synodi provincialis passim exigunt, extra suas dioeceses morari non possent, vel reliquis etiam, qui de jure vel consuetudine interesse debent, nimis arduum foret, postposito altero urgente officio ad Synodum convenire, adeo ut ob istiusmodi, seu si alia ex inopinato supervenerint, obstacula Concilium provinciae statuto de jure tempore vix cogi queat: Metropolita et Episcopi comprovinciales, dum de causis majoris ponderis alioquin consilia conferent, materiam saltem in proximo Concilio provinciali deliberandam continuo praeparabunt.

2. Pari solertia, qua Episcopi Conciliorum provincialium salutarem usum revocare intendunt, celebrandae etiam Synodi dioecesanae praxim, diutina desuetudine interruptam, instaurare in hac provincia toto corde peroptant; cum persuasissimum sibi habeant, nihil frequenti animarum recognitione et Synodorum celebratione veteri disciplinae constituendae, et saluti

---

[1]) Confer. Artic. IV. [2]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 2. — Caerem. Episc. lib. 1. cap. 31. — Pontif. Rom. Ord. ad Synod.

tum Cleri tum populi sibi concrediti promovendae accommodatius esse. In Synodo dioecesana videlicet, quam s. Carolus Borromaeus rectissime generalem quamdam visitationem appellare solebat, Episcopi Clerum sibi commissum iterum recognoscunt, tum paterna illum charitate simul universum complectuntur, tum salutaribus monitis instruunt, tum quae pro recta universae dioeceseos administratione necessaria cognoverint, generatim statuunt, sanciunt atque decernunt. [3]

Synodorum episcopalium utilitas satis superque evincitur a ss. Canonibus et praesertim a providissima Concilii Tridentini sanctione. [4] Nihilominus Episcopi, si ob aliquod impedimentum suas Synodos juxta Tridentinum decretum cogere nequeant, non propterea animum abjiciant, sed juxta monitum Benedicti XIV. „alias sibi suppetere sciant artes succurrendi suarum ovium indigentiis, earumque spirituali bono prospiciendi; atque ab aliorum exemplis modum addiscant, Synodi defectum supplendi.“ [5]

Quia ob dioecesium hujus provinciae et ipsarum ex parte parochiarum amplitudinem, ob parochorum non paucorum paupertatem atque itinerum difficultatem vix possibile erit, Synodos quotannis dioecesanas cogere et legitima forma celebrare: praesenti decreto statuitur, ut saltem, quoties peractum fuerit Concilium provinciae, toties infra proximum annum Synodus in qualibet dioecesi habeatur, praescripto modo convocanda et facienda, in qua simul novissimi Concilii provincialis decreta rite promulgentur oportet. Singulis autem annis, quibus Synodus dioecesana cogi non poterit, curabunt Episcopi facultatibus a Sede Apostolica muniti, ut convocatis tempore opportuno Vicariis foraneis, qui collatis prius cum Clero sui districtus consiliis, vota et desideria Episcopo denuntianda exponent et alterum quoque Procuratorem istius Cleri, suffragiis absolute majoribus eligendum, comitem habebunt,

---

[3]) Confer Benedicti PP. XIV. de Syn. dioec. lib. 1. cap. 2. num. 1. et 2.

[4]) Sess. XXIV. de Ref. cap. 2.

[5]) De Syn. dioec. lib. et cap. citat. num. 5.

synodalis congregatio in civitate cathedrali celebretur, praesentibus etiam Capitulo cathedrali aliisque, quos designaverit Episcopus, viris ecclesiasticis. Congregationis hujus actiones, prout Antistiti expedire videbitur, universo dioeceseos Clero promulgabuntur. Ceterum Episcoporum erit, congruam celebrandae istiusmodi congregationis methodum, prout normam quoque exercitiorum spiritualium, si fors vel istis actionem quamdam synodalem jungere opportunum judicaverint, pro modulo collatae sibi a Sede Apostolica facultatis exarare.

3. Exoptatam Synodorum praxim innovaturis plurimum Episcopis hujus provinciae cordi est, ut canonica quoque officia Testium, Judicum et Examinatorum synodalium restituantur. Quum itaque Concilium Lateranense IV. expresse sanciverit, ut Episcopi in Synodis conferentes „per singulas dioeceses statuant idoneos viros providos videlicet et honestos, qui per totum annum simpliciter et de plano absque ulla jurisdictione investigent, quae correctione vel reformatione sint digna, et ea fideliter perferant ad Metropolitanum et Suffraganeos et alios in Concilio subsequenti, ut super his et aliis, prout utilitati et honestati congruerit, provida deliberatione procedant“: [6]) idcirco statuitur, ut in Concilio provinciae a Metropolita ex unaquaque dioecesi duo saltem, in Synodo dioecesana autem ab Episcopo loci septem e dioecesi eligantur viri ecclesiastici, aetate moribusque graves, qui Testes synodales constituti in manus Metropolitae et Episcopi, a quo nominati sunt, jurabunt, se muneris demandati partes fideliter esse exsecuturos. Absentes a Concilio provinciali Episcopus Ordinarius quantocius praescripto jurejurando obstringat, et praestiti juramenti testimonium infra duos menses ad Metropolitam mittat. [7]) Ceterum Metropolita et Episcopi peculiarem pro obeundo Testium synodalium munere instructionem exarabunt. Ut pari ratione decreto Concilii Tridentini de Judicibus in Synodo designandis satisfiat: [8]) Patres in Concilio

[6]) Cap. 6. de Conc. Provinc. [7]) Conc. Mediol. Prov. IV. De Testib. synod.
[8]) Sess. XXV. de Ref. cap. 10.

provinciae congregati viros ex unaquaque dioecesi ecclesiasticos designabunt, in jure canonico versatissimos, morum probitate maxime commendabiles et omnimode qualificatos, quibus causae spirituales et ad forum ecclesiasticum pertinentes a Sede Apostolica et a quolibet Legato vel Nuntio in partibus, ut ajunt, delegandae tuto committi queant. Judices isti in partibus constituendi, de quorum designatione illico ad Summum Pontificem relatio fiat, peculiari juramento muneri suo devincientur. Tandem et pro examine promovendorum tum ad sacros Ordines, tum praesertim ad beneficia parochialia idonei Examinatores in Synodo dioecesana ab Episcopo vel ejus Vicario ad minus sex proponantur, qui Synodo satisfaciant, et ab ea probati, singulari juramento obstringantur. [9])

CAPUT IV.

De Judiciis ecclesiasticis.

Ne disciplina ecclesiastica enervetur et sacrorum Canonum auctoritas infringatur, oportet omnino, ut Episcopi demandato sibi gravissimo judicandi et coërcendi officio sine haesitatione satisfaciant. Veritatis et justitiae custodes ac vindices a Domino constituti religiosissimo studio cavebunt, ne injustum judicium judicare unquam videantur. Memores se pastores, non percussores esse, atque ita subditis praeesse oportere, ut non in eis dominentur: continuo elaborent, ut hortando et monendo eos ab illicitis deterreant. Sin autem ob delicti gravitatem virga opus fuerit: rationis reddendae non immemores rigorem cum mansuetudine, cum misericordia judicium, cum lenitate severitatem adhibebunt, ut sine asperitate salutaris disciplina conservetur, et qui correpti fuerint, emendentur. [1])

---

[9]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 18. — Confer Sess. XXIII. de Ref. cap. 7. et 15.

[1]) Conc. Trid. Sess. XIII. de Ref. cap. 1.

Quo tutius autem in arduo hujus sui muneris exercitio secundum sanctiones Canonum procedant, Tribunalia ecclesiastica constituent, quorum erit cognoscere de causis, quae pro tenore sacrorum Canonum et secundum praesentem Ecclesiae disciplinam a Sancta Sede adprobatam, attentis porro legibus potissimum vigore Concordiae inter Summum Pontificem et Augustissimum Austriae Imperatorem stabilitis et fors stabiliendis ad forum ecclesiasticum pertinent. [2])

Quum pro dijudicandis causis matrimonialibus Judicia ecclesiastica per singulas hujus provinciae dioeceses jam constituta sint: Episcopi illam ipsam instructionem, quam anno Domini 1856 in usum praefatorum Judiciorum auctoritate Ordinaria rite promulgarunt, et in praesenti Concilio iterum probaverunt, legem provinciae declarant. [3])

In usum autem Judicii ecclesiastici, quod pro dijudicandis reliquis causis ad forum contentiosum pertinentibus in qualibet hujus provinciae dioecesi vigore praesentis decreti constituendum est, peculiaris exarabitur instructio de processu ecclesiastico criminali et civili, quae quum collatis Episcoporum comprovincialium consiliis iisque assentientibus per Archiepiscopum Metropolitam promulgata fuerit, ejusdem valoris et auctoritatis habenda erit, ac si in hoc ipso provinciae Concilio adprobata et publici juris facta fuisset.

CAPUT V.

De Capitulis cathedralibus et collegiatis.

Capitula cathedralia, cum a presbyteriis ecclesiarum episcopalium originem repetant, Patres in hac Synodo congregati

---

[2]) Conc. Trid. Sess. VI. de Ref. cap. 1, 3; — VII. de Ref. cap. 14; — XIII. de Ref. cap. 1—8.; — XIV. de Ref. cap. 1. 5. 6. — XXII. de Ref. cap. 7; — XXIV. de Ref. cap. 20; — XXV. decr. de Reg. et Mon. cap. 14, et decr. de Ref. cap. 3. 10. 14. — Concord. Austr. Art. X. XIV. — Lit. Plenipot. C. R. Maj. ad Plenipot. S. Sedis, de die 18. Aug. 1855 art. 10—13.

[3]) Confer Titul. IV. cap. 13.

nobilissimam primaevae Ecclesiae stirpem et praeclaram majorum haereditatem appellant salutantque in Domino. Licet temporum vicissitudo pristinam Canonicorum vitam communem et ad religionis normam attemperatam dissolverit: Capitulorum tamen cathedralium essentiam et finem non immutavit, ita ut retentis canonicalis vitae vestigiis in presbyteriorum, ex quibus orta sunt, locum successisse merito censeantur. Sunt enim collegia virorum ecclesiasticorum legitime instituta ad Episcopum in dioecesis gubernatione adjuvandum et supplendum. Ab his Canonicorum collegiis differunt Capitula collegiata, quae ad augendum decorem et fructum cultus divini in aliqua ecclesia celebriori constituta, praebendis et aliis temporalibus proventibus in hunc finem sustentantur, quin de jure consilium Episcopi et senatus Ecclesiae dici possint. Hanc Capitulorum destinationem et conditionem praesentem respicientes Antistites hujus provinciae eorum jura et privilegia lubentes, quantum poterunt, tuebuntur; sed et Canonum sacrorum custodes praecipiunt, quae sequuntur:

Canonici Capitulorum cathedralium quemadmodum honoris dignitate ceteros dioecesis Clericos praecellunt, ita et doctrina, pietate morumque integritate insignes sint oportet, ut ecclesiasticae disciplinae, caritatis, castitatis, beneficentiae, ceterarumque sacerdotalium virtutum exempla dici mereantur. Imprimis in horum Capitulorum coetum assumendi exactioris doctrinae laude polleant; quapropter impense optamus, ut dimidia pars canonicatuum et dignitates conferantur viris, qui ex ordinatione Concilii Tridentini publicum eximiae scientiae testimonium consecuti sunt.[1] Ut etiam collegiata, quae in nostra provincia florent Capitula hanc regulam sequantur, Synodus ardenter exoptat. Suis etenim officiis, ad quae ex hujusmodi Collegiorum indole vocantur, laudabiliter jungunt partim continuam verbi divini praedicationem et animarum curam, partim scientiarum culturam atque juventutis institutionem. Quumque ecclesiae collegiatae hujus provinciae antiqui-

[1]) Sess. XXIV. cap. 12. de Ref.

tate et celebritate insignibus adnumerari mereantur: ad earum etiam Capitula praefatam Concilii Tridentini, prout illam quoque Concordiae [2]) dispositionem merito referimus, qua ad canonicatus ecclesiarum cathedralium promovendi insuper in cura animarum aut in negotiis ecclesiasticis seu in disciplinis sacris tradendis cum magna laude versati sint oportet. Instante eadem Concordia [3]) in ecclesiis metropolitana et episcopalibus Canonicus poenitentiarius et theologalis, in collegiatis vero theologalis ad modum a sacro Concilio Tridentino praescriptum et servata Constitutione Benedicti PP. XIII. [4]) quantocius constituantur. Ut omnis Capituli actio et operatio certo ac firmo fundamento innitatur et justus ordo contra singulorum arbitrium defendatur: quodvis Capitulum sua habeat statuta secundum sanctiones Concilii Tridentini aliasque constitutiones ecclesiasticas et peculiares relationes condita, atque ab Episcopo approbata, cujus quoque est, Capitulum visitare, et ut statuta rite observentur, invigilare.

Quoniam praecipuum Canonicorum munus est, cultum Dei promovere, pietatem fidelium sua devotione alere, et tepescentes ad Domini laudem excitare: hinc tanto alacriori animo et assiduo studio divina ministeria obeant, quanto clarius Ecclesia de hac eorum obligatione mentem suam aperuit, quum quippe selectos sacri famulatus coetus dedicaverit laudibus Deo persolvendis et divinis mysteriis peragendis. Itaque Canonici tum cathedralium tum collegiatarum ecclesiarum Officium divinum in choro recitare, ac psalmis, hymnis et canticis Dei laudes concelebrare nobilissimum suae vocationis pensum habeant, eique ita vacent, ut suae devotionis exemplo etiam populi pietas incalescat et augeatur. Quo devotionis spiritu etiam illos animatos esse oportet, qui in adjutorium Canonicorum vocati, eorum loco partem officii persolvunt. Cultus divini magnificentia in ecclesiis cathedralibus et collegiatis vividius exprimenda, at-

---

[2]) Artic. XXII. [3]) Artic. XXIII.

[4]) Sess. V. cap. 1. et Sess. XXIV. de Ref. cap. 8. confer Constit. Benedict. XIII. „Pastoralis officii“ de die 19. Maji 1725.

que debita dignitati episcopali reverentia postulant, ut Canonici Antistiti officia pontificalia celebranti, et pro locorum consuetudine etiam aliis occasionibus assistant. Ut autem divina ministeria a Canonicis gerenda ad normam sacrorum rituum accurate peragantur, deputetur in quolibet Capitulo Magister liturgiae, qui auctoritate polleat disponendi et ordinandi, quaecumque sacrorum rituum regulae praecipiunt. Distributiones quotidianae praesentibus in choro praestari solitae, ubi vigent, in usu maneant, secus juxta Concilii Tridentini normam instituantur et religiose observentur. [5])

Capitula cathedralia, quae honorifico senatus Ecclesiae nomine ad sacrorum Canonum tramitem a Concilio Tridentino [6]) insigniuntur, Episcopum in gubernanda dioecesi consilio et opera juvare tenentur. Quare Antistitem sanis ac sanctis consiliis ultro adjuvent; judiciis, quibus adhibentur, intemerata fide adsideant; mandata sibi commissa religiose observent, et omnibus negotiis, ad quae expedienda deputantur, promtum animum et diligentiam exquisitam praestent. Quando ex juris praecepto aut consuetudinis regula Capituli aut quorumdam de Capitulo exquirenda sunt consilia, Episcopi ea requirent, prout et pro rerum adjunctis Capituli consensum, quem praesertim in negotiis ipsum Capitulum attinentibus et in beneficiorum unione sacri Canones postulant. Canonicorum opera et cooperatione, quam canonicae sanctiones praescribunt, lubentes utentur.

Sede episcopali vacante jurisdictio episcopalis ordinaria, quae ad Capitulum ecclesiae cathedralis devenit, exercenda est a Vicario capitulari intra octiduum suffragiis absolute majoribus eligendo, nec fas est Capitulo jurisdictionem illi committendam ullo modo restringere; sed nec Vicario, quidquam innovare, vel de beneficiis liberae collationis episcopalis providere, aut juribus episcopalibus praejudicium adferre. Vicarius capitularis Episcopo ad sedem vacantem promoto de administratione rationem reddere tenetur. [7])

---

[5]) Sess. XXI. de Ref. cap. 3. [6]) Sess. XXIV. de Ref. cap. 12.
[7]) Conc. Trid. Sess. XXIV. de Ref. cap. 16.

CAPUT VI.

De Vicariis foraneis seu Decanis ruralibus.

Episcopi a Spiritu sancto positi regere Ecclesiam Dei, in regiminis sui adjutorium diversos ministros assumserunt, inhaerentes vestigiis Christi, qui in aedificationem corporis sui varios sacri famulatus gradus constituit. Quae adjutorii membra tanto plus augentur genere et numero, quo laetius corpus Ecclesiae crescit et augmentatur. Cum spatiosae, quae in hac provincia exsistunt dioeceses non admittant, ut Episcopi parochis et clericis singulis per ampla territoria dispersis ipsimet invigilent, et iis, quae ad gubernandum fidelium gregem ordinata sunt, pro cordis ad omnia parati voto intendant: Vicarii foranei seu Decani rurales, quorum opera Episcopi communiter utuntur, adeo necessarii dignoscuntur, ut nominis momentum, quod sint oculi et aures Episcoporum, ex officiorum ambitu et muneris labore isthic vehementer ingravescat. Quo insigniori loco constituti sunt, tanto clariori conversationis exemplo illustrent eos, quibus praeficiuntur; et muneris sui auctoritatem ita tueantur, ut religiosa officiorum observantia, inviolata justitia, assidua vigilantia et paterna gravitas primaria sint ipsius muneris praesidia. Officii Vicariis foraneis concrediti limites definituri, omnes parochos et clericos quoscumque eorum auctoritati subditos monemus, ut eis debitam reverentiam et obedientiam praestent, quod et a ludimagistris pari nomine exigimus et merito expectamus.

Vicarii foranei parochos, qui beneficium curatum in territorio suae inspectioni commisso canonice obtinuerunt, et alios curae animarum praeficiendos in muneris administrationem introducant. Quae de introducendis Regularibus in administrationem parochiarum domui religiosae incorporatarum jus praecipit vel consuetudo tenet, etiam in posterum serventur. Diligenter praefati Vicarii invigilent, ne quis sacerdos absque facultate ab Ordinario in scriptis obtenta, in curam animarum se ingerat, aut Missam celebret. Peregrinis tamen presbyteris

commendatitiis literis rite munitis licentiam celebrandi ad quatuordecim dies concedere poterunt, simul autem eos monebunt, prolongandi hujus termini potestatem Ordinariis competere.

Administrationi bonorum ecclesiasticorum ab iis, ad quos secundum Canones spectat, gerendae ad normam sibi praescriptam tanto solertius et accuratius invigilabunt, quanto gravius et amplius pensum illis restituta canonica bonorum procuratio injungit, et quo vehementius rerum adjuncta exigunt, ut provida vigilantia ingravescentibus ecclesiarum et Cleri indigentiis succurrat.

Mandata Antistitis ipsimet reverenter excipiant et religiose observent, et quae Clero sui districtus vel singulis, ad quos pertinent, promulganda sunt, absque tergiversatione innotescere faciant, curentque, ut praecepta curam animarum attinentia etiam a parochorum adjutoribus resciantur, sicut etiam, ubi res fert, a reliquis sacerdotibus et clericis, qui intra fines sui tractus commorantur. In relationibus ad Ordinarii officium faciendis probent se sinceros esse Episcopi oculos, et aures nullo partium studio deceptas; in testimoniis sint eo discretiores et veraciores, quo tutiorem sibi fidem praestari exoptant.

Sedulo attendant, ut qui curae animarum mancipati etiam residentiae ligantur officio, suis ecclesiis quoque adsint; parochis tamen et qui his aequiparantur, ex rationabili causa concedere possunt, ut per sex dies absint, dummodo absentiae veniam petentes providerint, ne animarum cura detrimentum capiat. Eamdem licentiam etiam adjutoribus parochorum, audita horum sententia et debita de necessario adjumento provisione facta, impertiri poterunt.

Cum Episcopi oculi et aures nuncupentur, gravi huic et meritorio officio ita satisfaciant, ut vigilantiam regat prudentia, gravitatem temperet comitas, zelum non deserat charitas. Itaque juniores de Clero dirigent et monebunt ut patres, seniores obsecrabunt ut fratres. In corrigendis Cleri defectibus, quamvis ei sint praepositi, fraternae correctionis

ordinem sequantur, sollicite curantes, ut dum consulunt morum candori et canonicae Clericorum conversationi, parcant et famae corrigendorum integrae et muneris auctoritati. Quos monita cum precibus non moverint, et correptiones cum minis non deterruerint, ad Episcopum deferant. Caveant, ne socordiam pastorum sufferentes eorumque segnitiem dissimulantes, populum mortiferae tabis periculo exponant; meminerint debilem erga insanabiles indulgentiam, quae parcit in tempore, crudelem esse misericordiam, quatenus non removet, quod in aeternitate cruciat; videant, ne sint perfidi causae divinae proditores, dum sibi adulantur, arundinem quassatam a se non infractam et linum fumigans non extinctum.

Neque tantum Clero invigilare tenentur, sed per universum districtum positi sunt speculatores. Quare solliciti sint, ut nulli irrepant abusus, et qui serpunt, ut evellantur. Unde quum libere ad eos recurrere, eorumque consilium implorare ipsis laicis liceat, dissidia inter hos et parochos vel ludimagistros summa prudentia ex aequo et bono componere satagant. Quum laeta doceat experientia, quantum valeant Vicariorum conatus, ut in toto districtu pietas vigeat, perniciosi vel inutiles libri selectis cedant, ad aedificationem et instructionem compositis, et fides per charitatem operetur: omnes cum multo fidelium profectu his efficiendis studia et operam impendent; sedulo quoque curabunt, ut collectae ad causas pias commendatae fiant, et statuto tempore ad Curiam Episcopi deferantur.

Collationes Cleri pastorales secundum instructionem Episcopi tempore opportuno instituant atque dirigant, omni adhibito studio curantes, ut istud salutare scientiae sacrae promovendae et zeli pastoralis fovendi medium propria diligentia commendent, suo fervore vegetent, doctrina fecundent, pietate nobilitent, prudentia sustentent, mansuetudine et comitate custodiant.

Solerti et opportuna dispositione curabunt, ut totius districtus ecclesiis de sacris Oleis, in Coena Domini recenter consecratis, ante Sabbatum sanctum rite provideatur.

Quodsi Judicii ecclesiastici Commissarii constituuntur, munere hoc secundum instructionem pro Judiciis ecclesiasticis in causis matrimonialibus jam editam, in causis aliis juxta instructiones promulgandas et specialia Judiciorum mandata fungentur.

Quoniam amplae hujus provinciae dioeceses prohibent, quominus Episcopi Concilii Tridentini praecepto [1]) de visitandis dioecesibus intra biennium satisfacere valeant: Vicarii foranei districtus sibi concreditos, quos Episcopus vel ipse vel per Vicarium Generalem non visitaverit, singulis annis per se ipsos canonica visitatione lustrabunt; nec illis licitum est, oborto impedimento ad visitationem exsequendam quemquam delegare. Ne emergente aliquo obstaculo visitationes omittantur vel incongrue differantur, Episcopi per Visitatores speciali mandato vocatos providebunt. De visitatione juxta canonicas sanctiones et peculiarem instructionem peracta statuto tempore rationem reddent.

Parochos et parochiarum provisores, si graviter decumbant, invisent curam gerentes, ut Sacramentis justo tempore muniantur, et de stipendiis nondum persolutis, de computu peculii ecclesiastici reddendo atque de re domestica mature et juxta sacros Canones disponant. Si decumbentes careant adjutore, qui gregis curam gerat, Vicarii providebunt de substituto, vel si haberi non possit, deputabunt aliquem ex vicinioribus sacerdotibus, donec facta relatione Ordinarius aliter disposuerit. Vita functos advocatis, quantum fieri poterit, districtus sacerdotibus honorifice sepeliant. Parochiarum regularium administratores sepeliendi sunt a Superioribus sui Ordinis. Curam animarum vacantis beneficii interim administrandam, et quae sunt ejusdem ecclesiae et beneficii procuranda Vicarii committent sacerdoti ab Ordinario approbato, ulteriorem Episcopi dispositionem praestolantes, ad quem nulla interposita mora de omnibus referre debebunt.

Quum officia Vicariis foraneis concredita non ex proprio

---

[1]) Sess. XXIV. de Ref. cap. 3.

muneris jure, sed ex mandato pendeant, prout etiam jura eorum et praerogativae ex potestate nonnisi delegata repetuntur: Ordinariis liberum erit, ad expendendos casus singulos vel alios sacerdotes delegare, vel generalis mandati hoc decreto expressi tenorem et ambitum, prout in Domino opportunum videbitur, immutare.

CAPUT VII.

De Parochis.

In grege Domini pascendo insignem locum tenent Parochi, qui in partem sollicitudinis episcopalis vocati curam animarum proprio nomine et officio exercent, ita ut ab iis potissimum fideles accipere debeant ministerium divini verbi et administrationem Sacramentorum. Ob gravitatem muneris, quo animarum saluti vigilantes consulunt, et continuam praesentiam, qua in custodia Sanctuarii et gregis Dominici diu noctuque excubant, singularem paternae nostrae dilectionis testificationem sibi vindicant; quapropter eos tamquam charissimos curae nostrae pastoralis socios monemus et obsecramus in Domino, ut onus sibi impositum diligenter considerent, atque Canonum sacrorum, prout et propriae salutis jugiter memores, gregem suum maxima virium contentione tueantur, oratione, verbo et opere pascant, dirigantque in veritate et justitia. Quod ut Deo opitulante fauste eveniat: praeter illa, quae in hac Synodo sparsim de munere Parochorum exposita sunt, quorumdam insuper officiorum adumbrare gravitatem consultum in Domino censemus.

Imprimis igitur in memoriam revocamus, Parochos per se ipsos ad subeunda munia curae animarum obligari. Hinc legem de Residentia,[1] qua pastores ad gregem nectuntur, considerantes, quum nullum tempus assignari queat, quo quis fidelium adjutorio Parochi non indigeat, cautissime curent, ne

---

[1]) Conc. Trid. Sess. VI. de Ref. cap. 2. et Sess. XXIII. de Ref. cap. 1.

vel per diem domum deserant, quin casibus repentinis pie provisum sit. Districtim autem prohibemus, ne ultra tres dies sine praescitu et consensu Vicarii foranei extra parochiam morentur. Si discedendi necessitas plures quam sex dies sibi vindicaret: licentia ab Episcopo postuletur, qua data Parochus absque gravi culpa haud uti poterit, nisi curae animarum secure per vicarium providerit. Eveniente tandem casu periculi nullus mercenariorum more gregem suum deserat, cum non sit pastor, qui fugiens permittit, ut lupus rapiat et dispergat oves.

Licet Parochus morum honestate atque vitae sanctae splendore fidelibus sibi concreditis viam excellentiorem monstrare debeat: aliis tamen insuper mediis pastor vigilans et constanti agens zelo indiget, ut gregem sibi creditum a noxiis arceat et ad salutaria pascua conducat. Humanum videlicet genus ad labem proclive, praeceps facile in peccandi fertur consuetudinem, atque si spirituali curatione malis non occurritur, sensim irrepunt perditorum morum corruptelae. Intima itaque perfusus erga immortales et Christi sanguine redemtas animas, ad instar s. Pauli cupiens omnes in visceribus Christi hortationibus, monitis, imo et minis et redargutionibus non parcat in confortandis debilibus, in reprimendis audacibus, in erigendis lapsis. Ad praeceptum Apostoli secundum indigentiam omnino temperet efficacia verba; maxime autem mansuetudine et patientia agendum est ei, qui tamquam servus Domini non debet litigare, sed mansuetus, docibilis, patiens, cum modestia corripere eos, qui resistunt veritati. [2] Paternae hujus sollicitudinis et caritatis zelo, qui nec fervore nec prudentia caret, felicissime Deo auxiliante continget eliminare et exstirpare abusus, cantus inhonestos, turpes consuetudines, fornicationes, adulteria, concubinatus et omne immunditiae genus. His armis fortiter se opponet malitiae perversorum, ingravescenti vi infidelitatis et pravorum exemplorum ponderi, non tantum scandala removens, sed etiam scandalo-

---

[2]) 2. Tim. 2. 24—25.

rum tristissimos fontes. Quando autem mitiora non proficiunt ita, ut malo alicui publico et magnum animarum detrimentum minanti publica auctoritate obviam eundum sit: Parochus cum Deo consideret, num brachii saecularis auxilium salubrem efficaciam sit habiturum; et eo ipso, si expedierit, invocato, meminerit semper, tali remedio ad aedificationem non ad destructionem fidelium utendum esse. Si vero ecclesiasticae poenae alicui fidelium adhibendae videntur, res ad Episcopum deferatur, cujus est, tales externae jurisdictionis et graves actus exercere vel exercendos alicui demandare.

Non sufficit vero, ut Parochi diligentia malum a grege avertat praeservando a graviore labe et mundando ab omni inquinamento carnis et spiritus; indefessus ejus conatus eo etiam dirigatur, ut sanctificationem in timore perficiat, ut qui sancti sunt, sanctificentur adhuc. Maxima sollicitudine incumbat, ut fideles in salutaribus quoque pascuis immorando proficiant, pueri ut obediant parentibus, adolescentes ut in honestatis lege versentur et christiana officia expleant, parentes ut in recta filiorum educatione sint solertes, aegroti ut non tantum corpore sed et animo sanentur, pauperes ut paupertas sit spiritualium occasio divitiarum, domini ut bene praesint domui, servi ut sancte famulentur heris; omnes denique ut de die in diem gradibus ascendant ad sanctitatem spiritualis domus Dei.

Parochus ipsius Christi, qui benefaciendo transiit, minister et servus in grege sibi commisso etiam charitatis erga omnes, qui indigentia sive spirituali sive corporali premuntur, censetur praedilectus dispensator. Pia mater Ecclesia, memor verborum: „Tibi derelictus est pauper, orphano tu eris adjutor“ [3]) institutis charitatis pro oneribus pauperum sublevandis semper specialem adhibuit curam, eorum tamquam membrorum Christi dilectorum defensionem ceu pretiosum sibi impositum munus agnoscens. Quapropter Parochos adhortamur, ut pauperum et afflictorum sollicitudinem paternam gerant, et

---

[3]) Psalm. 10. (sec. Hebr). 14.

quantum potuerint, eos non spirituali tantum solamine fovere, sed et vitae temporalis auxilio erigere studeant, miseris consilio et eleemosynis succurrentes, et opulentiorem gregis partem verbis et exemplo ad efficacem charitatem excitantes. Prudenti studio pauperum indigentiis succurrentes, illa misericordiae opera praeferant, quibus modo maxime opportuno singulis provideri poterit; uti si juvenibus artem vel opificium addiscendi copia praebetur, si puellae ob paupertatem periclitantes honeste collocantur, si pauperibus laboris ad vitam sustentandam occasio suppeditatur. Neminem autem paupertatis nomine commendent, nisi quem certe sciant, nulla fraude agere nec commendationis facturum esse abusum. In genere zelum eorum inflammet charitas, informet prudentia, firmet constantia. Praecipuae denique Parochorum sollicitudini commendamus caritatis instituta, quae pietas majorum vel continua fidelium generositas erexit et fovet. Haec saepe invisere, administrationis curae invigilare, et profectum promovere eos ne pigeat. Optamus ceteroquin, ut quaevis parochia peculiare habeat institutum, pauperibus juvandis destinatum; cui erigendo aut promovendo atque sedulo inspiciendo Parochus gratissimam adhibebit operam.

Dum grato corde Parochis et sacerdotibus gratulamur, quorum praeclaro fervore tum confraternitates lapsi temporis injuria deletae per singulas hujus provinciae dioeceses fauste in dies innovantur, tum variae pietatis sodalitates, recentissimo aevo sive ab ipsa Sede Apostolica adprobatae sive ab Episcopis plurimum commendatae eriguntur: ardenter optamus, ut ejusmodi praesertim piae uniones sedulo foveantur, quae ope piarum orationum, adhortationum, spiritualium exercitiorum et operum christianae charitatis augendae fidei, et emendandis populi moribus maxime prodesse dignoscuntur. Novissimas uniones, quas Catholicorum appellant, nec non sodalitates juvenum opificum lubentes laudamus, et Parochorum piae sollicitudini commendamus. Inhaerentes autem Constitutioni

Clementis PP. VIII.[4] statuimus, nullam confraternitatem aut sodalitatem esse in ulla hujus provinciae dioecesi erigendam, nisi de consensu Ordinarii et cum literis ejus testimonialibus, quibus confraternitatis erigendae et instituendae pietas, et christianae charitatis officia, quae exercere cupit, commendentur. In singulis civitatibus, oppidis vel locis una tantum ejusdem instituti, generis aut nominis confraternitas instituatur. Quum porro sodalitia pia vix quidquam proficiant, nisi congrue regantur, omnes et singulae confraternitates in dioecesibus hujus provinciae legitime erectae supremo Ordinariorum regimini sint subjectae. Statuta pro regimine illarum confraternitatum condita in usum deduci non possunt, nisi prius ab Episcopo examinata et pro ratione loci approbata fuerint; quae nihilominus ejusdem Episcopi decretis ac moderationi et correctioni in omnibus semper subjecta remaneant. Indulgentiae, facultates aliaeque spirituales gratiae et indulta, quae privilegiis Apostolicis confraternitatibus concessa sunt, indigent praevia recognitione Ordinarii, qui adhibitis duobus de Capitulo illa secundum Ss. Concilii Tridentini decretum promulganda decernat.[5] Piarum sodalitatum ministri et officiales eleemosynas et alia oblata christianae charitatis subsidia nonnisi modo ab Ordinario loci probato excipiant; eleemosynas autem sic collectas in reparationem et ornatum ecclesiarum aut in alios pios usus secundum proprii instituti finem, et arbitrium Ordinarii fideliter erogari procurent, ut omnes intelligant, caelestes Ecclesiae thesauros non quaestus aut alicujus lucri causa, sed pietatis et charitatis excitandae gratia ex Apostolicae Sedis benignitate Christifidelibus aperiri. Omnes confraternitates in ecclesiis parochialibus erectae sub regimine parochorum constitutae sint et maneant. Earumdem statuta ab Ordinario approbata, prout literae authenticae erectionis in archivo parochiali debent asservari, et de verbo ad verbum in libro memorabilium parochiae describi.

---

[4]) „Quaecumque" de die 7. Decembr. 1604. [5]) Sess. XXI. de Ref. cap. 9.

Nulli subest dubio, Parochum omnes viros ecclesiasticos in parochia degentes, eorumque in Sacris facultatem rite nosse debere, ejusque officium esse, ut hosce ordinis sui confratres, sive laboris sui in vinea Domini quomodocumque socios, sive deficientes aut alias cura animarum minime occupatos veluti primos ac proceres inter parochianos singulari charitatis affectu amplectatur, pronissimo eis parochiali suo adjutorio, prout poterit, ministraturus. Pie confidentes, fore ut Parochi religioso huic officio suo paratissimi satisfaciant: justi quoque ordinis et parochialis jurisdictionis vindices postulamus omnino et mandamus, ut Clerici quocumque munere occupati, sive deficientes Parocho loci, ubi domicilium stabilierint, intra octo dies post adventum suum semet praesentent, eidemque testimonium facultatum, quibus quoad Sacra facienda provisi sunt, exhibeant. Ceterum sui officii esse noverint, ut Parochum debito honore prosequentes, ipsi quoque parochialis auctoritatis et jurisdictionis patroni et vindices dignoscantur.

Aedituorum et ministrorum minorum tum delectus, tum in domo Dei conversandi modus vigilantiam Parochi eo magis exposcit, quo arctius haud raro horum servitia cum sacro sacerdotum ministerio cohaerent, et quo funestiori experientia probatum est, quotidiana consuetudine tum ipsis ejusmodi personis res sacras pedetentim vilescere, tum aliorum vilipensioni et ludibrio exponi. Quapropter Parochus neminem, qui vitam christianam vitiis palam violavit, ad hoc ministerium admittat; admissos autem saepius de conversatione prae ceteris fidelibus exemplari admoneat, de officiis peragendis diligenter instruat, debitam quoque externam reverentiam in exemplum parochianorum inculcans; eos vero, qui decentem corporis habitum et cultum, munditiam et ordinem officiorum negligunt, item avaros et a vitae honestate deflectentes facta prius admonitione a ministerio removeri procuret. Officiis eorum delineandis peculiaris instructio edenda inserviet. Sedulo quoque vigilandum est, ut e scholaribus nonnisi optimi, pietate et modestia commendati, bene instructi et pre-

cum gnari seligantur, qui sacerdoti Sacra facienti ministrent. His exactissimam disciplinam in ecclesia et sacristia servandam Parochi delineabunt, continuo invigilantes, ne immorigerorum petulantia cultui divino et devotioni fidelium impedimento sit.

In quavis tandem domo parochiali, et quidem loco contra incendii pericula aliosque funestos casus provide custodito praesto sit armarium, sera munitum et apte loculatum, in usum archivi parochialis, quod universos libros parochiales secundum ordinationem Episcopi et omnia documenta complectatur ad muneris parochialis exercitium quomodocumque pertinentia. Quum Parochi alioquin juramento obstricti sint, tuendi jura tum ecclesiae tum beneficii, proin et vigilandi, ne authentica instrumenta huc spectantia pereant, quum porro parochialis jurisdictionis officio minime satisfacere queant, nisi in expediendis negotiis curae animarum forensibus seduli ac vigiles inveniantur officii episcopalis adjutores: districtim jubemus in virtute obedientiae, ut quae per singulas dioeceses quoad rationem librorum in foro parochiali gerendorum ab Episcopis sancita sunt, seu in posterum ordinabuntur, diligentissime et religiose observentur.

CAPUT VIII.

De Parochorum Adjutoribus.

Sacri Canones, qui Episcopis jus vindicant novas parochias constituendi invitis etiam rectoribus, quando ob locorum distantiam sive difficultatem parochiani sine magno incommodo ad percipienda Sacramenta et divina officia audienda accedere non possunt: accrescenti fidelium numero tamen ita succurrendum statuunt, ut rectori tot ad hoc munus adjungantur sacerdotes, quot sufficiant ad Sacramenta exhibenda et cultum divinum celebrandum.[1] Sapientissima haec ordinatio dum

[1]) Cap. 3. de eccles. aedif. (3. 48.) — Conc. Trid. Sess. XXI. de Ref. cap. 4.

fidelium prospicit saluti, cujus procurandae causa sacerdotes constituuntur, provida pietate etiam spirituali pastorum profectui consulit. Funesti enim lapsus periculum a solitariis pastoribus removens subministrat quoque ea perfectionis media, quibus praestandis communis virorum ecclesiasticorum vita utilis est, quam propterea Ecclesia ad restaurandam clericalem disciplinam semper summopere commendavit. Episcopi in hac Synodo congregati cavebunt quidem, ne deficientibus canonicis causis solitarii pastores multiplicentur, sed etiam pro viribus curabunt, ut probatis populi indigentiis novis parochiis succurratur, atque ut nimium accrescenti parochianorum numero justa etiam parochialium beneficiorum copia succrescat. Sed neque hac ratione sacerdotum, qui Parochorum Adjutores constituuntur, numerus in hac provincia haud exiguus facile imminuetur; quia potissimum augescens parochianorum multitudo plures quidem Cooperatores postulat, quin tamen adeo invalescat, ut justam et sufficientem causam innovandis beneficiis suppeditet. Ut itaque communis conatus, qui pascendis parochiarum gregibus frequentius adhibetur, concordi studio juvetur, et ut arcta necessitudo, quae Parochis cum suis Adjutoribus intercedit, utrisque grata sit et salutaris: Synodus sequentia statuit et praecipit:

Gravissimae rationes exigunt, ut lex dioecesana, diuturno usu probata, etiam in posterum servetur, ne Parochi sibi Adjutores eligant, sed quos Episcopi constituerint, assumant. Ita enim fit, ut pensatis locorum indigentiis et rerum adjunctis Parochis maxime idonei Cooperatores adjungi possint, et favoribus in eis seligendis aditus praecludatur. Salva maneant jura, quae in eligendis Capellanis ab Episcopo adprobandis peculiarium fundationum instrumenta Patronis vel Parochis vindicant. Eaedem rationes postulant, ut etiam soli Ordinario jus competat, Parochorum Adjutores avocandi eosque aliis ecclesiis assignandi; et ut neque Parocho liceat Adjutorem ex quacumque causa dimittere, nec Adjutori, ab illo discedere.

Meminerint Parochorum Cooperatores, ordinariam in

pascendo paroeciae grege jurisdictionem sibi non competere, sed ad Parochos spectare, quorum tantum Adjutores sunt. Unde nullam sibi vindicent auctoritatem disponendi de iis, quae ad Parochum pertinent, nec novi quidquam alicujus momenti sine eorum assensu introducant. Quoniam vero adjutorium, quod Parocho praestant, ad eumdem finem collineat, ad quem parochialis cura tendit: hinc si quae necessaria vel proficua existiment proponenda, modeste et salvo meliori Parochi judicio proferant, vel si expedire videbitur, Episcopi vel Vicarii foranei examini subjiciant, quin tamen ante competentis Superioris decisionem quidquam innovare praesumant. Quum ex adverso Parochi sciant, Adjutores nonnisi ad canonicam obedientiam sibi praestandam teneri, confidimus fore, ut nihil eis praecipiant, quod sacris Canonibus, liturgiae praeceptis aut legibus dioecesanis adversetur.

Quoniam Parochi et Adjutorum conatus ejusdem gregis saluti dedicantur, exemplo mutuae necessitudinis eum aedificent. Vigeat itaque inter eos pacis studium et charitatis perfectio; sint sibi mutuo aedificationi, auxilio et honori; nunquam invicem in iis, quae ad ministerium sacrum pertinent, invidiose aemulantes, sed supportantes invicem in charitate, solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis.[2] Meminerint Capellani, se inferiores esse munere, aetate et experientia; hinc reverentiam, quam Parochis debent, filiali pietatis affectu eis exhibeant, suaque agendi ratione etiam aliorum reverentiam, dilectionem et fiduciam Parochis conciliare studeant. Parochi autem benigni sint et benevoli erga Adjutores suos, quos alioquin sacerdotio Christi insignitos et laboris sui aeque ac messis socios sciunt. Eorum est, juniores consiliis suis adjuvare; usu nondum peritos ad animarum et totius parochiae administrationem sensim instruere, eosque ceu sollicitudinis suae socios sincero corde aestimare, sed et omnimode procurare, ut ab aliis quoque praesertim domesticis condigne honorentur.

Quo securius autem humanae fragilitati occurramus,

---

[2]) Ephes. 4, 2. 3.

legem in singulis dioecesibus vigentem innovantes statuimus, ut inter Parochum et Cooperatorem conventio fiat in scriptis exaranda, quam Vicarius foraneus sua sententia illustratam ad Ordinarii examen et confirmationem perferet. Quum locorum et adjunctorum diversitas non admittat, ut communi aliqua norma mutua Parochum inter et Adjutorem relatio stabiliatur, opportuno hoc remedio praecavendum est, ne alteruter labore praegravetur, et ubi plures adsunt Adjutores, ut functiones sacrae ex aequo et bono dispertiantur. Haec conventio etiam definiat, quid Parochus ad honestam Adjutoris sustentationem e proventibus beneficii praestare possit et teneatur. Cooperatores, nisi necessitas aliud ferat, in domo parochiali habitent, et communem cum Parocho mensam habeant; quum maximopere deceat, ut, qui mensae caelestis dulces simul capiunt cibos et in domo Domini cum consensu ambulant, ejusdem tecti habeant consortium et refectionis corporalis communionem. Prohibemus itaque, ne Parochi eorumque Adjutores absque praevio Episcopi consensu separata mensa utantur, monentes Parochos, ut Cooperatoribus suis de honesto victu provideant; Adjutores vero, ne sustentationem, quae beneficii vires excedit, immodesti postulent. Acerbus Episcopis esset dolor, si exorta inter illos discordia cogerentur vel propriam Parocho mensam vindicare, ne Adjutoris minus aequi murmurationibus et detrectationibus turbetur; vel Adjutori aliam assignare, ne ob tenacitatem aut incuriam Parochi animum despondeat.

CAPUT IX.

De Concursu parochiali.

Ecclesia semper sollicita fuit, ut, quibus parochiarum cura committitur, digni et idonei probentur. Concilium Tridentinum, ut providae sollicitudinis dispositionem compleret, etiam ipsum modum, quo dignitas illa et aptitudo probanda sit, accurate determinavit, et quo meliores animarum pastores eligi

et fidelibus praefici possent, parochiis liberae collationis atque jurispatronatus ecclesiastici nonnisi publice edicto concursu providendum esse sapientissime decrevit.[1] Praecipiente Concordia cunctis parochiis providebitur indicto concursu publico, et servatis Concilii Tridentini sanctionibus.[2] Cum tamen ex ejusdem Concilii norma in conferendis singulis beneficiis parochialibus instituendum sit examen tum quoad scientiam, tum quoad ceteras qualitates canonicas: Episcopi hujus provinciae pensatis peculiaribus rei obstaculis a Sancta Sede facultatem petierunt, examen candidatorum de scientia separandi ab examine de reliquis canonicis requisitis, eoque ad ipsum pro vacante parochia concursum remisso, examen de scientia alio magis opportuno tempore instituendi. Quibus precibus cum diuturna patrocinaretur in hac provincia consuetudo, qua candidati extra tempus concursus parochialis bis per annum de scientia solent examinari, et quum gravissima accederet ratio, haud alio modo impediri posse, quominus beneficia justo diutius vacarent: Sanctissimus Pater Pius PP. IX. benignissime annuere dignatus est, concessa ad decennium facultate, ut praxis introducta, instituendi scilicet bis per annum examen generale de scientia sacerdotum, qui parochorum munus obire intendunt, servetur. Permisit insuper, ut candidati in tali examine quoad doctrinam approbati, vigore hujus approbationis pro quocumque beneficio parochiali intra sex proxime sequentes annos vacaturo concurrere possint, et exeunte demum sexennio examini se denuo sistere teneantur, si beneficium parochiale obtinere velint.

Ista normae Tridentinae de examine quoad scientiam remissio ea tantum conditione facta est, ut hoc ipsum examen habeatur ab Examinatoribus synodalibus ex praecepto sacrorum Canonum constitutis, et quando hi desint, ab Examinatoribus prosynodalibus, auctoritate Apostolica ab Episcopo designatis, diligenter praeterea observatis canonicis sanctionibus ac praesertim Benedicti XIV. Literis, quae incipiunt: „Cum illud."[3] Admittendi non sunt nisi iis

---

[1]) Sess. XXIV. de Ref. cap. 18. [2]) Art. XXIV. [3]) De die 14. Decembris. 1742.

dotibus pollentes, quas sacri Canones et leges dioecesanae exigunt. Quaestiones, quibus tum voce tum scripto respondendum est, proponantur ab Examinatoribus e theologicis disciplinis, praesertim e dogmatica positiva, theologia morali et jure canonico positivo. A lege, hujusmodi examen exeunte sexennio denuo subeundi, ab Episcopo audita Examinatorum sententia dispensari poterunt, qui in praesentia inter synodales vel prosynodales Examinatores sunt assumti, aut qui propter muneris vel beneficii, quo fruuntur, dignitatem, vel propter diuturnam operam, qua Ecclesiae cum laude servierunt, scientiae testimonium abunde praestant. Permittitur praeterea, ut, cum aliqua paroecia suo fuerit orbata rectore, per commemoratos synodales aut prosynodales Examinatores habeatur de collatione beneficii concursus secundum normam Tridentinam, in quo ipsi eam adhibentes cautionem, quae in usu est, judicent, quibus competitoribus spectata eorum dignitate parochiale beneficium cönferendum sit, salvo utique semper Episcopi jure, eligendi inter sic approbatos, quem ipse digniorem in Domino censuerit.

Quum sanctiones a Patribus Tridentinis de concursu parochiali praescriptae tutissimam pastorum eligendorum regulam constituant, Antistites in hac Synodo congregati remissionis sibi concessae favore ita utendum esse decernunt, ut praestantissimae ordinationis Tridentinae utilitas atque efficacia conservetur et vigeat. Quod ut eo certius effectum sortiatur, Episcopi in Domino adunati etiam jus, ab iisdem Patribus sibi factum, providendi scilicet, si quae circa examinationis formam addenda remittendave censuerit, [4]) ita in usum deducent, ut salutaris instituti fructus augeantur.

Examen itaque quoad scientiam generale bis per annum et quidem tempore opportuno habebitur, diebus Clero dioecesano inchoante anno publicandis, atque etiam in directorio divini Officii annotandis. Ad subeundum examen illi tantum admittentur sacerdotes, quorum fides et mores integri sunt, qui-

4) Sess. XXIV. de Ref. cap. 18.

que jam per triennium curae animarum laudabilem operam dederunt, aut a quinque saltem annis approbatione et facultate pro excipiendis confessionibus gaudent. Quare qui admitti cupient, statuto tempore ab Episcopo licentiam petent, cujus est, de eorum admissione judicare. Quaestiones e disciplinis theologicis, prout supra dictum est, seligendae nonnisi circa ea versentur, quorum scientia ad munus pastorale rite exercendum requiritur; sed etiam in his eorum habeatur delectus, quorum scientia semper praesto esse debet, et quorum solutio communiter dilationem et maturiorem deliberationem non admittit. Solvendae sunt autem tum scripto, tum voce; interrogationes, quibus scripto respondendum est, omnibus eaedem eodemque tempore proponantur, solvendisque idem temporis spatium praefiniatur in conclavi, ad quod ante examinis finem nemini aditus pateat; sed neque examinandis praeter necessitatis casum egredi liceat. Ad responsa scripto expedienda nonnisi sacrae Scripturae, Concilii Tridentini, Corporis juris canonici, Instructionis pro Judiciis ecclesiasticis in causis matrimonialibus et Concordantiarum sacrorum Bibliorum usus concedatur. Collectaneorum e disciplinis in examen assumtis sive aliorum scriptorum vel librorum usum, aut adjutorum operam ipsa justitiae ratione vetari, quisque facile intelliget. Examini voce faciendo praeter praesidem saltem tres Examinatores interesse debent.[5])

Obtenta in hoc examine approbatio in sexennium valitura etiam tunc perdurare censenda est, si approbatus intermedio tempore beneficium adeptus fuerit. Qui ex aliqua materia approbari non meruerit, ex eadem tentamini ad summum intra annum repetendo se denuo sistat oportet; quod si felici successu subierit, favore sexennalis dispensationis a primo examinis peracti termino computandae non destituatur. Reprobationis nota e pluribus disciplinis obligationem examinis de integro repetendi importat.

Cum praecipue Episcopis, tamquam in specula consti-

---

[5]) Confer praef. Lit. Apost. „Cum illud."

tutis subditorum pateant excessus, jure pollet Ordinarius repudiandi competitorem, cui foeda aliqua vitii labes ac criminis macula inusta est, omnibus praeterquam Episcopo occulta, etiamsi ab Examinatoribus hujus ignaris, moribus quoque idoneus renuntiatus fuerit. [6])

CAPUT X.

De provisione Beneficiorum parochialium.

Quo certius assiduo parochorum studio populus perfectus Domino paratur, verum etiam ex illius incuria fidelium grex misere languet et tabescit: tanto providentiori cautione utendum est, ut beneficia parochialia nonnisi probatis conferantur. Circumspectionis necessitas augetur etiam eo nomine, quod beneficia parochialia ita conferuntur Clericis, ut aliter quam interveniente delicto per sententiam in forma juris latam illis privari non possint parochi rite instituti. Spectatis, quae pro rei gravitate canonicae praescribunt regulae, vel ingerunt provinciae hujus indigentiae, de provisione beneficiorum parochialium haec statuimus observanda:

Ne paroeciae quomodocumque vacantes diu destituantur rectoribus, statim ac illas vacare Officio episcopali innotuerit, per publicum edictum vacatio universo Clero dioeceseos annuntietur, simulque concursus parochialis terminus definiatur; constituto interim vicario, qui onera vacantis ecclesiae sustineat, donec ei de rectore provideatur. Tempus, quo labente nomina sua profiteri teneantur, qui sibi de beneficio provideri desiderant, spectata dioecesium amplitudine retinendum constituimus usu diuturno probatum, quod a die decretae ab Episcopo de faciendo concursu publicationis sex septimanarum spatium non excedat. Intermedio hoc tempore, qui ad beneficium promoveri cupiunt, si muneri alicui in districtu inspectioni Vicarii foranei commisso vacant, per hunc,

---

[6]) Constit. citat. „Cum illud.“

secus immediate Officio episcopali testimonia exhibeant, quae illos ad vacantem ecclesiam gubernandam idoneos ostendant. Videant ne laudi apud homines magis quam meritis apud Deum intenti honorifica testimonia conquirant. Quae illis a laicis in grati animi monumentum ultro offeruntur, non est, quod recusent; sollicite autem caveant, ne illa quomodocumque aut sub qualicumque praetextu ambiant. Fervor constans et indefessa in adimplendis officiis diligentia, intemerata morum integritas, beneficentia ceteraeque sacerdotalis status virtutes, quum celari facile nequeant, neque Episcopum latebunt. E contra testimonia studio augendorum meritorum procurata judicium de dignitate competitorum pervertere non valent.

Peracto per Examinatores synodales vel prosynodales eorum, qui descripti fuerint, legitimo examine [2]) Episcopus si ad ipsum collatio spectaverit, ex his, qui idonei renuntiati fuerint, digniorem eliget, cui beneficium conferat; si vero beneficium sit jurispatronatus ecclesiastici, aut ex fundo religionis vel studiorum derivantis, tres quos ceteris digniores judicaverit, omissis aliis etsi descriptis et approbatis, patrono proponet, ut ex his unus seligatur. [3]) Si denique beneficium jurispatronatus laicalis sit, omnes idonei renuntiati patrono significabuntur eo ordine, quo eos pensata dignitate Episcopi sententia deducendos censuerit. Quamvis jurispatronatus laicalis possessoribus ex ordinationibus juris ecclesiastici integrum sit, idoneum tantum praesentare, meminerint tamen, se mentem et intentionem Ecclesiae, quae eos jure praesentandi donavit, minime assequi, si proposita illis competitorum serie, ex eorum dignitate deducta, dignum digniori praeferant.

Quoniam Synodus vehementer desiderat, ut vacantibus

---

[2]) Conc. Trid. loc. supra citat. — confer Constitut. Pii PP. V. „In conferendis" dat. die 18. Martii 1567. et Benedicti PP. XIV. Epistol. Encycl. „Cum illud" de die 14. Decemb. 1742.

[3]) Convent. austriac. artic. XXIV et XXV. confer liter. Plenipotent. Suae C. R. Majest. de die 18. Aug. 1855. artic. 17.

beneficiis quantocius de rectoribus provideatur, decernit, ut patroni intra tempus a sacris Canonibus statutum juxta jurispatronatus indolem rectorem praesentent. Praesentationis perficiendae terminus computetur a die acceptae a patrono de propositis competitoribus notitiae; [4] praesentatio ipsa a patrono fiat in scriptis.

Praesentati, vel ad beneficia liberae collationis ab Episcopo nominati ex praecepto Synodo Pragensis et usu jugiter observato, [5] antequam instituantur, in manus ipsius Episcopi vel ejus Vicarii orthodoxae suae fidei publicam faciant professionem, et in Romanae Ecclesiae obedientia se permansuros spondeant ac jurent. [6] Insuper jurejurando se obstringant, Episcopo et successoribus ejus canonice intrantibus debitam obedientiam et reverentiam se praestituros, muneri promte vacaturos, et bona atque jura ecclesiae et beneficii fideliter tuituros nec se in acceptando beneficio quidquam commisisse, quod simoniam redoleat.

Cum Episcopo e sacrorum Canonum definitione jus competat, novas parochias invitis etiam rectoribus constituendi, beneficiati ex canonicá institutione non acquirunt jus contradicendi, ne postulante necessitate paroeciae suae territorium imminuatur et pars proventuum sui beneficii aliae assignetur parochiae, dummodo eorum congrua salva permaneat. [7] Spectatis hisce juris cautionibus literae, quas reversales dicunt, a curatis canonice instituendis postulari solitae de non contradicendo innovationi parochiae obtentae, quae fors imminere posset, tamquam superfluae et inutiles antiquantur.

Diuturna experientia docuit, beneficio haud recte consuli, quando beneficiario ob senium vel infirmitatem ad ejus curam inhabili vicarius adhibetur, qui beneficii administrationem in spiritualibus et temporalibus gerat, et fructus beneficii pa-

---

4) Cap. 3. de suppl. neglig. praelat. (I. 10.) cap. 4. de concess. praeb. (3. 8.)
5) Synod. Prag. anni 1605. de benef. collat. 6) Confer Concilii hujus Titul. I. cap. 2. 7) Conc. Trid. Sess. XXI. de Ref. cap. 4.; confer cap. 2. de reb. eccl. non alien. in Clement. (3. 4.)

rocho in curanda valetudine interdum alibi agenti exhibeat, servata sibi portione ad sustentationem assignata. Ad evitanda, quae inde enasci solent mala, quae tanto difficilius et tardius reparantur, quanto diutius parochiis beneficiarii non praesunt, qui per se ipsos illarum curam gerere et juribus beneficii invigilare possent, Episcopi Sanctam Sedem Apostolicam de adhibendo remedio communibus precibus supplices adibunt.

Beneficiati canonice intrantis institutio corporalis, quam installationem dicunt, ab Episcopi delegato secundum ritum et ordinem praescriptum nulla interposita mora fiat, die collatis cum parocho consiliis a delegato determinanda. Vicarius episcopalis beneficiario etiam peculium ecclesiasticum procurandum tradet adscitis ad actum pro beneficii conditione ecclesiae vitricis et patrono ejusve substituto. De peracta hac in beneficii curam introductione ex praescripto conficiatur instrumentum.

TITULUS VII.

DE REGULARIBUS.

CAPUT I.

De Status Regularis dignitate et augmento.

Quamvis omnes Christiani, quamdiu peregrinantur a Domino, saeculi desideria vincere et ea, quae sursum sunt, quaerere jubentur: numquam tamen electiores in Ecclesia Christi animae defuerunt, quae impedimentis vitae perfectioris fortiter abjectis et meliori electa parte Deo sese per vota religiosa consecrarunt. Semper de iis gavisa est et adhuc gaudet Ecclesia; vanitatem enim rerum terrestrium et mundi, quae praeterit, figuram considerans intime gratulatur omnibus, qui invitationem Magistri audientes a saeculo nequam se eripiunt, — atque in peculiari servitio Dei, in sancto sacrificio voluntatis, in observatione votorum et regularum pacem illam, quam mundus dare non potest, quaeque omnem sensum superat, quaerunt et inveniunt.

Idem praesens Synodus in Domino congregata profitetur, et eo magis edicendum censet, quo frequentiores nostris diebus in vitam religiosam declamationes audiuntur, et quo infensior spiritus mundi delere coetus regulares, si posset, allaborat. Vere pretiosa et potior pars dici debent gregis Christi, apostolicae vitae propago et militantis Ecclesiae gemma, quae cum sanctitudine corporis Christi tam indivulse connexa est, quam ipsa invicta in Deum charitas et poenitentiae necessarius sensus. Imo numquam plus quam impraesentiarum tum Ecclesia tum mundus indiguisse videtur vitae religiosae operibus et exemplis. Dominantem superbiam convincat illa regularis humilitas et obedientia, quae Superiorum piis jussibus pie subditur; redarguat insatiabilem voluptatum et divitiarum

sitim claustralis vitae severitas et sponte suscepta pauperies; et quibuslibet mundanis desideriis, quae militant adversus animam, occurrat illa caelestis Religiosorum virtus, quae nescit nisi Deum et salutem animarum. Neque exemplis poenitentiae tantum aut virginalis candoris indiget mundus; indiget profecto etiam oratione atque assidua intercessione apud Deum, ut propitius det internam externamque pacem; eget ipsis studiis humilibus Religiosorum, quibus serviatur veritati; indiget denique et quam maxime sacrificiis charitatis, quibus Religiosi non sua tantum, imo et semetipsos fratribus impendunt.

Dum itaque Synodus praeclaram dignitatem vitae regularis, uberrimosque fructus, qui per Ordines religiosos inde ab antiquissimo tempore in utramque rempublicam redundarunt, nec non singulorum hujus praesertim provinciae Monasteriorum insignia beneficta gratissimo mentis affectu agnoscit, dignisque laudibus celebrat: vitam religiosam, qualem Jesus Christus et Apostoli adumbrarunt, summopere commendat, et nihil exoptat magis, quam ut uberius laetiusque floreat tum in Conventibus erectis tum in erigendis; atque ne ullis obstaculis retardetur, omnia, quae praesto erunt subsidia, adhibere constituit. Praejudicatas praesertim opiniones, vulgo grassantes, ac si Monasteria nullius sint utilitatis, vel eatenus tantum commendari mereantur, in quantum externe prosunt, sacerdotes corrigere studeant, piisque illis Christifidelibus, qui ad perfectiorem istum statum vocatos se esse solide existimant, prudenti consilio succurrere ne omittant.

Dum insuper Episcopi tum antiquiores Sanctimonialium Congregationes in hac provincia florentes, tum sacratas, quae recentissimis temporibus per singulas dioeceses Deo providente accreverunt, Sororum misericordiae et scholarum pauperum familias pro merito collaudant: pie confidunt in Domino, fore ut praesertim animarum pastores omnium et singularum Congregationum Moniales avito studio, benevolentia et honore prosequantur, totisque viribus allaborent, ut ejusmodi Congregationes curae aegrotorum et puellarum institutioni insudan-

tes ad majorem Dei gloriam novis in dies per totam provinciam incrementis augeantur.

Ceterum Monasterium vel Congregatio non erigatur, neque domus ulla vel schola Congregationis instituatur absque praevia Ordinarii licentia in scriptis obtenta, quae in archivo familiae religiosae asservetur. Nullum etiam pium in communi vivendi institutum inchoare licebit absque auctoritate Episcopi et regulis ab eo approbatis vel saltem expresse admissis.

CAPUT II.

De regimine Regularium.

Quum impedimenta, quae libero regiminis exercitio Superiorum Regularium in terris Austriacis hucusque obstare potuerunt, recentissimo tempore cessaverint: Patres in hac Synodo congregati omnino desiderant et fore confidunt, ut quaecumque regularia instituta jam e sua regula Superioribus Generalibus et Provincialibus subjiciuntur aut in Congregationes sua sponte vel ex mandato Sanctae Sedis consociantur, in posterum sedula et seria cura ab ejusmodi Superioribus Ordinis et Congregationis regantur, visitentur et emendentur, sive id fiat per ipsosmet, sive per delegatos. Sed et omnes Superiores meminerint, se dum non tantum regendi, sed et judicandi suos et puniendi potestatem habent, in conscientia obligari, ut omnibus, quibus potuerint, modis regularem vitam inter suos alant, perficiant, abusus tollant, et internam pariter ac externam Ordinis et Conventus prosperitatem promoveant. Si quae Monasteria virorum regulari nexu provinciae vel congregationis careant, in iisdem visitationem regularem tamquam Apostolicae Sedis delegatus habebit Episcopus, et si non quotannis quidem, saltem tertio quolibet anno. [1])

Dum Superiores regulares omnino liberi sunt, secundum

---

[1]) Conc. Trid. Sess. XXV. de Regular. cap. 8.

statuta suorum Ordinum et Sedis Apostolicae praecepta suos candidatos ad habitum recipere probatosque ad votorum professionem admittere: observandum esse meminerint Apostolicum Mandatum die 25. Januarii 1848 emissum de testimonialibus Ordinariorum literis ante receptionem novitiorum requirendis. Quapropter Superior regularis, antequam candidatum ad habitum admittat, ab Ordinario tum originis, tum etiam loci, in quo postulans post completum decimum quintum annum aetatis ultra annum moratus fuerit, literas testimoniales expetat, in quibus, quantum ex conscientia affirmari poterit, referatur „de ejus natalibus, aetate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento irretitus, aere alieno gravatus, vel reddendae alicujus administrationis rationi obnoxius.“ [2]) Alterum quoque Decretum Apostolicum die 19. Martii 1857 editum servetur, quo novitiatu exacto, antequam solemnia vota emittantur, simplicia saltem per triennium praemitti jubentur. [3]) Sub nullo praetextu quis ab hac lege sese eximat, et Superiores, quando sacros Ordines suis conferri rogant, Ordinario simul indicabunt, a quo die et quamdiu ordinandus in votis simplicibus steterit, quia secus neque de charactere ordinandi neque de titulo ordinationis judicari potest. Ante professionem quarumlibet Monialium eo de negotio referatur ad Ordinarium, ut sive per se sive per alium voluntatem virginis explorare, ejusque sufficientem rei scientiam, plenam libertatem aliasque voti emittendi conditiones necessarias examinare possit. [4]) Ceterum de facta tum simplici tum solemni professione authentico instrumento, quod in archivo Ordinis asservetur, cum subscriptione testium ejusdem Conventus constet.

In administratione bonorum et gubernio domestico Regulares suis legibus libere utuntur; sacra tamen lege cautum est, ne bona ecclesiastica immobilia vel pretiosi valoris mobi-

---

[2]) Decr. S. Congr. sup. stat. Reg. dat. 25 Jan. 1848. [3]) Decr. S. Congr. Episc. et Reg. dat. 19 Mart. 1857. [4]) Conc. Trid. loc. supra citat. cap. 17.

lia alienari vel notabili onere gravari possint absque Sanctae Sedis beneplacito, cui secundum Concordiae actum [3] etiam civilis Gubernii consensus accedat. Quatenus Regularium Superiores hujusmodi consensum petunt, requiritur, ut istam petitionem per Episcopum ad Gubernium dirigant. Sed non minus ecclesiasticae potestatis licentia postuletur, quapropter aut Sedem Apostolicam, aut ab ipsa ad hoc delegatum pro obtinenda facultate adeant. Alienatio vero vel oneratio tantum ex evidentis necessitatis aut utilitatis causa fieri poterit. Quodsi in administratione oeconomica alicujus Conventus vel domus religiosae abusus excessusve cum scandalo fidelium committerentur, Episcopus re comperta, sedula investigatione et postulata administrationis ratione, curabit ad formam Constitutionis Clementis PP. VIII., [4] ut delictum coërceatur.

In monasteriis Monialium gubernatio personarum et administratio rerum penes Superiorissas aliasque personas regulares est juxta statuta quorumvis Ordinum. Ast omnino pro quolibet Ordine vel Conventu requiritur Superior quidam, qui Superiorissae suo consilio auxilioque adsit. Quatenus in hac provincia vix reperiuntur Monialium Conventus, qui sub obedientia Regularium ejusdem Ordinis sint, Episcopi in iisdem Superiorem, qui eorum curam gerat, constituent, ceterum eo non obstante suas ordinarias visitationes sive per se, sive per delegatos frequenter habituri. Idem fiet in domibus et familiis Congregationum, quae recentiori tempore feliciter oriuntur et augentur. Singulae suo Ordinario immediate et exclusive subditae sint, ita ut parochus qua talis nulla in eas jurisdictione gaudeat, sed Superior speciali delegatione in scriptis expressa ab Ordinario constitui debeat. Quodsi plures domus in diversis dioecesibus ab una Congregatione, cui generalis Superiorissa praeest, eriguntur: sive per Apostolicae Sedis beneplacitum (quemadmodum ex Decreto Apostolico Archiepiscopus Pragensis Superior est Sororum charitatis a s. Carolo

---

[3]) Artic. XXX. [4]) „Suscepti muneris“ de die 8. Mart. 1596.

Borromaeo) sive per consensum Ordinarii Superior unus pro tota Congregatione statuetur, ad quem locales singularum domorum Superiores, cum a respectivis Episcopis constituuntur, necessaria referre poterunt. Ceterum intacta sint Ordinariorum jura, quae eis circa hujusmodi domos religiosas competunt, prout etiam specialia privatorum in fundatione expressa. Superiores ejusmodi vero in eas res, quae ad Superiorissam pertinent, se non immisceant, cum non ad disponendum sed ad adjuvandum vocentur; administrationi sese non ingerant, nisi ex fundatione vel propter gravem causam ab Episcopo speciale mandatum habuerint. Ad expendendam majorem pecuniae summam alioquin consensus Ordinarii requiritur.

A Superiore Monialium distinctus semper sit Confessarius earumdem, qui vir prudens et maturae aetatis specialiter deputatus, summam solertiam adhibeat ad spiritualem concrediti sibi religiosi coetus profectum. Nullus presbyter, sive regularis sive saecularis, licet ad audiendas fidelium confessiones adprobatus, sine speciali facultate Ordinarii Monialium, etiam novitiarum, confessiones audire praesumat. Extraordinarius, qui singulis Conventibus ab Episcopo assignatur Confessarius, ter vel quater per annum eos accedat, cui omnes Religiosae sine exceptione se sistere debebunt, etsi eidem non confiteantur. [5]) Extraordinariis Confessariis etiam illi presbyteri accensentur, qui Episcopi auctoritate missi Monialibus spiritualia exercitia tradunt, quibus durantibus regulares feminae libere et licite iis confiteri poterunt. Si quae Monialis, maxime infirma, non ex animo levi vel indiscreto, sed ob singularem causam extra definita tempora extraordinarium Confessarium vel etiam alium petierit, Episcopus difficilem se non praebeat; providebit autem, ut pro casu urgente Superior ex facultate sibi delegata alium Confessarium adprobatum et idoneum admittere queat.

---

[5]) Conc. Trid. loc. supra citat. cap. 10. confer Bull. Benedict. PP. XIV. „Pastoralis curae“ de die 5. Aug. 1748.

CAPUT III.

De obligationibus Regularium.

„Nemo mittens manum suam ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno Dei." Itaque „si quid vovisti Deo, ne moreris reddere; — multo melius est non vovere, quam post votum promissa non reddere."[1] Severum hoc Domini effatum et Spiritus sancti praeceptum Synodus Regularibus commemorare paterno affectu non omittit, ut digne ambulent vocatione, qua vocati sunt, et ne, dum terrestribus thesauris valedixerunt, etiam amittant aeternos. Meminerint, se sub gravi teneri, ut aliquo saltem modo progrediantur in via perfectionis. Imo libentissime et omnibus viribus amplectantur praeclaram suam, quam elegerunt partem, et inextinguibili charitatis ardore, dilatato corde currant illam viam, cujus inenarrabilis dulcedo est, et quae per participationem passionum Christi ducit ad regni Ejus consortium.

Quia perfectio vitae regularis ante omnia consistit in observatione votorum, haec tum singulis Religiosis tum Superioribus cordi sint maxime. Dum castitas pulchritudinem et claritatem hujus sanctae generationis efficit, dum obedientia maximum bonum et proprie formam regularis vitae constituit, qua non tantum rebus et carni, sed „menti dominatur et animo:"[2] paupertas impedimenta potissimum et pericula removet, quibus mens a sancta vocatione ad inutilia et nociva hujus saeculi desideria detrahitur. Hinc Patres in Synodo congregati intimis visceribus rogant et hortantur Regulares, ut tam pretiosam virtutem religiosae abstinentiae, paupertatis maxime, summa dilectione foveant colantque, et praesertim, ut omnibus studiis perfectam communionem vitae, quae expertis tantae dulcedinis est et tam facile exercetur, introducant, ut dum omnia omnibus sunt communia, etiam cor unum sit omnibus et anima una.

---

[1]) Luc. 9. 62; Eccles. 5, 3—4. [2]) Cap. 1. in Extravag. Joann. XXII (14.)

Peculiaris Regularium thesaurus sit ipsa Regula, juxta cujus praeceptum et accedentes in statutis explicationes singulae Religiosorum familiae suo quaeque modo sanctos Ordinum fundatores imitentur, in quibus varia Spiritus sancti dona diversissimos et pulcherrimos charitatis fructus protulerunt. Primum pensum ab omnibus habeatur divinarum laudum religiosa persolutio, e quarum quippe dignitate et excellentia claustra prae ceteris nobilitantur, quum Moysis ad instar in monte sancto sine intermissione ad Deum vertuntur, dum in valle contra salutis hostem reliquis dimicandum est. In quantum itaque statuta singulorum Ordinum ferunt, volumus omnino, ut laudes divinae plene et digne in Monasteriis persolvantur, prout et aliae cultus divini partes sollicite agantur ad ipsorum salutem et fidelium aedificationem. In ordine divinorum officiorum prout in ceteris ministeriis poscit haec Synodus, ut Regulares cum saecularibus sacerdotibus et animarum pastoribus amico et concordi animo ea agant vel etiam in iis horis conveniant, quae fidelibus maxime prodesse, regulari vero Conventuum ordini minime obesse dignoscantur. Ceterum audiant vocem Summi Pastoris Ecclesiae, qui quum vix gubernaculum navis Domini accepisset, nihil magis animo volvit et egit, quam ut Regulares perfectissime vocationi suae satisfacerent; quos vel ideo hortatur, ut „sine intermissione precationi, rerum caelestium commentationi, doctrinae, lectioni instent, in animarum salutem ex proprii Ordinis instituto incumbant, et mortificati carne, vivificati autem spiritu, seipsos populo Dei exhibeant modestos, humiles, sobrios, benignos, patientes, justos; integritate, castitate irreprehensibiles, caritate ferventes, sapientia honorabiles, ne cuipiam sint offensioni, sed omnibus praebeant exemplum bonorum operum, ut qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de ipsis.“ 3)

Signum peculiaris vocationis externum, quo sese milites Christi ostendunt, et humanae vanitatis contemtores, est regularis

3) S. D. Pii PP. IX. Epist. Encycl. ad supremos moderat. regul. Ordin. „Ubi primum“ de die 17 Jun. 1847.

Religiosorum habitus. Eum continuo, exceptis casibus in constitutionibus cujuslibet Ordinis provisis, deferri lex canonica tam graviter jubet, ut etiam poenis gravissimis contra transgressores det locum. Episcopi in hac Synodo congregati dum illam praeceptionem solemniter iterando exprimunt, declarant, se contra non gestantes habitum tamquam extra claustra delinquentes canonice esse processuros.

Similiter omnino efficient, ut clausura tum in Monasteriis virorum tum mulierum, ubi ex regulae praescripto postulatur, stricte observetur. Non tantum loca, quae ad clausuram pertinent, ita adaptentur, ut continuo clausa sint et ingressus liber non pateat, quod intra duos menses a publicatione Concilii in omnibus Conventibus, ubi nondum locum habet, effectui detur; sed et sub nullo praetextu et sub poenis a jure statutis personae alterius sexus in clausuram admittantur. Poscit vero clausurae lex, ne etiam ejusdem sexus accessus sine sufficienti causa, et multo minus promiscue, ad claustrum et cellas Regularium permittatur, atque ne ipsi Regulares extra clausuram et monasterium absque licentia egrediantur, et multo minus extra domos suas vagantes, saecularium domos frequentent. Quibus rebus, ut sollicite invigilent, Superiores in Domino provocamus. Ut autem Monialium, quae sub lege clausurae vivunt, saluti Episcopi vigiles consulant: illius strictissimam et fidelissimam custodiam juxta praeceptum sacrosancti Concilii Tridentini procurabunt et tuebuntur. [4]

CAPUT IV.

De Regularium studiis et cura animarum.

Prout orationis fervor, ita laboris quoque patientia et assiduitas Regulares decet. Non minus ista, quam silentium vel paupertas bene ordinatum Monasterium monstrat, in quo vi-

---

[4]) Sess. XXV. de Regul. cap. 5.

delicet sanctae charitatis zelus cum sui abnegatione conjungitur. Et quum multa sit messis, operarii autem pauci, adeo ut ipse mundus fervidos labores Religiosorum exspectet, prout haec praerogativa iis inde ab omni tempore fuit, ita etiam nostris diebus ignis charitatis et zeli pro regno Dei ardere pergat et inardescat magis in familiis Deo sacratis, ut quaecumque necessitas saeculum premat, quaecumque indigentia operam fratris exoret, in claustris inveniat primos et paratissimos auxiliatores. Ne autem, quum ad omnia sese extendere vellet, insufficientior foret facultas virium, Regulares probe discernant, in qua potissimum parte secundum Ordinis sui institutum operam debeant collocare; huic vero impensissime se dedicent et tradant. Dum misericordiae et eleemosynae opus omnibus incumbit, dum specialem aegrôtorum et infantium curam peculiares sibi proponunt Congregationes: ad alios, ut plurimum, spirituale magis ministerium pertinet, agri Dominici cultura et spiritualium morborum sanatio.

Hanc potissimam partem ut bene adimpleant, studia literarum in Monasteriis vigeant oportet. Hortamur quam maxime Religiosos, ut secundum modum, quo ad instruendam juventutem, ad praedicandum verbum divinum, ad auxilia curae animarum, vel etiam ad claustralem scientiarum cultum vocantur, sedulissime eas cognitiones sibi comparent, quibus muneri suo, veritatisque profectui et augmento consulere possint. Superiores praesertim curent, ut novitii bene educentur et instituantur, ne in propria Ordinis regula et historia peregrini inveniantur, ut dein, qui Clerici sunt et ad sacerdotium adspirant, solida sufficienti, imo et ampliori theologiae scientia imbuantur, ceteris etiam non carentes praeparationibus, quae ad alia fors magistrorum officia requiruntur. In Conventibus porro collationes et exercitia de materiis theologicis vel aliis utilibus saepius habeantur, et lector s. Scripturae juxta praeceptum Concilii Tridentini numquam desideretur. [1]

---

[1]) Sess. V. de Ref. cap. 1.

Monastica studia non tantum merito aequent ceterorum labores, sed et superent. Episcopi in hunc finem examina, quae pro sacra ordinatione et approbatione ad confessiones instituuntur, sollicite habebunt. Ut Religiosi, qui fors studiorum causa ad Universitatem missi extra claustri sui septa morantur, vitae regulari intenti maneant: ex dispositione Concilii Tridentini in Conventibus habitent,[2] seu in resuscitatis fors, prout usus majorum probatus habuit, Regularium Collegiis.

Quoniam Regulares non tantum ad sacrum ministerium, Missas scilicet, praedicationes et audiendas confessiones vocantur, sed in hac provincia etiam curam animarum, maxime in parochiis incorporatis, exercent: in omnibus utique, quae ad istam curam pertinent, Episcopis subditi easdem gregem docendi et pascendi normas, quas saeculares presbyteri sequuntur, observare tenentur. Quoad regularem vitam vero suis praelatis omnino subditi sint, et ab his, prout domestici Regulares, provide regantur.

In parochiis incorporatis, quoniam nomine praelati sui curam gerunt et vicarii sunt ad nutum amovibiles, non collocentur institutione, canonica sed ad curam tantum a Superiore suo deputentur; approbationem vero, quam etiam jurisdictionem spiritualem vocant, ab Episcopo accipiant. Huic approbationi examen pro cura praemittendum est, quod ab Examinatoribus synodalibus vel prosynodalibus habebitur, nisi Episcopus ex justa ratione supersedendum et dispensandum censuerit. Quatenus vero probatio de scientia saecularium sacerdotum pro cura animarum ex indulto Sanctae Sedis in generali aliquo tentamine fit: poterunt etiam Regulares, qui ad parochias incorporatas a Superiore suo destinantur, ad generale ejusmodi examen mitti et in eo approbari.

Inter Clerum denique saecularem et regularem, quippe qui uni eidemque militiae nomen dedit, eamdemque cum eodem duce Christo Jesu causam agit, vera et dulcis regnet

---

[2]) Sess. XXV. de Regul. cap. 4.

animorum consensio, qua nihil pretiosius, Deo gratius et fidelibus utilius. Semet invicem honore et charitate praeveniant, alter alterius jura reverentes, alter alterius operam ac efficaciam adjuvantes. „Cum summopere optemus,“ ait Sanctissimus Pater et Dominus Noster Pius Papa IX., „ut omnes, qui militant in castris Domini, unanimes uno ore honorificent Deum et Patrem Domini Nostri Jesu Christi, ac perfecti in eodem sensu atque sententia solliciti sint servare unitatem Spiritus in vinculo pacis, a vobis etiam atque etiam efflagitamus, ut arctissimo concordiae et caritatis foedere, summaque animorum consensione Venerabilibus Fratribus Episcopis et saeculari Clero conjuncti nihil antiquius habeatis, quam in opus ministerii, in aedificationem corporis Christi consociatis studiis vires omnes intendere, atque aemulari semper charismata meliora.“ 3)

---

3) Epist. Encycl. supra citat.

TITULUS VIII.

DE BONIS ECCLESIASTICIS.

CAPUT I.

De Bonorum ecclesiasticorum administratione.

Ecclesia, quae caelestia hominibus munera dispensat, cum in terra militat, terrenis etiam indiget mediis. Quo certius cognoverunt fideles, omnem hujus filiae regis aeterni gloriam esse ab intus: tanto gratiori studio contenderunt, ut species et pulchritudo ejus omnibus clarius illucesceret; et quam veritate, mansuetudine et justitia regnare felices experti et admirati sunt, tanto liberalioribus donis auxerunt, ut maternae pietatis virtutem et efficaciam pro dilectionis affectu exserere, et in dies latius ac tutius propagare posset.

Bonorum temporalium proprietatem, quam Ecclesiae caelestis ejus vocatio in terris obeunda irrefragabili titulo adjudicat, aperta etiam donatorum voluntas docet, atque ecclesiasticae auctoritatis acceptatio obsignat. Horum bonorum alia, utpote ex pia donatorum mente cultui divino dicata, ad sacrarum aedium fabricam pertinent; alia ad Cleri sustentationem destinata, beneficialium nomen sortita sunt; alia vero ex speciali fundatorum dispositione Ecclesiae oblata, piarum fundationum nomine veniunt. Quorum omnium administrationem ad normam sacrorum Canonum gerendam esse demonstrat jus proprii, quod ad Ecclesiam spectat, et finis sacer, ad quem destinata sunt, cujusque assequendi jus et obligatio ad Ecclesiam pertinere dignoscitur. Quae quamvis administrationem ecclesiarum rectoribus et beneficiariis committat, Episcopis tamen jus vindicat et obligationem injungit, administrantibus invigilandi, et bonorum integritatem ac incolumitatem tuendi. Cui officio ut Antistites in Domino congregati satisfaciant, decernunt, quae sequuntur:

A). De Bonis Fabricae et Fundationum piarum Ecclesiae oblatarum.

1. Bona omnium parochialium ecclesiarum, etiamsi monasteriis domibusque religiosis sint incorporatae, item filialium atque capellarum publicarum nec non fundationum piarum, apud has ecclesias existentium, administrabit rector earumdem spiritualis adscitis in adjutorium parochianis duobus, vel si adprobata ab Episcopo necessitas exigeret, pluribus. Ordinarius etiam dijudicabit, utrum bonorum et negotiorum administrationis moles postulet, ut illi operam peculiaris ratiocinatoris adhibeant. In administrando peculio ecclesiastico rector accurate observet normas sibi praescriptas, invigiletque, ut etiam a sociis administrationis ad amussim observentur. Ad procuranda administrationis negotia frequentiores instituat congressus eorum, qui in sui adjutorium vocati sunt. Rector spiritualis ecclesiae monasterio vel religiosae domui incorporatae administrationi huic praeerit salvo utique semper jure praepositi sui ordinis.

Parochiani in administrationis socios adsciscendi, quos vitricos vocant, sint viri catholici, pietate et vitae integritate insignes, et huic officio alias idonei, et quantum fieri potest opulentiores vel saltem non egeni, nec arcto sanguinis vel affinitatis vinculo aut inter se aut rectori juncti, sed neque e servitiorum titulis huic subjecti. A rectore ecclesiae, attentis justis desideriis a parochianis sibi patefactis, proponendi ab Episcopo deputabuntur ordinarie ad triennium, quo elapso, nisi inhabiles vel indigni evaserint, iterum proponi et deputari poterunt. Ut ante elapsum triennale spatium et domicilio non mutato munere se abdicare possint, Episcopi requiritur assensus. Deputati ab Episcopo, si experientia eos monstraverit ad munus inhabiles, ejus auctoritate loco movebuntur suffectis aptioribus. Vitrici a Vicario foraneo vel alio viro ecclesiastico ab Episcopo delegato in munus introducendi jurejurando spondebunt, se rectori spirituali in administrando peculio ecclesiae secundum normam praescriptam adjutorium praestituros, et ne bona fabricae, piarum fundationum et be-

neficialia detrimentum capiant, pro virili adlaboraturos. Quemadmodum administratores jure pollent, de rebus in consessibus tractandis sententiam suam libere pandendi et postulandi, ut quae proficua monstraverint, executioni mandentur atque arceantur nociva, etiam interpellata Vicarii episcopalis vel si opus fuerit ipsius Episcopi decisione: ita etiam detrimentum, quod bona ecclesiastica eorum culpa ceperint, ipsimet resarcient.

Quum patronorum intersit, ut bona fabricae et beneficiorum conserventur, generatim pertinet ad eos, ut ecclesiarum rectores in illis administrandis consilio juvent, et si quae improbanda animadverterint, Episcopo significent. Pro hoc ipsorum jure et consideratis peculiaribus, quae obtinent, rerum adjunctis, in specie patronis liberum erit, vel ipsis vel per delegatos interesse congressibus seu actionibus de administrandis fabricae bonis et postulare, ut negotia, in quibus peculium ecclesiae administrantibus absque Superioris licentia procedere integrum est, Episcopo dijudicanda proponantur. Delegatus, qui vices gerat patroni, nonnisi vir catholicus et honestae conversationis admitti potest. Quod si dictis consessibus patronus neque ipse neque per delegatum facile possit interesse, attamen vel ipse vel ejus delegatus in dioecesi commorentur, sententiam ipsius scripto exponendam requirent administrantes, quoties agitur de bonis alienandis vel onere gravandis, de sorte legitime renuntiata vel censibus aliisque praestationibus actione judiciali vindicandis, aut de negotiis, ad quae expedienda licentia et approbatione Ordinarii indigent. Permittent praeterea Episcopi, ut postulante patrono, eoque vel ejus delegato praesente bona fabricae aut beneficii recognoscantur a viro ab Antistite designato. Insuper rationarium annuum, cui conficiendo interesse commode non potuit patronus vel per se vel per substitutum, ipsi aut delegato, dummodo in dioecesi commorentur, unàcum documentis illustrantibus communicabitur, debito tempore adjecta sua sententia remittendum; quod si protrahendo neglexerit, poterit illi ex Episcopi judi-

cio in posterum negari rationarii communicatio. Neque negabitur patrono, ut, si velit, rationarii annui exemplum suis sumtibus sibi procuret. Quando lite aliqua emergente patronus ecclesiae vel beneficii causam suo aere agere paratum se exhibuerit, consentient Episcopi; reservato tamen sibi jure, advocatum a patrono electum vel approbandi vel rejiciendi. Ut vero patronus de fabricae vel beneficii proventibus quomodocumque disponat, vel ut peculium ecclesiarum sui patronatus ceu communem substantiam consideret, vetantibus id sacris Canonibus admitti utique non potest. Si patronus probaverit, majora sibi vi fundationis in administrando peculio ecclesiastico competere jura, quam quae illi decreti hujus tenor adjudicat, eorum usus ei omnino concedetur.

2. Cum ad bona conservanda recteque administranda recensio illorum accurata requiratur: apud omnes ecclesias superius memoratas praesto sit inventarium forma hucusque praescripta confectum, in quo mutationes incremento vel decremento bonorum mobilium et immobilium enatae sedulo adnotentur, ipsumque inventarium singulis decenniis renovetur, nisi propter exiguas, quae evenerant, mutationes a renovatione dispenset Episcopus. Inventarii tria fiant exempla, quorum ab Episcopo approbatorum unum recondetur in tabulario Curiae episcopalis, alterum in arca peculii ecclesiastici, tertium tradetur Gubernio civili.

Custodia et securitas peculii ecclesiastici exposcit, ut ad asservanda inventaria, syngraphas, literas fundationum, rationaria adprobata ceteraque documenta ad ecclesiae bona et jura spectantia quaelibet ecclesia habeat arcam firmam, in loco tuto fixam, tribus diversis seris munitam, quarum claves rector atque vitrici, et quidem si plures sunt duo seniores sollicite custodient adeo, ut suam clavem nulli claves tenentium sub quocumque praetextu committant; quare arca nonnisi a cunctis hisce aperiri recludique poterit. Quodsi quis eorum legitime impeditus cum sua clavi comparere non possit ad arcam aperiendam, clavem pro hac vice committet vel vitrico

clave non proviso, vel de consensu rectoris viro spectatae probitatis. De arca peculii ecclesiae, quae est juris patronatus, una clavis patrono, si velit, aut ejus delegato committi potest, dummodo ipse vel substitutus in vicinia loci, in quo arca recondita est perpetuo commorentur; quo casu tertia clavis vitricorum seniori tradetur.

Pecuniae paratae, iis exceptis, quae ad expensas quotidianas necessariae in manibus administrantium relinquuntur, in arca nonnisi ad tempus asserventur, donec elocentur, vel pro opere jam perfecto expendantur. Quodsi rerum adjuncta suadeant, ne tempore hoc intermedio in arca custodiantur, poterunt legitimis Cassis, quas vocant parsimoniales, tradi asservandae.

In procurandis fabricae bonis ita procedent administrantes, ut bonorum substantia conservetur et tuta permaneat, proventus eorum vero ad indigentias cultus divini et reparationes fabricae minores sufficiant; sed et providebunt, ut prudenti redituum usu arceantur expensae majores, et bona augeantur. Ut in his obeundis ordo servetur, atque peculii provisores administrationis suae rationem facile reddere possint, praesto sit diarium seu rationarium accepti et expensi, in quo reditus exacti et expensae erogatae sedulo adnotentur. Reditibus exigendis communiter operam navabunt vitrici de rectoris dispositione, ipsoque invigilante; apochis exhibendis subscribet rector cum uno vitricorum.

Praedia vel fundi peculii ecclesiastici, qui plerumque locantur, servatis legitimis locandi conditionibus ab administratoribus denuo locari poterunt in triennium [1]) absque praevio Episcopi consensu, adjecta tamen in redemtionis pacto vel protocollo locati conducti expressa conditione, ecclesiae obligationem ex hoc pacto dependere ab ejusdem approbatione Episcopo reservata. Si fundus antea non fuit locatus, vel si aliquis administrantium sive patronus aut ejus delegatus de locatione iteranda dissenserint, monstrantes magis proficuum

¹) Cap. un. de reb. eccl. non alienand. in Extrav. comm. (3. 4.)

esse ecclesiae, ut alio quam locationis modo fruatur suo fundo, aut si eorum sententia stet pro mutandis conditionibus legitimis: praevie exquirendus est re accurate proposita Episcopi consensus. Aedificia ad peculium ecclesiasticum pertinentia locari non possunt neque in triennium, quin ab Ordinario praevie expetatur licentia. Si vero praestationes a conductore debitae in antecessum percipiendae statuuntur, vel locationes et conductiones ultra triennium ineundae sunt, sciant administratores observandas esse praescriptiones, quas relate ad Concordiae articulum XXX Literae Apostolicae de die 3. Aprilis 1860 [2]) et lex civilis de die 20. Junii 1860 definiunt.

Silvae, quas ecclesiae possident, accurate describantur, et vices arborum succidendarum statuantur secundum leges saltuenses, neque assignentur arbores succidendae nisi adhibito viro rei saltuariae gnaro et publice adprobato, cujus consilium quoque in silvarum cultura exquiratur. Si emergente necessitate arbores praeter legitimas vices succidendae essent, nunquam id sine expressa Ordinarii licentia fiat.

Pecuniae, si elocandae sunt, de consensu Episcopi vel publicis nominibus seu fundis, vel personis privatis locari possunt servata Constitutione Benedicti PP. XIV. „Vix pervenit.“ [3]) Sors in fundo publico locata assignetur in nomen ecclesiae; privatis non elocentur, nisi adsint cautiones, quas lex civilis in pecuniis pupillorum elocandis exposcit, et nisi constet de bene composita mutuantis re domestica, atque nonnisi sub ea conditione, sortem habendam esse renuntiatam, si foenus e syngrapha solvendum elapsis sex septimanis solutum non fuerit.

Ad impensas e bonis fabricae faciendas utendum est tantum reditibus eorum et pecuniis parcendo acquisitis. Proxime provideatur indigentiis ecclesiae annuis, et reparationibus minoribus, quae neglectae nonnisi majoribus sumtibus perfici possent. In quo ut tuto procedere possint administratores,

---

[2]) „De majori Ecclesiae utilitate.“ [3]) De die 1. Novemb. 1745.

atque ut illis proventibus fors non suffecturis, indigentiis fabricae optimo consuleretur modo, conficiant quotannis praevium conspectum annuorum reddituum et expensarum.

Peculii ecclesiastici administratoribus licitum est erogare reditus ejus in adprobatas cultus divini necessitates, statutas impensas quotannis recurrentes, vel in extraordinarias et reparationes fabricae, quarum sumtus constitutam ab Episcopo summam non superant, exquisito tamen de his patroni vel ejus delegati consilio, quin ad Episcopum recurratur; item sortem, cujus legitime renuntiatae persolutio difficultates parat, censusque annuos aliasve praestationes ecclesiae debitas implorato judicis auxilio vindicare, dummodo de jure ipso lis non agatur. Ad sortem vero renuntiandam in casu, de quo in syngrapha provisum non est, vel ut liti de juribus ecclesiae se immittant, indigent consensu Episcopi; qui etiam tunc requiritur, si patronus ejusve delegatus postulaverit, ne fiant impensae, quas sine praevia Episcopi facultate nefas est erogare administrantibus, priusquam Ordinarius causam cognoverit.

Quum Conventione inter Sanctissimum Patrem et Augustissimum Imperatorem inita cautum sit, bona ecclesiastica vendi vel notabili onere gravari non posse, nisi tum Sancta Sedes, tum Sua Majestas, aut ii, quibus hoc munus demandandum duxerint, consensum tribuerint: [3]) administratores nullo gaudent jure alienandi aut notabili onere gravandi bona ecclesiarum, nisi obtento consensu, qui ex Literis Apostolicis et decreto caesareo superius commemoratis requiritur. Quoniam vero Sanctio ista Apostolica Episcoporum juri in canone „Terrulas"[4]) expresso nil innovare vult, eorumque facultas fundos exigui valoris alienandi salva manet: noverint ecclesiarum rectores, requirendum esse Episcopi consensum, ut fundi, qui exigui valoris habentur, alienari possint, etiamsi non sit necessaria Sanctae Sedis auctoritas. Ne vero ancipites haereant, qui fundi exigui valoris habendi sint, sciant tales esse, quorum pretium

---

[3]) Artic. XXX. [4]) Can. 53. caus. XII. quaest. 2.

centum florenos monetae austriae non excedit.[5]) Hoc autem praecepto de exquirenda ab Episcopo alienandi fundos exigui valoris facultate innodantur non tantum ecclesiarum parochialium rectores, sed et ii, a quibus aliarum ecclesiarum, uti exempli gratia collegiatarum, regularium bona administrantur. Pro singulari Sanctae Sedis Apostolicae favore gaudent Episcopi facultate concedendi, ut bonis ecclesiasticis onera imponantur, quae tamen summam mille florenorum non exsuperent. Quae facultas, quum favorem juri ex canone „Terrulas" derivanti annectit: facile est intelligere, integrum esse ecclesiarum rectoribus casu hujusmodi onerationis emergente ad Episcopum recurrere. Meminerint autem quicumque peculii ecclesiastici administratores, ad obtinendam alienandi vel onerandi ejus bona facultatem demonstrari debere necessitatem, quae postulat, vel utilitatem, quae suadet, ut canonicarum sanctionum de rebus ecclesiae non alienandis fiat relaxatio; exquirendamque esse pro rerum adjunctis etiam patroni sententiam.

Causam ecclesiae liti implicatae aget vel patronus suo aere, salvo episcopi jure advocatum ab ipso assumtum adprobandi; vel administratores peculii intra limites facultatis ab Episcopo definitos; vel si ecclesia sit jurispatronatus caesarei, sive ad fundum religionis aut studiorum spectantis, Syndicus publicus, quo casu emergente Ordinarius cum Gubernio civili de causa agenda conferet.

3. Piae fundationes Ecclesiae oblatae e sua natura, et secundum apertas ecclesiasticas sanctiones ad forum Ecclesiae spectare dignoscuntur. Quare unice ad ecclesiasticam auctoritatem pertinet definire, quae fundationes, et quibus conditionibus acceptari possint, et quomodo sit satisfaciendum dispositioni fundatorum nec satis clarae, nec alio modo interpretandae.

Ut dos erigendis fundationibus piis assignanda mutatis

---

[5]) Confer Decretum S. C. Congr. in Forosempron. 21. Julii 1827 num. 3. ad cap. 11. de Ref. sess. XXV.

temporum adjunctis sufficiat, et occurratur difficultatibus, in quas fundationum persolutio dote plus justo imminuta solet impingere: Ordinarii praescribent regulam de dotis quantitate ad erigendas fundationes pias necessaria, et de fructibus ejus distribuendis inter eos, qui ad persolvendam fundationem communi opera concurrunt; qua norma piam fidelium liberalitatem coarctare utique non intendunt.

Fundationes, quae secundum praecepta liturgiae sacrae et regulam de stipendio sancitam acceptari possunt, redigantur in literas fundationum, adprobato prius instrumenti tenore ab Episcopo. Peculii ecclesiastici administratores curabunt, ut tria exempla literarum fundationis exarentur, et Episcopo confirmanda proponantur, quorum unum in tabulario Curiae episcopalis, alterum in arca ecclesiae, ad quam spectat, asservabitur, tertium notitiae causa Gubernio civili exhibebitur.

Quoniam literae fundationum tunc potissimum necessariae intelliguntur, quando fundatio titulo oneroso erigitur, et dotis fixae fructus dividendi sunt inter plures, ad quos obligationi fundationis satisfacere pertinet: facile patet, supersederi posse exarandis fundationum literis, si titulo gratuito bona ecclesiis offeruntur, quorum fructus ad conservanda altaria, supellectilem sacram aliave similia destinantur. Ut in hujuscemodi casibus et dos conservetur atque fundationi piae satisfiat, sufficit, ut instrumentum donationis in tabulario episcopali et arca ecclesiae, ad quam spectat, recondatur, et fundationis imputatio in rationibus peculii ecclesiastici distincta exhibeatur.

Ut illi, quorum interest, sciant, quando cultus divini ministeria fundata persolvantur, utque fideles ad ea celebranda frequentiores confluant: fundationes imminente hebdomade persolvendae diebus dominicis annuntiabuntur, promulgando fundatorum intentionem, diem et horam, quibus celebranda sint.

Dotes fundationum piarum administrabuntur secundum easdem normas, quae procurando peculio fabricae praescriptae

sunt, habita utique semper ratione ad peculiarem earum destinationem. Patronorum in acceptandis fundationibus piis ad ecclesias erigendis, in literis fundationum exarandis et dotibus earum administrandis nullae sunt partes, quia bona talium fundationum distinctum a peculio fabricae habent finem.

4. Rector spiritualis singulis annis rationes reddet de bonis fabricae et fundationum administratis. Rationes in conventu vitricorum et patroni vel ejus delegati examinatas, adjectis, si ipsis necessariae videantur, animadversionibus, revidebit Vicarius foraneus vel alius ab Episcopo ad hoc deputatus. Rationes ab ipso revisae exhibebuntur Antistiti recensendae, appositis documentis ad eas pertinentibus et accluso rationario elapsi anni approbato, adjecta simul sententia de peculio ecclesiae, fundationum et beneficii vel tutius conservando vel melius procurando. In remuneratione pro confectis et revisis rationibus tribui solita nil immutetur. Recensio rationum, quam Episcopus per suos censores procurabit, fiet sumtibus peculii ecclesiarum totius dioecesis. Unacum rationario annuo exhibebitur a rectore spirituali conspectus incrementi vel decrementi, quod in peculio ecclesiae evenerit, ab iisdem recensendus, qui facta ab Episcopo approbatione cum rationum summario Gubernio civili communicabitur. Res inventario ecclesiae insertae, si ob decrementum, quod acciderat, ex ejus tabulis expungendae sint, non poterunt expungi, nisi licentia quae requiritur obtenta, et notato in inventario permissionis decreto.

B) De administrandis Bonis Beneficiorum.

1. Bona tum immobilia tum mobilia juraque temporalia beneficio ecclesiastico propria, vel in casu incorporationis ad sustentationem vicarii spiritualis assignata accurate conscribentur in inventario beneficii ad formam statutam exarando. In his praecipuam attentionem sibi vindicant sortes, quae successerunt in locum redemtarum decimarum aliarumque praestationum beneficiariis debitarum, quum ad dotem beneficiorum pertineant. Inventarii hujus totidem conficiantur exempla, quot

paranda sunt inventarii bonorum fabricae, eodemque modo ut haec asserventur. In his accurate adnotentur mutationes augmento vel imminutione bonorum emergentes. Quae decreverant, non expungantur ex inventario nisi obtenta et ibidem notata Episcopi, et pro rerum adjunctis competentis auctoritatis licentia. Ut hae mutationes ad scientiam Episcopi rite perveniant, proponatur una cum conspectu incrementi vel imminutionis bonorum fabricae, rationario annuo adjungendo, eorum quoque recensio bonorum, quibus beneficium vel auctum vel imminutum sit. Etiam haec recensio communicabitur Gubernio Imperiali.

Bonorum beneficialium administratio pertinet ad beneficiarium, cui dum sacrorum Canonum praescriptiones usum fructuum concedunt, districte etiam praecipiunt, ut beneficii substantiam incolumem conservet. Quapropter bonis et juribus tuendis solertem curam impendet; secus damnum, quod ejus culpa vel incuria beneficio illatum fuerit, compensaturus; minoribus reparationibus, ad quas procurandas usufructuarii tenentur, perficiendis mature providebit; in silvarum, quas beneficium possidet, usu faciendo easdem sequetur regulas, quae supra de silvis peculii ecclesiastici statutae sunt.

Ad sortes beneficio proprias elocandas, elocatas renuntiandas, ad litem de beneficii juribus ineundam requiritur Episcopi licentia, quae, si haec negotia respiciunt beneficium jurispatronatus, nonnisi exquisita patroni de iis sententia expeti potest. Sortem vero legitime renuntiatam, vel census annuos aliasve praestationes beneficio debitas, modo jus ipsum in litem non fuerit vocatum, actione judiciali vindicare licet beneficio, quin ad Episcopum recurratur.

Praedia vel fundos beneficiales elocare licitum est beneficiario absque praevio Antistitis consensu in triennium, dummodo praescriptae observentur conditiones et approbatio instrumenti de locatione conductione conficiendi Antistiti ita reservetur, ut ejus valor ab hac approbatione dependeat. Spectatis in hac provincia rerum adjunctis inter

conditiones et illa acceptari debet, conducti mercedem pro trimestri modo anticipato solvendam esse, ita tamen, ut praestatio prima et altera vice pro semestri soluta asservetur in aerario peculii ecclesiastici; exacto demum locati conducti spatio locatori exhibenda, ne praejudicium fieret successori, vel fundo religionis, si forte huic tradendi essent fructus intercalares. Quodsi in longius tempus locare intendat, aut conductorem obligare velit, ut praestationem laudata majorem in antecessum solvat, expetenda erit facultas ab iis, qui eam impertiendi potestate gaudent ex Literis Apostolicis supra memoratis, vel pro re nata etiam a Gubernio civili.

Quum de alienandis vel notabili onere gravandis beneficiorum bonis eadem norma ex Concordia inter Sanctam Sedem et Augustissimum Imperatorem repetita valeat, quae supra de peculio ecclesiarum adducta est, sciant beneficiarii tali casu emergente observandas esse regulas ibidem praescriptas.

Valde optandum est, ut sortes ex decimis et aliis redemtis praestationibus enatae ad acquirendos fundos vel alia bona immobilia impendantur; quare beneficiarii non praetermittent uti faustis occasionibus, ut ex mente Concordiae sortes ad comparanda bona immobilia impendi possint. [6]) Item providebunt, ut disjectos beneficii fundos per communicationem viciniorum coadunent.

Ne beneficiarius aedificiorum reparationes, ad quas obligatur, negligat, vel beneficii substantiae pro officii penso conservandae et procurandae desit, invigilabit Vicarius foraneus vel alius ab Episcopo ad id deputatus. Qui si negligentem frustra monuerit, ad Episcopum referat. Sed et vitrici et patroni obligantur defectus animadversos, in quibus tollendis desidem se exhibuerit beneficiarius, indicare episcopali Vicario; patrono insuper liberum est, petere ab Antistite, ut ipso vel ejus delegato praesente mandet de aedificiis aut fundis inspiciendis vel rebus beneficii inventario illatis revidendis.

Fundationes in commodum beneficiorum oblatae accep-

---

[6]) Artic. XXXIII.

tari nequeunt sine consensu Episcopi. Literas fundationis, si conficiendarum necessitas adsit, exarabit beneficiarius ab Ordinario approbandas et confirmandas, quo casu exemplar confirmatarum Gubernio civili communicabitur.

2. Vacante Ecclesia metropolitana vel cathedrali administratio bonorum secundum Concilii Tridentini dispositionem [7]) procurabitur ab oeconomis a Capitulo constitutis, qui, cum fructus intercalares fundo religionis inferendi sint, hujus nomine a Gubernio Imperiali vel approbari vel adscito alio augeri poterunt. Ab his accurata fiat recensio bonorum mobilium et immobilium ad mensam episcopalem pertinentium; si quae desiderentur, absque tergiversatione vindicentur. Oeconomi tenentur administrationi secundum canonicas sanctiones fideliter vacare, illiusque rationem non tantum fundo religionis, sed etiam successori canonice intranti reddere.

Administrationem temporalium vacantis parochiae aut alius beneficii saecularis, quod non pertinet ad collegium beneficiatorum, communem bonorum administrationem habentium, geret administrator officii vel alius oeconomus ab Episcopo designatus, qui nomine fundi religionis a Gubernio approbari, cuique alius adjungi poterit. Cui officio ut rite satisfacere possit temporalium administrator, tradenda sunt ei bona procuranda a Vicario Episcopi juxta inventarium accurate lustratum, et describatur aedificiorum ecclesiae et beneficii conditio, adscitis ad hunc actum patrono vel ejus delegato, atque vitricis ecclesiae nec non officii administratore, si non agat simul partes oeconomi. Si de rebus inventario illatis quidquam deficere deprehendatur, de resarciendo defectu necessaria disponet episcopalis Vicarius, quin litem de beneficii vel ecclesiae juribus absque facultate ab Antistite obtenta ineat. Officii administrator, si non oeconomi simul munere fungitur, in procurando ecclesiae peculio parochi locum tenebit. Sustentationem temporum indigentiis et beneficii reditibus attemperatam integram percipiet officii administrator, qui simul tem-

---

7) Sess. XXIV. de Ref. cap. 16.

poralia beneficii procurat; dispertito inter plures utroque penso de remuneranda eorum opera providebit Episcopus.

Quum fructus beneficiorum vacantium, in quantum hucusque consuetum est, disponente Concordia[8] inferendi sint fundo religionis, reditus intercalaris anni dividentur ad normam, quae hucusque in usu est. Rationes reddantur iis, quibus fundi religionis administratio demandata est.

Quia jus percipiendorum beneficii fructuum ex canonica institutione derivat, dies, quo ad beneficium promotus institutionem canonicam adeptus est, ab Episcopo significabitur regimini fundum religionis administranti tamquam terminus, ad quem vacatio beneficii pertingit. Vicarius foraneus vel alius ab Antistite deputatus peculium ecclesiasticum beneficiario procurandum tradet, eumque in beneficii possessionem introducet adscitis pro beneficii conditione ecclesiae vitricis et patrono ejusve delegato. Quodsi quis eorum, quorum interest, pro circumstantiarum indole poscat, ut conditio immobilium et mobilium ad ecclesiam et beneficium spectantium revisa describatur, eorum votis annuet Vicarius Episcopi.

De peracta beneficiati in bonorum administrationem introductione conficiatur instrumentum exemplo duplici exarandum, omniumque, qui vocati intererant, subscriptione munitum, cui beneficiarius sponsionem adjiciat, se traditum sibi ecclesiae, piarum fundationum et beneficii peculium secundum canonica praecepta conservaturum et administraturum. Instrumenti exemplum alterum in tabulario Curiae episcopalis, alterum in cista peculii ecclesiae recondatur.

Quae in hoc Capite de bonorum ecclesiasticorum administratione quoad patronos traduntur: prudenti Reverendissimi Metropolitae consilio remittuntur, ut quo magis fieri poterit, decretis Concilii Tridentini,[9] nec non praescriptionibus Concordati accommodentur et respondeant.

---

[8]) Artic. XXXII. [9]) Sess. XXIV. cap. 3. in fin. et Sess. XXV. cap. 9. circa medium §. „Patronos autem."

CAPUT II.

De fundo Religionis et Studiorum.

Temporum invidia, quae saeculo elapso multa monasteria suppressit, et beneficia, quae genius aevi superflua habebat, sustulit, in regionibus ditionis Austriacae eorum saltem bonis ita pepercit, ut ecclesiasticis usibus dicata manerent. Ex possessionibus complurium monasteriorum, et pretio bonorum divenditorum, nec non beneficiorum simplicium dote conflatus est bonorum complexus, qui fundi religionis nomine venit; quorumdam religiosorum institutorum temporalia, educationi et instructioni juventutis catholicae destinata fundum, quem studiorum vocant, constituunt. Quum bona, e quibus dicti fundi coaluerunt, ex origine sua et primitiva donatorum voluntate ad Ecclesiae proprietatem pertineant: pronum est intelligere, etiam Concordia inter Sanctam Sedem et Augustissimum Imperatorem inita hanc Ecclesiae proprietatem agnosci. [1]) Quoniam horum fundorum administratio Ecclesiae nomine ita gerenda statuitur, ut ad Episcopos pertineat, debitam inspectionem exercere juxta formam, de qua Sancta Sedes cum Majestate Sua Caesarea convenient: ideo Patres in Synodo congregati arbitrantur, non fore abs re, si quae spectatis rerum adjunctis desideranda videatur, candide exposuerint.

Subministretur Episcopis accurata recensio bonorum tam immobilium quam mobilium, quae fundos religionis et studiorum constituunt, adjectis omnibus, quibus gravantur oneribus, usque ad originem suam deducendis, atque enumerentur exacte bona dicata fundationibus Missarum vel aliorum pietatis exercitiorum, atque horum obligationibus. Certiores quoque reddantur de ratione, juxta quam hi fundi ad hoc usque tempus administrati sunt, ut de proventibus augendis et de proficua administratione sententiam suam dicere queant. Ab

---

[1]) Articul. XXXI.

illa administrandi ratione, quae collatis cum Coëpiscopis per Metropolitanum consiliis adoptata fuerit, ne recedatur inconsultis et non consentientibus Episcopis.

Impensae, quibus e fundo religionis Ecclesiae indigentiis satisfaciendum est, ita statuantur, ut ad sumtuum, qui requiruntur, descriptionem quotannis conficiendam delegati Episcoporum provinciae advocentur. Communibus consiliis parata descriptio opportuno tempore proponatur Episcopis, expositis simul casibus, in quibus eorum delegati a propositionibus administrationi fundi religionis praefectorum dissentiendum censuerint. Episcopi rebus mature perpensis mentem suam aperient eo quidem effectu, ut sumtus, in quos consenserint, reapse expendantur; impensae, de quibus hoc modo praevie conventum haud fuerit, ne fiant, exceptis iis, quas improvisa aliqua necessitas postulaverit, quaeque Episcopis, quorum interest, non negentur. Ad has referendae sunt pensiones, quas Episcopi requirendas ducunt pro ecclesiasticis viris, qui vel ad obeunda munera inhabiles facti sunt, vel alias muneri obessent, si diutius in officiis detinerentur.

Ne expensae in aedificia ecclesiastica vel supellectilem sacram erogandae augeantur, eligatur ad haec negotia expedienda simplicior methodus, ne tractatu justo diutius durante defectus fiant graviores; neque opus effectui dandum ea conditione committatur, ut quis spondeat, de approbatis sumptibus plus quam alii se remissurum; quo fieri solet, ut quod remiserat, viliori materia et opere perfunctorio resarcire nitatur.

Rationarium fundi studiorum quotannis exhibeatur Episcopis, ut reditus ex eo perceptos et instituta catholica, in quorum usus conversi sunt, resciant, suamque de eo sententiam ferant.

CAPUT III.

De congrua Cleri sustentatione.

Christus Dominus, qui praeconibus Regni sui mandavit, ut missa de vitae necessariis sollicitudine illi tantum fundan-

do et dilatando insudarent, vicariam de eorum victu curam suscipiens, caelestis pacis praeconio salvandis justitiae regulam praescripsit dicens: „Dignus est operarius mercede sua.“ [1]) Quanta alacritate et quam fervido studio illi, quorum corda tetegit Deus, bona temporalia ministraverint, ut qui eis spiritualia seminarunt, eorum carnalia meterent, [2]) facunda est sacrae Scripturae vox, luculentissima sunt fastorum Ecclesiae testimonia.

Ne divini ministerii perennitas labili hominum aestimationi committeretur: provida fidelium gratitudo stabilem pastoribus dotem assignavit, legesque ecclesiasticae sanxerunt, ne stationes officiorum absque competenti dotatione erigerentur. Quanto numero quantaque liberalitate fidelium pietas in hac provincia cum magno utriusque reipublicae profectu ecclesias et beneficia fundaverit, diserto ore Libri Erectionum loquuntur.

Verumtamen funesta, quae illam a pluribus saeculis afflixerant, fata iterato impetu avitae pietatis monumenta diripuerunt, quorum rudera, ecclesiasticae et civilis potestatis indefessa cura restaurata, si cum pristini aevi gloria conferas, parcas tantum et paupertinas reliquias invenies. Sed nec illis deploranda temporum iniquitas pepercit; dumque inducta caritate annonae sustentationem vitae aggravat: praestationes naturales ecclesiis et beneficiis debitas in volubile pecuniae pretium convertit, atque decimas maxima parte consumsit. Quam misera eorum praesertim sit sors, qui in vinea Domini laborantes pondus diei et aestus portant, cum in ore omnium versetur, non est quod dolentes commemoremus.

Antistites hujus provinciae pro pastoralis muneris officio jam ante initam inter Sanctissimum Patrem et Augustissimum Austriae Imperatorem Concordiam sustentationi Cleri pro temporum indigentiis augendae continuam curam impendisse, nisi alia prostarent documenta, eorum, quos Capellanos locales vocant, aucta dotatio loquitur. In praedicta Conventione autem statuitur, ut parochiis, quae congruam pro tem-

[1]) Luc. 10. 7. [2]) I. Cor. 9. 11.

porum et locorum ratione sufficientem non habent, dos, quam primum fieri potest, augeatur.[3] Ne vero remedium, cujus accelerandi necessitas in propatulo est, ingravescens temporum malitia retardet, praesens Synodus in Domino congregata haec statuit et ordinat:

A beneficiorum Patronis adjutorii exordium exspectamus, quibus in praeficiendis ministris ecclesiasticis tam insignis praerogativa concessa est. Eorum auxilium vel ideo quoque securi praestolamur, quoniam ex praeterita omnium rerum perturbatione, quae jurium nec possessioni nec titulis perpercit, jus tamen patronatus intactum perseverat, et Conventione inter Sanctam Sedem et Augustissimum Imperatorem inita stabilitum est. Quum eos non lateat, jus praesentandi ea lege concessum esse ab Ecclesia, ut assignata muneri sacro dos sarta tectaque permaneat, et ejus detrimenta ab illo avertantur, qui honorifico Patroni nomine omnibus praefertur: sane intelligent, aequum et dignum esse, ut defectum, quem temporum iniquitas cum suo commodo doti intulit, alia ratione compensent. Minora profecto ab eorum aequitate exspectare non possumus, quam ut beneficiatis praestationes naturales soluto, quod beneficiariis ex earum redemptione obtingit pretio, denuo praebeant. His ab aequitatis lege derivatis praejudicium utique inferre nolumus legibus illis, quae ad justitiae tramitem juxta Conventionem statuentur, si Patroni obligationibus eis a lege ecclesiastica impositis haud plene satisfecerint, et praesertim, quando parocho dos ex fundo religionis constituta fuerit. Dum tristis illa decimarum et aliarum praestationum redemtio animos nostros subit, non possumus reticere, quanto solatio nos in illa peculii ecclesiastici afflictione generosa illorum Patronorum erexerit pietas, qui spreta ancipitis lucri spe divino ministerio et pauperum allevamento sacrata attenuare veriti sunt. Meritis laudibus istorum memoriam recolentes, cunctaque fausta et salutaria eis apprecantes, intimis votis juges addimus preces et oblationes, ut ipse Dominus pro sua benignitate illis retribuat. Probata

[3]) Artic. XXVI.

illorum religio et fides, quam pie a majoribus institutis intemeratam servaverunt, certae nobis est spei pignus, fore ut quos parcendo adjuverunt, etiam pro viribus augendo consolentur.

Parochianos impense monemus et per salutem animarum suarum obtestamur, ut pastoribus non tantum ea, quae illis de jure et officio debent, laeti et celeres praestent, et quae ad victum honeste sufficiant non rogati subministrent, sed et beneficii dotem augere studeant, ut qui dicente s. Paulo pervigilant quasi rationem pro animabus eorum reddituri, cum gaudio hoc faciant et non gementes. [4]) Meminerint, justa quibus confidunt vota, ut pastores aeternae eorum saluti procurandae toti vivant, alterno justitiae praecepto, dignum esse operarium mercede sua, sustentari, quod ipsius religionis suffragium confirmat et sanctificat. Meminerint, decimarum et praestationum naturalium redemtiones, quae multorum beneficiorum substantiam extenuarunt, in eorum mutatas commodum, aequitatis non sustulisse sed innovasse legem, ut pastorum officia, quae eadem manserunt, imo in dies augentur, condigna etiam compensatio prosequatur. Meminerint pietatem sacratae majorum suorum munificentiae debitam non ferre, ut beneficia ceu dona Deo dicata Dei ministros egestati exponant; ceu pretia pro redemtione peccatorum oblata offerentes famelicos relinquant; ceu peculium pauperum nec dispensatoribus nec sublevandis sufficiant. Quapropter satagant praesertim ii, quos largiori substantia Deus auxit, ut tenui beneficiorum doti de benedictionibus succurrant; subveniant pastoribus maxime ii, quibus Dominus negatis haeredibus divitias concessit; consulant omnes egeno Clero eodem insigni studio, quod cum multo profectu augendis ludimagistrorum dotibus impenderunt; memores, hoc laudabile studium, ut fini recte prospiciat, illo esse consummandam, quo paedagogi filiorum et patres in Christo juventur.

Ut in procurando hoc dotis augmento justitiae ratio vigeat, praeter jam recensitos ad contribuendum vocandi sunt

---

[4]) Hebr. 13, 17.

etiam alii, quibus leges et consuetudo ex pristinis rerum adjunctis repetitae hucusque pepercerunt, scilicet fodinarum, fabricarum et aliorum hujus generis possessores, qui multorum operariorum undique confluentium frequentia parochianorum numerum passim ita auxerunt et augent, ut eorum indigentiis spiritualibus neque aedium sacrarum et scholarum ambitus, neque pastorum vires sufficiant. Quemadmodum nefas esset, illorum salutem aeternam negligere: ita justum est, ut ii, quorum commodo inserviunt, externa media subministrent, quae ad gerendam animarum curam requiruntur.

Quum Concordia statuat, ut parochiis de dote temporum et locorum indigentiis attemperata, quam primum fieri poterit, provideatur: praecipit Synodus, ut Episcopi singularum parochiarum dotes sollicite examinent, et quas spectatis rerum adjunctis insufficientes repererint, absque dilatione augere nitantur. Quapropter deputati ad hoc negotium expediendum sedulo exquisitis parandi augmenti fontibus, et auditis quorum interest, sententiis et consiliis, ad Episcopum omnia accurate referent, ut ipse sua auctoritate medelam afferre possit. Confidit Synodus fore, ut Gubernium civile, quando cum eo consilia conferenda erunt,[5] prompta et efficaci opera causam tantopere gravem promoveat, et ad finem exoptatum perducere adlaboret, ut piis Augustissimi Imperatoris votis satisfiat, et praesidio, quo Ecclesia juvatur, etiam civilis societatis fundamenta stabiliantur.

In definienda portione sustentationis temporum et locorum adjunctis congrua mittendam esse regulam a saeculo fere usitatam, nemo est, qui non intelligat. His etenim spectatis tam exigua deprehenditur, ut quod Concilii Tridentini sanctio[6] a promovendis ad sacros Ordines arcere voluit, de beneficiatis jure timendum sit. Etiam a discrimine faciendo inter parochias antiquae et recentioris fundationis, quod in dimetienda congrua hucusque servari dolemus, recedendum esse, mutatae ex integro temporum et imputationis rationes affatim docent.

[5]) Conv. Austr. Art. IV. c. [6]) Sess. XXI. cap. 2. de Ref.

Episcopi maximam curam adhibebunt, ut servatis quae de non imputandis e jure stolae et piarum fundationum proventibus in usum deducta sunt, et detractis oneribus a beneficiato singulis annis ferendis, quae pridem defalcari solita sunt, congrua Parochorum portio canonica saltem ad sexcentos florenos monetae austriacae, Adjutorum vero, quos Capellanos seu Cooperatores vocant, ad trecentos florenos monetae austriacae assurgat, habita utique ratione locorum, quae portionem etiam majorem exposcit.

Justitiae ratio, quae sufficientem operariis in vinea Domini mercedem constitui praecipit, pari titulo exigit, ut illis de congruo victu provideatur, quorum vires diuturna servitia attriverunt, vel quos operosus vocationis labor, aut adversa sors ad opus Domini operandum praemature inhabiles reddidit. Episcopi summo studio curabunt, ut quibus sustentandis beneficii fructus facta de officio curando dispositione non suppetunt, stipendia constituantur exantlatis laboribus et meritis digna atque debilitati provectae aetatis sufficientia; providebunt etiam, ne sacerdotes deficientes, beneficia nondum consecutos, quos funesta jam fortuna affligit, nova inopiae afflictio urgeat. Quoniam vero iis, qui communem vitam degunt, minoribus expensis de vitae necessariis et opportuna, qua indigent, curatione melius provideri potest, quam qui solitariam agunt: Antistites junctis conatibus adlaborabunt, ut una saltem domus emeritorum in hac provincia quantocius resuscitetur, ad illud quoque intendentes, ut saltem pars Cleri deficientis praeter sustentationis commoda, curae etiam spiritualibus indigentiis attemperatae solatium acquirat.

Ne autem dum de augenda Cleri curati dote tractatur, non paucos populi pastores inopia circumveniat, Episcopi finito hoc Concilio mox manum admovebunt sorti seu fundo alicui per singulas dioeceses parando, qui urgentibus istius Cleri indigentiis aliquam saltem opem ferat, et praesertim adversis fortunae casibus afflictos consoletur. Officio pastoralis sollicitudinis deesse arbitraremur, si primas commiserationis

et alleviationis partes non deferremus iis, qui in pascendo grege adjutores nostri pondus diei portant et aestus. Quoniam vero in his rerum adjunctis vires nostrae utut promtae non sufficiunt, eorum etiam de Clero misericordiae communionem cum fiducia imploramus et securi exspectamus, quibus laetior experimenti sors obtigit; beatius enim est magis, dare quam accipere.[7)]

CAPUT IV.

De Testamentis Clericorum.

In testamento condendo justitiae et charitatis ratio semper et ab omnibus habenda, eo religiosius spectanda est a Clericis, quo magis hi, qui in domo Dei versantur, affectu etiam terrenis renuntiarunt caeleste lucrum exquirentes. Fideles sint usque ad mortem Ei, qui potens est servare depositum nostrum in diem tremendi judicii.

Ex antiquissima hujus provinciae consuetudine et secundum novissimam Conventionem,[1)] Clerici saeculares omnes, etiamsi beneficia ecclesiastica cujusvis generis obtineant, liberam quidem habent de his, quae mortis tempore relicturi sunt, disponendi facultatem. Quum autem libertas haec restricta sit conditione adjecta, ut dispositio fiat secundum sacros Canones, videant Clerici, ut in hoc gravi negotio menti Ecclesiae et obligationi suae satisfaciant.

Mens autem Ecclesiae semper fuit, cuncta quae fidelium pietas Deo dedicavit, vel ministerii sacri necessitatibus honeste sublevandis ordinavit, eo insigniri charactere, ut in alium nisi sacrum et pium usum illa convertere nefas sit. Sacri Canones claris et gravibus verbis obligationem inculcant beneficiariis, ut fructus beneficii vel pensionis, in beneficii locum suffectae, etiamsi a Gubernio civili solvatur, a sustentatione decenti superfluos ad causas pias elargiantur. Quare Concilium Tridentinum quibuscumque beneficia obtinentibus etiam

---

7) Act. 20. 35. — 1) Artic. XXI.

interdicit, ne ex reditibus Ecclesiae consanguineos familiaresve suos ditare studeant, quod ne fieret, jam Apostolorum Canones prohibuisse compertum est. 2) Ne igitur beneficia sint in ruinam et laqueum, sed potius proficiant ad salutem, meminerint beneficiati, ut non solum dum vivunt huic obligationi cum pietate satisfaciant, sed etiam nullo modo negligant bona ecclesiae debita a reliquo peculio provide separare, et in ultimae voluntatis declaratione pro Ecclesiae Dei utilitate in pios usus convertere.

A causa pia autem nequaquam alienum est, ut beneficiarius consanguineos pauperes praeferat aliis pauperibus; sed reprobanda et detestanda est illa liberalitas, quae carni et sanguini adeo servit, ut etiam imminente Dei judicio peculium Christi et patrimonium pauperum ditandis consanguineis impendere non vereatur. Licitum est etiam beneficiato de reditibus ecclesiasticis remunerari servitia accepta ultra debitam mercedem, ne qui diuturnum fidelemque famulatum illi praestiterint, post ejus obitum egestatem patiantur. Hujusmodi famulatus remunerandi ratio ea commendari meretur, quae e sorte, piae causae destinata, famulis pensionem ad dies vitae assignat.

A libera dispositione eximuntur Antistitum dioecesanorum ornamenta, utensilia sacra, vestes et libri pontificales, quae omnia velut mensae episcopali propria habenda, ad successores Antistitis transeant, prout Sanctissimus Pater Pius IX. expresse mandavit. 3) Pari modo in memoriam revocamus Constitutionem s. Pii P. V., 4) quae praecipit, ut singula ornamenta, paramenta ac vasa, nec non missalia aliaque cultui divino dicata, ex fructibus ecclesiasticis a beneficiatis acquisita ad singulas ecclesias et beneficia, in quibus resederunt, aut quibus praefuerunt, omnino relinquantur. Haec itaque nomine Ecclesiae vindicanda sunt, cui rei Vicariorum foraneorum vigilantia providebit.

De reliquis autem bonis, quae patrimonialium, industrialium et parsimonialium nomine veniunt, beneficialibus solum

---

2) Sess. XXV. de Ref. cap. 1. 3) Lit. Apost. „Quum illud" dat. 1 Jun. 1847.
4) „Romani pontificis" de die 30. Aug. 1567.

exceptis, beneficiati prout ceteri Clerici saeculares, plenam habent facultatem, libere ac pro arbitrio disponendi. Vocationi tamen illorum attendentes, quae in Clerum receptis Dominum partem haereditatis et calicis constituit, impense eis in Christo commendamus, ut etiam hanc substantiam in aedificationem corporis Christi convertere satagant. Maxime autem caveant, ne aliquid disponant, quod bonae Clericorum famae adversum, offensioni aut scandalo ansam praebere possit.

CAPUT V.

De haereditate Clericorum ab intestato defunctorum.

Quae Clerici testandi jure pollentes relinquunt, quando ab intestato decedunt: invidiae et litibus fomitem facile subministrarent, si quolibet emergente casu separari vellent bona ecclesiastici juris ab iis, quae permittente etiam sacrorum Canonum ordinatione defunctorum consanguinei adfectarent. Quibus ut occurratur, Patres in Concilio congregati statuunt, ut conservetur vigens in provincia vetustissima consuetudo, dividendi hujusmodi haereditates in tres partes aequales.[1] Quarum una competat ecclesiae, cui defunctus beneficii nomine inservivit, licet usque ad vitae finem ministerium non protraxerit. Si quis plurium simul beneficiorum usum obtinuit, ea pars dividatur inter ecclesias pro ratione fructuum inde perceptorum. Si pluribus successive beneficiis provisus fuit, ecclesiae tribuatur, cui ultima vice adscriptus erat. Ecclesiae opulentae autem alia ecclesia per dispositionem Episcopi substitui potest. Pars talis, quae ab Antistite vel Canonicis ecclesiae cathedralis, huic aut metropolitanae obtingeret, destinari poterit pro rerum adjunctis seminario sive clericorum sive puerorum. Altera haereditatis pars cedat pauperibus loci, ubi defunctus beneficiarius erat, eadem servata distributionis lege, prout de ecclesiis dictum est, si plura simul vel successive beneficia obtinuerat; nisi quod pauperibus assignata maneat

[1]) Synod. Prag. anni 1605. De testam. Cleric.

portio, etiamsi ecclesiae opulentiori subroganda sit minus dotata. Residua demum pars tertia tribuatur consanguineis, quibus jus succedendi secundum legem civilem suffragatur. His, si vere pauperes sint, etiam pars, quae pauperibus obtingeret, ad inopiam sublevandam addici poterit. Deficientibus e sanguine haeredibus, pars iis assignanda ad ecclesiam perveniat. Quoad haereditatem Clericorum non beneficiatorum ea observetur norma, ut duas bonorum relictorum partes consanguinei obtineant, unam vero pauperes loci decessus, quibus itidem consanguinei indigentes modo superius allato substitui possunt.

Hae praescriptiones secundum sacrorum Canonum mentem et antiquam provinciae consuetudinem dispositae etiam a legitimis haeredibus ab intestato defunctorum diligenter observentur; simulque inhibemus, ne quis sub quovis praetextu supellectilem remve aliam, seu scripta ad ecclesiam pertinentia, sed nec ipsius Clerici defuncti bona cujusvis generis invadat, asportet seu surripiat in perniciem suam, quum male parta etiam male dilabantur.

Ad praecavendas defraudationes renovamus mandatum antiquum, ut quicumque sacerdos vel clericus, ubi primum de morbo periculoso aut morte alterius clerici cognoverit, Vicarium foraneum, ad quem pertinet, quamprimum certiorem reddat. Quodsi casus tam cito ad eum deferri et Vicarius foraneus tempore opportuno advenire nequeat, praesertim, si nullum testamentum sit factum, aut testamentarii haeredes non sint praesentes, aut ignorentur: ipse parochus proximus, aut alius sacerdos nomine Ordinarii intersit rerum obsignationi, seu sic dictae inventurae atque venditioni.

Quoniam teste experientia causae haereditariae Clericorum longum in tempus protrahuntur, unde non solum haeredibus sed praesertim piis causis magna detrimenta inferuntur: ideo ad haec mala arcenda omnes, ad quos bonorum ecclesiasticorum cura spectat, sollicite vigilabunt, ut haereditates aut legata ad causas pias, quo breviori poterunt, tempore expediantur; petituri si opus fuerit, Ordinarii auxilium.

Quae omnia et singula auxiliante Deo et concordibus votis in hoc provinciae Concilio decernimus et sancimus, atque decreta et sancita esse, propriae manus subscriptione testamur.

Pragae Dominica XVII. post Pentecosten, quae est dies 23. Septembris anni salutis millesimi, octingentesimi, sexagesimi.

Nos Fridericus Cardinalis Schwarzenberg, Archiepiscopus Pragensis, Metropolita definientes subscripsimus.

† **Fridericus Cardinalis Schwarzenberg,**
Archiepiscopus Pragensis.

Ego Carolus Hanl, Episcopus Reginaehradecensis, definiens subscripsi.

† **Carolus**, Episcopus Reginaehradecensis.

Ego Augustinus Bartholomaeus Hille, Episcopus Litomericensis, definiens subscripsi.

† **Augustinus Bartholomaeus**, Episcopus Litomericensis.

Ego Joannes Valerianus Jirsík, Episcopus Budvicensis, definiens subscripsi.

† **Joannes Valerianus**, Episcopus Budvicensis.

Ego Petrus Franciscus Krejčí, Episcopus Oropensis, et Eminentissimi Archiepiscopi Suffraganeus, accepto per Patres Concilii voto decisivo, definiens subscripsi.

† **Petrus Franciscus**, Episcopus Oropensis.

Facta ex mandato Eminentissimi Domini Cardinalis et Archiepiscopi Metropolitae collatione praesentis Decretorum Concilii editionis cum autographo, quod in Archivo Curiae asservatur, testor textum per omnia concordare, exceptis his potissimum typi erroribus:

A. In textu Decretorum:

pag. 32.	lin.	6.	in spiritualibus	*recte:*	spiritualis.
„ 35.	„	11.	nequissima	„	nequissimi.
„ 94.	„	penultima,	reponenda	„	reponendae.
„ 191.	in medio		numerus 5	„	4.
„ 254.	lin.	17.	nefas	„	fas.
„ 262.	„	20.	videatur	„	videantur.

B. In allegationibus:

pag. 8.	alleg.	13	XXVI.	*recte:*	XXIV.
„ 13.	„	3	1857	„	1856.
„ 21.	„	2	D. XXVI.	„	D. XXV.
„ 74.	„	5	quaest. 81	„	p. 2. cap. 4. quaest. 79.
„ 114.	„	2	quaest. 14	„	quaest. 8 et 9.
„ 119.	„	1	quaest. 36 et 38	„	quaest. 35.
„ 119.	„	2	quaest. 75	„	quaest. 73.
„ 120.	„	3	addendum: Cat. Rom. p. 2. cap. 2. quaest. 27.		
„ 120.	„	4	quaest. 29.	*recte:*	quaest. 28.
„ 131.	„	10	lib. 6. addendum:		tract. 3.

Pragae die 15. Maji 1863.

Carolus Franciscus Prucha,
ss. theologiae Doctor et metropolitanae ecclesiae Canonicus.

APPENDIX I.

Conventio

inter Sanctitatem Suam Pium IX. Summum Pontificem et Majestatem Suam C. R. Apostolicam Franciscum Josephum I. Imperatorem Austriae (de die 18. Augusti 1855).

In Nomine Sanctissimae et Individuae Trinitatis.

Sanctitas Sua Summus Pontifex Pius IX. et Majestas Sua Caesareo-Regia Apostolica Franciscus Josephus I. Austriae Imperator, concordibus effecturi studiis, ut fides, pietas et omnis recti honestique vigor in Austriae Imperio conservetur et augescat, de Ecclesiae catholicae statu in eodem Imperio solemnem conventionem inire decreverunt.

Quapropter Sanctissimus Pater in Plenipotentiarium Suum nominavit: Eminentissimum Dominum Michaëlem Sacrae Romanae Ecclesiae Presbyterum Cardinalem Viale-Prelà, ejusdem Sanctitatis Suae et Sanctae Sedis apud praefatam Apostolicam Majestatem Pro-Nuntium, et Majestas Sua, Imperator Austriae Celsissimum Dominum Josephum Othmarum de Rauscher, Principem Archiepiscopum Viennensem, Solio Pontificio Adsistentem, Caesarei Austriaci Ordinis Leopoldini Praelatum et magnae Crucis Equitem, nec non ejusdem Majestatis Caesareae a consiliis intimis.

Qui post plenipotentiae ipsis collatae instrumenta mutuo sibi tradita atque recognita de sequentibus convenerunt:

Articulus I. Religio catholica Apostolica Romana in toto Austriae Imperio et singulis, quibus constituitur ditionibus, sarta tecta conservabitur semper cum iis juribus et praerogativis, quibus frui debet ex Dei ordinatione et canonicis sanctionibus.

Articulus II. Cum Romanus Pontifex primatum tam honoris quam jurisdictionis in universam, qua late patet, Ecclesiam jure divino obtineat, Episcoporum, cleri et populi mutua cum Sancta Sede communicatio in rebus spiritualibus et negotiis ecclesiasticis nulli placetum regium obtinendi necessitati suberit, sed prorsus libera erit.

Articulus III. Archiepiscopi, Episcopi omnesque locorum. Ordinarii cum clero et populo dioecesano pro munere officii pastoralis libere communicabunt, libere item suas de rebus ecclesiasticis instructiones et ordinationes publicabunt.

Articulus IV. Archiepiscopis et Episcopis id quoque omne exercere liberum erit, quod pro regimine dioecesium sive ex declaratione sive ex dispositione sacrorum canonum juxta praesentem et a Sancta Sede adprobatam Ecclesiae disciplinam ipsis competit, ac praesertim:

a) Vicarios, Consiliarios et adjutores administrationis suae constituere ecclesiasticos, quoscunque ad praedicta officia idoneos judicaverint.

b) Ad statum clericalem assumere et ad sacros ordines secundum canones promovere, quos necessarios aut utiles dioecesibus suis judicaverint, et e contrario, quos indignos censuerint, a susceptione ordinum arcere.

c) Beneficia minora erigere atque collatis cum Caesarea Majestate consiliis, praesertim pro convenienti redituum assignatione, parochias instituere, dividere vel unire.

d) Praescribere preces publicas, aliaque pia opera, cum id bonum Ecclesiae aut Status populive postulet, sacras pariter supplicationes et peregrinationes indicere, funera aliasque omnes sacras functiones servatis quoad omnia canonicis praescriptionibus moderari.

e) Convocare et celebrare ad sacrorum canonum normam Concilia provincialia et Synodos dioecesanas, eorumque acta vulgare.

Articulus V. Omnis juventutis catholicae institutio in cunctis scholis tam publicis quam privatis conformis erit doctrinae religionis catholicae; Episcopi autem ex proprii pastoralis officii munere dirigent religiosam juventutis educationem in omnibus instructionis locis et publicis et privatis, atque diligenter advigilabunt, ut in quavis tradenda disciplina nihil adsit, quod catholicae religioni, morumque honestati adversetur.

Articulus VI. Nemo sacram theologiam, disciplinam catecheticam vel religionis doctrinam in quocunque instituto vel publico vel privato tradet, nisi cum missionem tum auctoritatem obtinuerit ab Episcopo dioecesano, cujus eamdem revocare est, quando id opportunum censuerit. Publici theologiae professores et disciplinae catecheticae magistri, postquam sacrorum Antistes de candidatorum fide, scientia ac pietate sententiam suam exposuerit, nominabuntur ex iis, quibus docendi missionem et auctoritatem conferre paratum se exhibuerit. Ubi autem theologicae facultatis professorum quidam ab Episcopo ad seminarii sui alumnos in theologia erudiendos adhiberi solent, in ejusmodi professores nunquam non assumentur viri, quos sacrorum Antistes ad munus praedictum obeundum prae ceteris habiles censuerit. Pro examinibus eorum, qui ad gradum doctoris theologiae vel sacrorum canonum adspirant, dimidiam partem examinantium Episcopus dioecesanus ex doctoribus theologiae vel sacrorum canonum constituet.

Articulus VII. In gymnasiis et omnibus, quas medias vocant, scholis

pro juventute catholica destinatis nonnisi viri catholici in professores seu magistros nominabuntur, et omnis institutio ad vitae christianae legem cordibus inscribendam pro rei, quae tractatur, natura composita erit. Quinam libri in iisdem scholis ad religiosam tradendam instructionem adhibendi sint, Episcopi collatis inter se consiliis statuent. De religionis magistris pro publicis gymnasiis mediisque scholis deputandis firma manebuut, quae hac de re salubriter constituta sunt.

Articulus VIII. Omnes scholarum elementarium pro catholicis destinatarum magistri inspectioni ecclesiasticae subditi erunt. Inspectores scholarum dioecesanos Majestas Sua Caesarea ex viris ab Antistite dioecesano propositis nominabit. Casu, quo iisdem in scholis instructioni religiosae haud sufficienter provisum sit, Episcopus virum ecclesiasticum, qui discipulis catechismum tradat, libere constituet. In ludimagistrum assumendi fides et conversatio intemerata sit oportet. Loco movebitur, qui a recto tramite deflexerit.

Articulus IX. Archiepiscopi, Episcopi omnesque locorum Ordinarii propriam auctoritatem omnimoda libertate exercebunt, ut libros religioni morumque honestati perniciosos censura perstringant et fideles ab eorundem lectione avertant. Sed et Gubernium, ne ejusmodi libri in Imperio divulgentur, quovis opportuno remedio cavebit.

Articulus X. Quum caussae ecclesiasticae omnes et in specie, quae fidem, sacramenta, sacras functiones nec non officia et jura ministerio sacro annexa respiciunt, ad Ecclesiae forum unice pertineant, easdem cognoscet judex ecclesiasticus, qui perinde de caussis quoque matrimonialibus juxta sacros canones et Tridentina cumprimis decreta judicium feret, civilibus tantum matrimonis effectibus ad judicem saecularem remissis. Sponsalia quod attinet, auctoritai, ecclesiastica judicabit de eorum existentia et quoad matrimonium impediendum effectibus, servatis, quae idem Concilium Tridentinum et Apostolicae Literae quorum initium: „Auctorem fidei" constituunt.

Articulus XI. Sacrorum Antistitibus liberum erit, in clericos honestum habitum clericalem eorum ordini et dignitati congruentem non deferentes aut quomodocunque reprehensione dignos poenas a sacris canonibus statutas et alias, quas ipsi Episcopi convenientes judicaverint, infligere, eosque in monasteriis, seminariis aut domibus ad id destinandis custodire. Iidem nullatenus impedientur, quominus censuris animadvertant in quoscunque fideles ecclesiasticarum legum et canonum transgressores.

Articulus XII. De jure patronatus judex ecclesiasticus cognoscet; consentit tamen Sancta Sedes, ut, quando de laicali patronatu agatur, tribunalia saecularia judicare possint de successione quoad eumdem patronatum, seu controversiae ipsae inter veros et suppositos patronos agantur seu inter ecclesiasticos viros, qui ab iisdem patronis designati fuerint.

Articulus XIII. Temporum ratione habita Sanctitas Sua consentit, ut clericorum caussas mere civiles, prout contractuum, debitorum, haereditatum judices saeculares cognoscant et definiant.

Articulus XIV. Eadem de causa Sancta Sedes haud impedit, quominus caussae ecclesiasticorum pro criminibus seu delictis, quae poenalibus Imperii legibus animadvertuntur, ad judicem laicum deferantur; cui tamen incumbet, Episcopum ea de re absque mora certiorem reddere. Praeterea in reo deprehendendo et detinendo ii adhibebuntur modi, quos reverentia status clericalis exigit. Quodsi in ecclesiasticum virum mortis vel carceris ultra quinquennium duraturi sententia feratur, Episcopo nunquam non acta judiciaria communicabuntur, et condemnatum audiendi facultas fiet, in quantum necessarium sit, ut de poena ecclesiastica eidem infligenda cognoscere possit. Hoc idem Antistite petente praestabitur, si minor poena decreta fuerit. Clerici carceris poenam semper in locis a saecularibus separatis luent. Quodsi autem ex delicto vel transgressione condemnati fuerint, in monasterio vel alia ecclesiastica domo recludentur.

In hujus articuli dispositione minime comprehenduntur caussae majores, de quibus sacrum Concilium Tridentinum sess. XXIV. c. 5. de reform. decrevit. Iis pertractandis Sanctissimus Pater et Majestas Sua Caesarea, si opus fuerit, providebunt.

Articulus XV. Ut honoretur domus Dei, qui est Rex Regum et Dominus Dominantium, sacrorum templorum immunitas servabitur, in quantum id publica securitas et ea, quae justitia exigit, fieri sinant.

Articulus XVI. Augustissimus Imperator non patietur, ut Ecclesia catholica ejusque fides, liturgia, institutiones sive verbis, sive factis, sive scriptis contemnantur, aut Ecclesiarum Antistites vel Ministri in exercendo munere suo pro custodienda praesertim fidei ac morum doctrina et disciplina Ecclesiae impediantur. Insuper efficax, si opus fuerit, auxilium praestabit, ut sententiae ab Episcopis in clericos officiorum oblitos latae executioni demandentur. Desiderans praeterea, ut debitus juxta divina mandata sacris Ministris honor servetur, non sinet quidquam fieri, quod dedecus eisdem afferre, aut eos in contemptum adducere possit, immo vero mandabit, ut omnes Imperii Sui Magistratus et ipsis Archiepiscopis seu Episcopis et clero quacunque occasione reverentiam atque honorem eorum dignitati debitum exhibeant.

Articulus XVII. Seminaria episcopalia conservabuntur, et ubi dotatio eorum haud plene sufficiat fini, cui ad mentem sacri Concilii Tridentini inservire debent, ipsi augendae congruo modo providebitur. Praesules dioecesani eadem juxta sacrorum canonum normam pleno et libero jure gubernabunt et administrabunt. Igitur praedictorum seminariorum rectores et professores seu magistros nominabunt, et quotiescunque necessarium aut utile ab ipsis censebitur, removebunt. Adolescentes et pueros in iis efformandos recipient, prout dioecesibus suis expedire in Domino judicaverint. Qui studiis in seminariis hisce vacaverint, ad scholas alius cujuscunque instituti praevio idoneitatis examine admitti nec non servatis servandis pro qualibet extra seminarium cathedra concurrere poterunt.

Articulus XVIII. Sancta Sedes, proprio utens jure, novas dioeceses eri-

get ac novas earumdem peraget circumscriptiones, cum id spirituale fidelium bonum postulaverit. Verumtamen quando id contigerit, cum Gubernio Imperiali consilia conferet.

Articulus XIX. Majestas Sua Caesarea in seligendis Episcopis, quos vigore privilegii Apostolici a Serenissimis Antecessoribus Suis ad Ipsam devoluti a Sancta Sede canonice instituendos praesentat seu nominat, imposterum quoque Antistitum imprimis comprovincialium consilio utetur.

Articulus XX. Metropolitae ac Episcopi, antequam Ecclesiarum suarum gubernacula suscipiant, coram Caesarea Majestate fidelitatis juramentum emittent sequentibus verbis expressum: „Ego juro et promitto ad sancta Dei Evangelia, sicut decet Episcopum, obedientiam et fidelitatem Caesareo-Regiae Apostolicae Majestati et Successoribus Suis; juro item et promitto, me nullam communicationem habiturum nullique consilio interfuturum, quod tranquillitati publicae noceat, nullamque suspectam unionem neque intra neque extra Imperii limites conservaturum, atque si publicum aliquod periculum imminere resciverim, me ad illud avertendum nihil omissurum."

Articulus XXI. In cunctis Imperii partibus Archiepiscopis, Episcopis et viris ecclesiasticis omnibus liberum erit, de his, quae mortis tempore relicturi sint, disponere juxta sacros canones, quorum praescriptiones et a legitimis eorum haeredibus ab intestato successuris diligenter observandae erunt. Utroque tamen in casu excipientur Antistitum dioecesanorum ornamenta et vestes pontificales, quae omnia veluti mensae episcopali propria erunt habenda et ideo ad Successores Antistites transibunt. Hoc idem observabitur quoad libros, ubi usu receptum est.

Articulus XXII. In omnibus metropolitanis seu archiepiscopalibus suffraganeisque ecclesiis Sanctitas Sua primam dignitatem conferet, nisi patronatus laicalis privati sit, quo casu secunda substituetur. Ad ceteras dignitates et praebendas canonicales Majestas Sua nominare perget, exceptis permanentibus iis, quae liberae collationis episcopalis sunt, vel juri patronatus legitime adquisito subjacent. In praedictarum ecclesiarum canonicos non assumentur, nisi sacerdotes, qui et dotes habeant a canonibus generaliter praescriptas et in cura animarum aut in negotiis ecclesiasticis seu in disciplinis sacris tradendis cum laude versati fuerint. Sublata insuper erit natalium nobilium sive nobilitatis titulorum necessitas, salvis tamen conditionibus, quas in fundatione adjectas esse constet. Laudabilis vero consuetudo, canonicatus publico indicto concursu conferendi, ubi viget, diligenter conservabitur.

Articulus XXIII. In ecclesiis metropolitanis et episcopalibus, ubi desint, tum canonicus poenitentiarius tum theologalis, in collegiatis vero theologalis canonicus juxta modum a sacro Tridentino Concilio praescriptum (sess. V. c. 1. et sess. XXIV. c. 8. de reform.), ut primum fieri potuerit, constituentur, Episcopis praefatas praebendas secundum ejusdem Concilii sanctiones et Pontificia respective decreta conferentibus.

Articulus XXIV. Parochiis omnibus providebitur publico indicto concursu et servatis Concilii Tridentini praescriptionibus. Pro parochiis ecclesiastici patronatus praesentabunt patroni unum ex tribus, quos Episcopus enuntiata superius forma proposuerit.

Articulus XXV. Sanctitas Sua, ut singularis benevolentiae testimonium Apostolicae Francisci Josephi Imperatoris et Regis Majestati praebeat, Eidem atque catholicis Ejus in Imperio Successoribus indultum concedit, nominandi ad omnes canonicatus et parochias, quae juri patronatus ex fundo religionis seu studiorum derivanti subsunt, ita tamen, ut seligat unum ex tribus, quos publico concursu habito Episcopus ceteris digniores judicaverit.

Articulus XXVI. Parochiis, quae congruam pro temporum et locorum ratione sufficientem non habeant, dos, quam primum fieri poterit, augebitur et parochis catholicis ritus orientalis eodem ac latini modo consuletur. Ceterum praedicta non respiciunt ecclesias parochiales juris patronatus sive ecclesiastici sive laicalis, canonice adquisiti, quarum onus respectivis patronis incumbet. Quodsi patroni obligationibus eis a lege ecclesiastica impositis haud plene satisfaciant, et praesertim, quando parocho dos ex fundo religionis constituta sit, attentis pro rerum statu attendendis providendum erit.

Articulus XXVII. Cum jus in bona ecclesiastica ex canonica institutione derivet, omnes, qui ad beneficia quaecunque vel majora vel minora nominati seu praesentati fuerint, bonorum temporalium eisdem annexorum administrationem nonnisi virtute canonicae institutionis assumere poterunt. Praeterea in possessione ecclesiarum cathedralium, bonorumque annexorum, quae in canonicis sanctionibus et praesertim in Pontificali et Ceremoniali Romano praescripta sunt, adcurate observabuntur, quocunque usu sive consuetudine in contrarium sublata.

Articulus XXVIII. Regulares, qui secundum ordinis sui constitutiones subjecti sunt Superioribus generalibus penes Apostolicam Sedem residentibus, ab iisdem regentur ad praefatarum constitutionum normam, salva tamen Episcoporum auctoritate juxta canonum et Tridentini praecipue Concilii sanctiones. Igitur praedicti Superiores generales cum subditis cunctis in rebus ad ministerium ipsis incumbens spectantibus libere communicabunt, libere quoque visitationem in eosdem exercebunt. Porro regulares absque impedimento respectivi ordinis, instituti seu congregationis regulas observabunt, et juxta Sanctae Sedis praescriptiones candidatos ad novitiatum et ad professionem religiosam admittent. Haec omnia pariter observabuntur quoad moniales in iis, quae ipsas respiciunt.

Archiepiscopis et Episcopis liberum erit, in propriis dioecesibus ordines seu congregationes religiosas utriusque sexus juxta sacros canones constituere; communicabunt tamen ea de re cum Gubernio Imperiali consilia.

Articulus XXIX. Ecclesia jure suo pollebit, novas justo quovis titulo libere acquirendi possessiones ejusque proprietas in omnibus, quae nunc possidet, vel imposterum acquiret, inviolabilis solemniter erit. Proinde quoad antiquas

novasque ecclesiasticas fundationes nulla vel suppressio vel unio fieri poterit absque interventu auctoritatis Apostolicae Sedis salvis facultatibus a sacro Concilio Tridentino Episcopis tributis.

Articulus XXX. Bonorum ecclesiasticorum administratio apud eos erit, ad quos secundum canones spectat. Attentis autem subsidiis, quae Augustissimus Imperator ad ecclesiarum necessitatibus providendum ex publico aerario benigne praestat et praestabit, eadem bona vendi vel notabili gravari onere non poterunt, nisi tum Sancta Sedes, tum Majestas Sua Caesarea aut ii, quibus hoc munus demandandum duxerint, consensum tribuerint.

Articulus XXXI. Bona, quae fundos, uti appellant, religionis et studiorum constituunt, ex eorum origine ad ecclesiae proprietatem spectant, et nomine ecclesiae administrabuntur, Episcopis inspectionem ipsis debitam exercentibus juxta formam, de qua Sancta Sedes cum Majestate Sua Caesarea conveniet. Reditus fundi religionis, donec collatis inter Apostolicam Sedem et Gubernium Imperiale consiliis, fundus ipse dividatur in stabiles et ecclesiasticas dotationes, erunt erogandi in divinum cultum, in ecclesiarum aedificia et in seminaria et in ea omnia, quae ecclesiasticum respiciunt ministerium. Ad supplenda, quae desunt, Majestas Sua eodem, quo hucusque, modo imposterum quoque gratiose succurret; immo si temporum ratio permittat, et ampliora subministraturus est subsidia. Pari modo reditus fundi studiorum unice impendentur in catholicam institutionem et juxta piam fundatorum mentem.

Articulus XXXII. Fructus beneficiorum vacantium, in quantum hucusque consuetum fuit, inferentur fundo religionis, eique Majestas Sua Caesarea proprio motu assignat quoque Episcopatuum et Abbatiarum saecularium per Hungariam et ditiones quondam annexas vacantium reditus, quos Ejusdem in Hungaria regno Praedecessores per longam saeculorum seriem tranquille possederunt. In illis Imperii provinciis, ubi fundus religionis haud extat, pro quavis dioecesi instituentur commissiones mixtae, quae juxta formam et regulam, de quibus Sanctitas Sua cum Caesarea Majestate conveniet, tam mensae episcopalis quam beneficiorum omnium bona vacationis tempore administrabunt.

Articulus XXXIII. Cum durante praeteritarum vicissitudinum tempore plerisque in locis Austriacae ditionis ecclesiasticae decimae civili lege de medio sublatae fuerint, et attentis peculiaribus circumstantiis fieri non possit, ut earumdem praestatio in toto Imperio restituatur, instante Majestate Sua et intuitu tranquillitatis publicae, quae religionis vel maxime interest, Sanctitas Sua permittit ac statuit, ut salvo jure exigendi decimas, ubi de facto existit, aliis in locis earumdem decimarum loco seu compensationis titulo ab Imperiali Gubernio assignentur dotes seu in bonis fundisque stabilibus, seu super Imperii debito fundatae iisque omnibus et singulis tribuantur, qui jure exigendi decimas potiebantur; itemque Majestas Sua declarat, dotes ipsas habendas omnino esse, prout assignatae fuerint, titulo oneroso et eodem ac decimae, quibus succedunt, jure percipiendas tenendasque esse.

Articulus XXXIV. Cetera ad personas et res ecclesiasticas pertinentia,

quorum nulla in his articulis mentio facta est, dirigentur omnia et administrabuntur juxta Ecclesiae doctrinam et ejus vigentem disciplinam a Sancta Sede adprobatam.

Articulus XXXV. Per solemnem hanc conventionem leges, ordinationes et decreta quovis modo et forma in Imperio Austriaco et singulis, quibus constituitur ditionibus, hactenus lata, in quantum illi adversantur, abrogata habebuntur, ipsaque conventio ut lex Status deinceps eisdem in ditionibus perpetuo vigebit. Atque idcirco utraque contrahentium pars spondet, se successoresque suos omnia et singula, de quibus conventum est, sancte servaturos. Si qua vero in posterum supervenerit difficultas, Sanctitas Sua et Majestas Caesarea invicem conferent ad rem amice componendam.

Articulus XXXVI. Ratificationum hujus conventionis traditio fiet intra duorum mensium spatium a die hisce articulis apposita aut citius, si fieri potest.

In quorum fidem praedicti Plenipotentiarii huic conventioni subscripserunt, illamque suo quisque sigillo obsignaverunt.

Datum Viennae, die decima octava Augusti anno reparatae Salutis millesimo octingentesimo quinquagesimo quinto.

Mich. Card. Viale-Prelà m. p.
(L. S.)

Joseph. Othmar. de Rauscher m. p.
Archiepiscopus Viennensis.
(L. S.)

Literae

a Plenipotentiario Majestatis Suae Caesareae ad Plenipotentiarium Sanctissimi Patris datae.

Eminentissime ac Reverendissime Domine!
Domine Colendissime!

Ecclesia catholica nunquam non est arca, ad quam confugiunt omnes, qui salvi fiunt in vitam aeternam; nostris autem temporibus Dominus mundum promissionum Christi oblitum clarissimis argumentis edocuit, temporalis quoque vitae bonis pessimam imminere ruinam, nisi Ecclesiae salutaris influxus societatis civilis fundamenta confirmet. Vicissim tempestates, quibus agitati sumus, haud obscure innuerunt, quanti pro Ecclesia Dei momenti sit, ut potestas civilis effrenem cupidinum licentiam manu forti compescat; quippe nostro aevo Ecclesiae res est cum factione, quae non tantum fidem divinitus infusam, sed etiam naturalem religionis sensum funditus evertere conatur freta commentis prava arte ita adornatis, ut animum, quae sua sunt, quaerentem vehementer commoveant.

Ubi perversitatis praeconibus liberum est, ad populos fascinandos cuncta componere, nunquam deerunt, qui sana ratione frustra reclamante in magistro-

rum verba jurent, atque renovabitur abominatio desolationis, quae ante aliquot annos in ipso loco sancto, Principis scilicet Apostolorum sede, stare coepit.

His ita compositis magis quam unquam exoptandum est, ut Imperium cum Sacerdotio ad tuendum Dei in terris regnum fideliter conspiret. Augustissimus vero Austriae Imperator avita pietate ductus nihil sanctius habuit, quam ut concordiam sacrae atque civilis potestatis in latissimis ditionibus sceptro Ejus subjectis intemeratam inconcussamque stabiliret. Regnator omnium Deus incrementum benigne dedit eis, quae ad Ipsius sanctificandum nomen suscepta sunt, et conventum est de articulis, quos tam a Sanctissimo Patre, quam a Majestate Sua ratos esse habendos, addubitari vix potest. Quum autem in tantae molis gravitatisque opere nonnulla supersint, quae meminisse juvet, Augustissimus Imperator mihi in mandatis dedit, ut, quae sequuntur, Eminentiae Vestrae Reverendissimae communicem.

I. Majestati Suae cordi omnino est, ut in studiorum Universitatibus fides floreat et pietas. Multifaria, quam scientia humana parit, utilitas praesertim ex saeculo XVIII[ve] multifariis erroribus quasi nubibus obducta est, quae ut veritatis luce dissipentur, ipsius societatis humanae quam maxime interest. Tantae rei in studiis generalibus ordinandis diligentissime rationem habere, Majestati Suae propositum est. Multa sunt, quae suadeant, ut sacrorum Antistites in Universitatibus Archicancellarii seu Cancellarii partes agant; quatenus difficultates obstent, in facultatem tamen theologicam secluso Cancellarii, ubi adest, officio peculiarem influxum exercebunt.

II. Ad examinandos laureae theologicae sive juris canonici candidatos per Austriam nullo non tempore viri catholici exclusive sunt adhibiti, sed et adhibebuntur.

III. Quodsi expediat, ut Episcopis nonnullis laureas theologicas conferendi facultas auctoritate apostolica tribuatur, Augustissimus facile consentiet; communicatis tamen inter Sanctam Sedem et Gubernium Imperiale consiliis negotium pertractetur.

IV. Liberum erit Episcopis, studiorum Universitatem catholicam sub eorum dependentia constitutam fundare. Quum autem necesse sit, quoad res politicas et jura civilia ejusmodi instituto assignanda cautiones pro rerum et locorum varietate adhibere, consilia cum Gubernio Caesareo praevie conferenda erunt.

V. Antequam professor facultatis juridicae ad jus canonicum tradendum deputatus constituatur, Episcopi dioecesani de ejus fide et doctrina sententia expetetur.

VI. Universitas Pestinensis originem debet fundationi ecclesiasticae, quae Maria Theresia Augusta regnante bonis ecclesiasticis adaucta est. Nihilominus ex saeculi praeteriti fine rarissimis quibusdam casibus accidit, ut viri acatholici ad scientias profanas in Universitate praedicta tradendas admitterentur. Augustissimus vero Imperator aequum esse agnoscit, ut in ejusdem professores catholici tantum assumantur, quin tamen derogare intendat juribus virorum ab Ecclesia catholica alienorum, qui ad docendi munus deputati jam fuerint.

VII. Theologiae studentes, quodsi ab Episcopo in seminarii sui alumnos

suscepti vel vestem religiosam induti sint, nec non monasteriorum ab Ecclesia approbatorum novitii in cunctis Imperii partibus a servitiis militaribus praestandis immunes erunt.

VIII. Secundum leges in Austria vigentes pro gymnasiis mediisque scholis a potestate civili institutis religionis magistri ita seliguntur, ut Episcopus dioecesanus concursum habeat, et quem dignissimum censeat, Gubernio adjectis concursus actis significet: qui et de regula ad magisterium vacans deputatur. Quando sub peculiaribus rerum adjunctis eum declinari contigerit, nunquam non vir nominatur, quem Episcopus ad munus obeundum habilem enuntiaverit.

IX. In reprimendis libris religioni morumque honestati perniciosis communis est Ecclesiae civitatisque causa et Augustissimus Imperator nihil intentatum relinquet, ut, quantum fieri possit, ab Imperio excludantur. Curabit igitur, ut ad scriptorum licentiam refrenandam leges, quarum districtae cautiones non desunt, debito vigore executioni mandentur et desideriorum, quae sacrorum Antistites hoc de negotio exposuerint, ratio diligentissime habeatur. Multa tamen pro re nata cautione opus est, ne pejora contingant. In plerisque Europae partibus classes animi cultioris et scientiae laude gloriantes morbo intimo laborant, quem medici prudentis adinstar tractare oportet. Annum usque 1848 in Austria exercebatur censura praeventiva et quidem rigore plena. Conquerebantur, qui liberales se haberi amabant, quod patrocinium a Gubernio Ecclesiae catholicae exhibitum omnes justi et aequi tramites excederet. Revera autem censura, qualis tunc obtinebat, malo praeveniendo vel reprimendo impar plane erat. Nimis late patent Austriae fines et innumerae praesto sunt artes, quibus inspectio a politia exercita eludatur. Igitur bibliopolis nunquam deerat copia libros prohibitos invehendi, et quo gravius essent interdicti, eo avidius quaerebantur et peregebantur, eo majori pretio divendebantur ita, ut tali mercimonio operam dantes mulctas, quibus deprehensi punirentur, facile praestare possent et exultarent exterarum partium librarii, quando opus eorum sumtibus editum in Austria proscriberetur. Non eadem tamen in cunctis Imperii partibus rerum conditio est. In ditionibus Venetis et Langobardicis facilius est, perversos libros excludere, quam in Germanicis, quibus tot principum protestantium dominia vicina sunt, vel in Hungaria et Transsylvania, ubi tantus habetur incolarum acatholicorum numerus. Praeterea in Italia multa, quae in Germania taedium jamjam pariunt, utpote innumeris vicibus repetita, nova adhuc sunt et majorem seducendi vim exserunt.

X. Quando ecclesiasticus vir a judice saeculari in jus vocetur propter crimen seu delictum ad religionem pertinens, quod poenalibus Imperii legibus animadvertitur, Majestas Sua difficultatem non facit, ut a tribunali civili primae instantiae, antequam ad sententiam ferendam procedat, Episcopo acta exhibeantur et ipse reum audiat, omniaque peragat, quae ad causam juxta canones cognoscendam requiruntur. Postquam Episcopus in foro suo sententiam tulerit, eamdem communicabit judici saeculari, qui subinde de legis civilis violatione legis civilis ad normam judicabit.

XI. Ceterum articuli XIV[ti] de clericorum caussis dispositiones eos respi-

ciunt, qui a judiciis ordinariis condemnati fuerint; exceptiones occurrant necesse est, ubi de crimine agatur, in quod ad tempus extraordinarius procedendi modus, quem „Standrecht" (judicium instantaneum) vocant, statutus est. Insuper Majestas Sua expectat, fore ut Episcopi ad custodiendum virum ecclesiasticum, qui a judice civili de delicto vel transgressione condemnatus fuerit, domum ecclesiasticam seligant, quae Gubernio haud displiceat. In quantum ad ecclesiasticam aliquam domum custodiendi remitti possint, qui criminis rei judicati fuerint, pendebit a casus natura et gratia Imperatoris.

XII. In provincia, quae sub limitum militarium nomine venit, peculiaris plane res administrandi modus statutus est; quippe unus idemque et militum praefectus et judex et magistratus civilis. Igitur judices ordinarii, ad quos clericorum caussae civiles per ordinationem dd. 7. Augusti 1852 remissae fuerant, militiam simul regunt. Quum autem in pluribus limitum militarium partibus acatholici frequentissimi habitent, non contingere non potest, ut hi magistratus aliquando viri ab Ecclesia catholica alieni sint. Quapropter Majestas Sua clero catholico ab ordinariis districtuum singulorum judicibus exemto Zagrabiae, ubi rerum civilium et militarium per Croatiam et Slavoniam gubernator residet, forum speciale delegatum constituit. Pari modo in ceteris quoque limitum militarium partibus providebitur.

XIII. Quum Majestas Sua desideret, ut disciplinae ecclesiasticae vigor conservetur, paratum semper se exhibuit et exhibebit, ad executioni mandandas sententias ab Episcopis in clericos eis subditos latas brachii saecularis auxilium praestare. Expectat autem fore, ut Episcopi brachium saeculare imploraturi congruas afferant dilucidationes, si quas ab ipsis peti contigerit, quo quidem eveniente casu Augustissimus consilio utetur commissionis sub Episcopi cujusdam praesidio ex sacrorum Antistitibus seu aliis viris ecclesiasticis compositae.

XIV. Leges Austriacae qua regulam statuunt, ut testes, quorum domicilium a sede judicii inquisitionem peragentis ultra duo milliaria distat, coram judice districtus, in quo habitant, testimonium ferant. Praeterea et legum tenori et Majestatis Suae voluntati plane consentaneum est, ut in expetendis testimoniis sacerdotum, quantum rei natura sinat, caveatur, ne persolvendis muneris sacri officiis impedimenta ponantur. Quodsi accidat, ut judex quidam indiscretius agat, Episcopi Augustissimum adeant, qui curabit, ut negotium secundum Ipsius voluntatem et legis ad mentem pertractetur.

XV. Quum anno 1849 militum in domibus collocandorum cura communitatibus politicis concrederetur, non infrequenter accidit, ut parochis, qui neque ampliori habitatione neque reditibus congruam superantibus fruerentur, milites in sua recipiendi necessitas imponeretur. Quantum hoc ab aequitate alienum sit, Episcopi plus una vice exposuerunt, et medelam afferri Imperatoris voluntas est, cumque hoc ipso tempore de reformando toto milites collocandi negotio agatur, jussit, ut in dispositionibus condendis clero debito modo provideatur.

XVI. Quoad ratas habendas personas ad beneficia ecclesiastica promovendas Majestas Sua intendit, cuncta in eo, quo nunc sunt, statu relinquere, et

sperat, nunquam futurum, quod necessitatem inferat, ejusmodi cautionem amplius, quam hucusque factum sit, adhibendi.

XVII. Summi per Austriam Imperantes jure patronatus coronae vel fundorum publicorum nomine exercendo constanter ita usi sunt, ut curae animarum efficacius gerendae benevolam curam haberent, et Majestas sua, quae hac de re ab Antecessoribus Ejus constituta sunt, pro pietate et sapientia Sua proprio motu confirmavit. Voluntas Ejus est, ut haec eadem imposterum quoque salva conventione articulo XXV^{to} inita firma maneant; quippe desiderat, ut ad parochialem animarum curam optimus quisque deputetur; et probe scit, quanti in seligendis sacerdotibus ceteris dignioribus Antistitis dioecesani judicium faciendum sit.

XVIII. Si forsan eveniat, ut corporatio quaedam ecclesiastica legitime supprimatur, beneficia, ad quae praesentaverat, liberae collationi episcopali reddentur, in quantum id canonum sanctiones praescribunt.

XIX. Majestas Sua nullo modo obstacula ponere intendit, quin confraternitates sive sodalitates, quales Ecclesia probat et commendat, constituantur et pietatis operibus unitis viribus incumbant. Attamen praecavendum est periculum, ne sodalitatum piarum titulo molitiones obtegantur in civitatis sed et Ecclesiae perniciem vertentes. Itaque cautiones quasdam adhibere necesse est; magni tamen Episcopi dioecesani de sodalitate quadam constituenda judicium fiet.

XX. Archiepiscopi et Episcopi minime impedientur, quin in institutis piis ea, quae religionem et vitae christianae integritatem attinent, vi muneris pastoralis eis proprii dirigant. Quantum vero Majestas Sua exoptet, ut in omnibus quibuscunque institutis cuncta recte ac pie componantur, ex eo patet, quod etiam, qui carceris poenam luunt, novissime magnam partem congregationum religiosarum curae demandati fuerint.

Ceterum mihi concessum sit, denuo exponere sensus summae venerationis, quacum permaneo

Eminentiae Vestrae Reverendissimae

Viennae, die 18. Augusti 1855.

humillimus et obsequentissimus servus

Jos. Othmar. de Rauscher m. p.

Archiepiscopus Viennensis.

Literae

a Plenipotentiario Sanctitatis Suae ad Plenipotentiarium Augustissimi Imperatoris datae.

Celsissime ac Reverendissime Princeps!

Accepi litteras Celsitudinis Tuae Reverendissimae hodierna die ad me datas, in quibus plura pertractantur, circa quae inter nos collata fuerunt con-

silia, quaeque partim ad dilucidationem illorum, quae in conventione continentur, inserviunt, partim vero ad alia statuenda sunt ordinata, de quibus quidem opportunum judicatum fuit, in eadem conventione sermonem non habere, sed Majestas Sua Caesarea pro eximia Sua aequitate et pietate paratam Sese exhibuit, Sanctissimi Patris desideriis et postulationibus satisfacere. Ea itaque, quae in memoratis litteris expressa sunt, tam a Sancta Sede quam a Majestate Sua Caesarea religiose servabuntur.

Ut omnis, quantum fieri potest, recludatur aditus difficultatibus, quae ex interpretatione illorum, quae in memorata conventione continentur, oriri possent, nomine Sanctae Sedis declaro, ea, quae Articulo VII. statuuntur, non esse intelligenda, nisi de gymnasiis mediisque scholis pro juventute catholica destinatis, exclusis iis, quae pro acatholicis fuerint fundatae et destinatae.

Declaratio vero, quae continetur No. X. litterarum Celsitudinis Tuae circa modum sequendum in judiciis contra ecclesiasticos viros, qui in jus vocentur propter crimen seu delictum ad religionem pertinens, quod poenalibus Imperii legibus animadvertitur, a Sancta Sede admittitur quidem, per se autem patet, caussas religionis et fidei qua tales ad competentiam judicis saecularis non pertinere.

Relate ad ea, quae adnotata sunt in litteris Celsitudinis Tuae Reverendissimae No. XIII., Sanctissimus Pater non dubitat, quin in constituenda commissione ecclesiastica, de qua ibi sermo est, Gubernium Austriacum cum Sancta Sede sit pertractaturum.

Superest, ut effusas Deo Optimo Maximo gratias agam, quod gravissimum maximique omnium momenti tam pro Ecclesia tam pro Statu negotium felicem ad exitum fuerit perductum.

Praeclarissima hac occasione, ut semper, Augustissimus Imperator exhibuit pietatis et eximii religionis studii argumenta, quae quidem clariori adhuc nitore fulgebunt, dum ea, quae pacta conventaque sunt, executioni mandabuntur.

Hac autem utor occasione, ut Celsitudini Tuae Reverendissimae toto corde gratuler, quod gravissimo huic negotio summa sedulitate summoque studio et labore multorum annorum spacio dederis operam. Deo adjuvante sanctum hoc opus ad exitum est perductum; det eidem Dominus incrementum!

Pergratum mihi est hac uti occasione, ut sincerissimis peculiaris observantiae sensibus permaneam

Celsitudinis Tuae Reverendissimae

Viennae, die 18. Augusti 1855.

obsequentissimus servus

M. Card. Viale-Prelà m. p.

Literae Apostolicae

a Sanctitate Sua Pio IX. Summo Pontifice ad Imperii Austriaci Cardinales, Archiepiscopos et Episcopos datae.

Literae Apostolicae de inita cum Augustissimo Imperatore Conventione.

Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, ac Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis universae Imperialis ac Regiae Austriacae Ditionis.

PIUS PAPA IX.

Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. OPTIME NOSCITIS, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, Carissimum in Christo Filium Nostrum Franciscum Josephum Austriae Imperatorem et Regem Apostolicum de Nobis et hac Sancta Sede tot sane nominibus praeclare meritum pro avita sua religione et pietate atque eximio rei catholicae studio vel ab ipso sui Imperii exordio justissimis Nostris desideriis quam libentissime obsequutum nihil antiquius habuisse, quam suas curas cogitationesque ad catholicae Ecclesiae libertatem in amplissimis suis ditionibus asserendam conferre, Eumque tam salutari operi manum admovisse, ubi decretum die 18. Aprilis Anno 1850 edidit cum summa sui nominis gloria et maxima bonorum omnium congratulatione ac laetitia. Hinc idem religiosissimus Imperator et Rex Nostris postulationibus magis in dies filiali prorsus pietate obsecundans, ac probe cognoscens, quantopere catholica Ecclesia, ejusque salutaris doctrina ad veram populorum felicitatem tranquillitatemque procurandam conducat, a Nobis enixe efflagitavit, ut conventionem cum Ipso inire vellemus, qua ecclesiasticis totius Imperii sui et omnium, quibus illud constituitur, ditionum negotiis Auctoritate Nostra Apostolica occurrere et consulere possemus. Itaque non mediocri certe animi Nostri voluptate pientissimis ipsius Principis desideriis perlibenter annuentes, conventionem cum Ipso ineundam existimavimus, ac mira quadam consolatione affecti fuimus, quandoquidem eadem conventione, Deo bene juvante, et catholicae Ecclesiae libertatem, ejusque veneranda jura majorem in modum tueri et vindicare, ac multa sane et gravissima ecclesiastica negotia in vastissimis universi illius Imperii ditionibus componere potuimus. Quocirca dum eidem Carissimo in Christo Filio Nostro vel maxime ex animo gratulamur, ac meritas amplissimasque deferimus laudes, quod tanto studio sanctissimam nostram religionem profiteri et colere, ac pari Nos, et hanc Petri Cathedram observantia et veneratione prosequi glorietur, has Vobis, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, scribimus Litteras, quibus egregiam ac perspectam vestram religionem et pastoralem sollicitudinem etiam atque etiam excitamus, ut omnem

percipientes utilitatem ex majori illa libertate, qua in omnibus istis Austriacae dominationis regionibus catholica Ecclesia ex inita conventione frui ac potiri plane debet, summa cura, industria et studio omnes ministerii vestri partes ad ipsius Ecclesiae incrementum, decus et prosperitatem, atque ad animarum salutem diligentissime implere velitis. Nunc enim vestrum erit, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, collatis inter Vos consiliis studiosissime advigilare, ut in vestris dioecesibus sanctissimae catholicae fidei depositum integrum inviolatumque magis in dies custodiatur, et alacriori usque zelo ac vigilantia rectae clericorum institutioni prospicere, et cleri disciplinam sartam tectamque tueri, et ubi prolapsa est, instaurare, et parochorum munus aliaque ecclesiastica beneficia dignis dumtaxat, idoneis et spectatis ecclesiasticis viris conferre, et salutari juventutis educationi consulere et gregem curae vestrae commissum divini verbi praeconio ac salutaribus monitis, opportunisque scriptis pascere, ac nutrire, et cum provinciales, tum dioecesanas Synodos habere, ut majori vestrorum fidelium bono quotidie magis providere possitis.

Jam vero nonnulla Vobis, Dilecti Filii Nostri et Venerabiles Fratres, significanda esse ducimus, quae aliquos ipsius conventionis articulos praecipue respiciunt, quaeque a Vobis perfici et executioni mandari exoptamus, ut gratissima illa inter catholicum istud Imperium et Ecclesiam, et hanc Apostolicam Sedem magis ac magis foveatur concordia, ex qua in christianam et civilem rempublicam maxima semper bona redundant.

Atque in primis Vos monemus, ut eodem tempore, quo pastorales vestras litteras et alia acta in lucem emissuri eritis, illorum exemplar Caesareae et Apostolicae Majestatis Gubernio notitiae dumtaxat causa, mittere velitis, atque etiam eidem Gubernio significetis, quando Synodos eritis habituri, atque eadem de causa ad ipsum synodalium actorum, cum ea publici juris fiant, exemplar perferendum curetis, vix dum acta ipsa evulgentur. Et quod attinet ad dioecesanas Synodos, cum noverimus, nonnullos ex episcopali vestro ordine vehementer cupere, ea se facultate muniri, quae a Nobis Leodiensi Episcopo per Rescriptum die 4. Maji Anno 1851 editum fuit concessa, in animo Nobis est, illorum desideriis obsecundare, qui id a Nobis postulaverint ac simul peculiaria propriae cujusque dioeceseos adjuncta sedulo exposuerint, ut ea ineamus consilia, quae cuique dioecesi magis opportuna fore existimaverimus.

Cum autem pro certo habeamus, nihil catholico isti Gubernio potius unquam futurum, quam et religionem et pietatem omni studio magis in dies excitare ac fovere, tum si Gubernium idem sibi aliquid in votis esse significaverit quoad formam et methodum, qua libri ad religionem pertinentes sunt scripti in scholarum usum, ejusmodi votorum ratio Vobis erit habenda, salvo tamen semper incolumique vestro judicio ac jure circa doctrinam, quae iisdem libris continetur. Omnem vero curam impendite, ut in primordiorum, seu elementariis scholis ii ad catechesim tradendam adhibeantur libri, quibus juventus unam eandemque catholicae Ecclesiae addiscat doctrinam, atque ut nulla unquam quoad libros ipsos fiat immutatio, nisi gravis adsit causa, et collatis semper inter Vos consiliis.

Et quoniam compertum exploratumque Vobis est, quam vehementer rei

cum sacrae tum publicae intersit, adolescentes praesertim clericos vel a teneris annis ad pietatem omnemque virtutem, et ecclesiasticum spiritum mature conformari, ac litteris et disciplinis potissimum sacris ab omni prorsus cujusque erroris periculo alienis sedulo imbui et erudiri, iccirco collatis inter Vos consiliis omni studio prospicite, ut in vestris seminariis accurata sit ecclesiasticae educationis ratio, et ea optimorum studiorum vigeat methodus, quae rerum, temporum ac locorum perpensis adjunctis et majorem Ecclesiae utilitatem parere possit, ac simul efficiat, ut clerus salutari solidaque scientia ac doctrina praefulgeat. In seligendis autem professoribus, seu magistris singularem diligentiam et vigilantiam adhibete, et gravissimum docendi munus nolite unquam committere nisi viris, qui religione, pietate, vitae integritate, morum gravitate ac sanae doctrinae laude omnino praestent. Cum autem ob tristissimas, omnibusque notissimas rerum vicissitudines aliquis forsitan inter ecclesiasticos viros possit reperiri, qui Caesareae et Apostolicae Majestati Suae haud sit probatus, iccirco ad omnem difficultatem penitus amovendam tum in parochiis, tum in aliis ecclesiasticis beneficiis conferendis curae Vobis erit, ut ad illa minime ii eligantur ecclesiastici viri, qui Caesareae et Apostolicae Majestati Suae minus sint accepti. Atque id noscere poteritis sive ex ipsa ecclesiasticorum indole et conditione, sive ex praecedentibus Gubernii factis, sive aliis idoneis adhibitis modis. Insuper ob eamdem causam, antequam eligatis seminarii professores et magistros, opus est, ut diligentissime inquiratis et certi sitis, num Ipsa Caesarea et Apostolica Majestas aliquid contra illos habeat circa res politicas.

Denique Vobis summopere cordi sit, continenter advigilare, ut in ecclesiasticis functionibus, ac potissimum in sacrosancto Missae sacrificio et Sacramentorum administratione Ecclesiae formulae in lingua cujusque ritus ab hac Apostolica Sede jam probati sedulo pie religioseque usurpentur. Neque desinatis studiosissime curare, ne Praelati Episcopis inferiores sacra pontificali ritu in posterum agant, nisi ejusmodi speciale privilegium ab eadem Sancta Sede obtinuerint, et ea conditione, ut, qui privilegium idem fuerint consecuti, diligentissime observare debeant, quae tum in Decreto rec. mem. Alexandri VII. Praedecessoris Nostri die 27. Septembris Anno 1659 edito, tum in Apostolicis Litteris felicis recordationis Pii VII. Decessoris pariter Nostri incipientibus „Decet Romanos Pontifices“ et IV. Nonas Julii Anno 1823 datis sunt praescripta.

Habetis, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, quae Vobis in praesentia significanda esse censuimus, ac plane non dubitamus, quin pro egregia vestra pietate ac singulari et perspecta erga Nos et hanc Sanctam Sedem observantia pronis auribus haec Nostra excipiatis monita, et ea omnia, de quibus loquuti sumus, quam diligentissime perficienda et exequenda curetis. Interim haud omittimus a Deo Optimo Maximo humiliter enixeque exposcere, ut uberrima quaeque suae bonitatis dona super Vos propitius semper effundat, vestrisque pastoralibus curis, consiliis et laboribus benedicat, quo sanctissima nostra religio ejusque doctrina in vestris dioecesibus majora in dies incrementa suscipiat, ac prospere feliciterque ubique vigeat et floreat. Atque caelestium omnium munerum auspicem, et flagrantissimae Nostrae in Vos caritatis testem Apostolicam Benedictionem ex intimo

corde profectam Vobis singulis, Dilecti Filii Nostri ac Venerabiles Fratres, omnibusque istarum ecclesiarum clericis, laicisque fidelibus curae vestrae commissis peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, die 5. Novembris Anno 1855. Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Pius PP. IX.

Literae Apostolicae ad Archiepiscopos et Episcopos Imperii Austriaci anno 1856. Viennae congregatos.

Dilectis Filiis Nostris S. R. E. Cardinalibus, ac Venerabilibus Fratribus Archiepiscopis et Episcopis universae Imperialis ac Regiae Austriacae Ditionis.

PIUS PAPA IX.

Dilecti Filii Nostri, et Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. SINGULARI QUIDEM animi Nostri gaudio cognoscimus, Vos Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, Nostris, et Carissimi in Christo Filii Nostri Francisci Josephi Austriae Imperatoris, et Regis Apostolici desideriis cuique Vestrum uno fere eodemque tempore significatis quam libentissime obsequentes pro egregia vestra religione, et pastorali sollicitudine statuisse convenire in istam Imperialem et Regiam Vindobonensem civitatem, quo ibi inter Vos colloqui, et consilia conferre possetis, ut rite ea omnia perficiantur, quae a Nobis cum eodem Carissimo in Christo Filio Nostro sancita sunt in Conventione, quam idem clarissimus et religiosissimus Princeps cum summa Nostra consolatione et immortali sui nominis gloria ob Ecclesiae jura vindicata, bonis omnibus prae laetitia gestientibus, ineundam Nobiscum curavit. Itaque dum Vobis, Dilecti Filii Nostri, et Venerabiles Fratres, vel maxime gratulamur, quod in hoc habendo conventu insigne ac perspectum vestrum pro Ecclesia studium impense ostenditis, Nobis temperare non possumus, quin Vos hac occasione peramanter alloquamur, et intimos Vobis animi Nostri sensus aperiamus, ex quibus majorem in modum intelligetis, quanta Vos, et omnes amplissimi istius Imperii fideles populos curae vestrae commissos benevolentia prosequamur.

Atque in primis quod attinet ad commemoratae Conventionis exsecutionem, cum optime noscatis, multos in illa esse articulos, qui a Vobis praecipue sunt exsequendi, tum vehementer optamus, ut quoad modum in eorumdem articulorum exsecutione unam eamdemque certam viam atque rationem habere velitis, ea tamen circumspectione sedulo prudenterque adhibita, quam varia diversarum latissimi Austriaci Imperii Provinciarum adjuncta postulare poterunt. Si quae autem de alicujus articuli sensu dubitatio, vel difficultas oriatur, quod non fore arbitramur, gratissimum Nobis erit, illam a Vobis ad Nos deferri, ut, collatis inter Nos et Caesaream Apostolicam Majestatem consiliis, veluti in tricesimoquinto

ejusdem Conventionis articulo cautum est, opportunas declarationes dare possimus.

Jam vero ardentissima illa caritas, qua universum Dominicum gregem Nobis ab ipso Christo Domino divinitus commissum complectimur, et gravissimum Apostolici Nostri ministerii munus, quo omnium nationum et populorum salutem totis viribus procurare debemus, urgent Nos, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, ut eximiam vestram pietatem, virtutem, et episcopalem vigilantiam majore, qua possumus, contentione etiam atque etiam excitemus, ut alacriori usque zelo pergatis omnes episcopalis vestri muneris partes diligentissime implere, ac nullis neque curis, neque consiliis, neque laboribus unquam parcere, quibus sanctissimae fidei nostrae depositum in vestris Dioecesibus integrum inviolatumque custodiatis, et vestri gregis incolumitati consulentes, illum ab omnibus defendatis inimicorum hominum fraudibus et insidiis. Namque probe noscitis nefarias, multiplicesque artes ac molitiones, et monstrosa omnis generis opinionum portenta, quibus callidissimi perversorum dogmatum architecti improvidos praesertim et imperitos a veritatis et justitiae tramite avertere, atque in errorem exitiumque inducere connituntur. Neque ignoratis, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, inter plurima, et numquam satis lugenda mala, quae ecclesiasticam et civilem societatem vel maxime perturbant, atque divexant, duo potissimum nunc eminere, quae aliorum omnium quaedam veluti origo non immerito videantur. Vobis enim apprime nota sunt innumera et funestissima sane damna, quae in christianam et civilem rempublicam ex putidissimo indifferentismi errore redundant. Hinc enim omnia erga Deum, in quo vivimus, movemur, et sumus, officia penitus neglecta, hinc sanctissima religio plane posthabita, hinc omnis juris, justitiae, virtutisque fundamenta concussa, ac propemodum eversa. A qua turpissima sane indifferentismi forma haud admodum distat illud de religionum indifferentia systema e tenebris eruptum, quo homines a veritate alienati, veraeque confessionis adversarii, suaeque salutis immemores, et inter se pugnantia docentes, et numquam stabilitam sententiam habentes, nullum inter diversas fidei professiones discrimen admittunt, et pacem passim cum omnibus miscent, omnibusque aeternae vitae portum ex qualibet religione patere contendunt. Nihil enim interest illis, licet diversa tractantibus, dum ad unius veritatis expugnationem conspirent. [1]) Videtis profecto, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, qua vigilantia Vobis sit excubandum, ne tam dirae contagia pestis vestras oves misere inficiant ac perdant. Itaque ne desinatis populos Vobis traditos ab hisce perniciosissimis erroribus sedulo defendere, eosque catholicae veritatis doctrina magis in dies accurate imbuere, et illos docere, quod sicut unus est Deus Pater, unus Christus Ejus, unus Spiritus Sanctus, ita una est divinitus revelata veritas, una divina fides humanae salutis initium, omnisque justificationis fundamentum, qua justus vivit, et sine qua impossibile est placere Deo, et ad filiorum ejus consortium pervenire; [2]) et una est vera, sancta, catholica, Apostolica Romana Ecclesia, et Cathedra una super Petrum

[1]) Tertull. de praescript. cap. 41. [2]) Ad Rom. cap. 1. ad Hebr. cap. 11. Trid. Sess. 6. cap. 8.

Domini voce fundata, [1]) extra quam nec vera fides, nec aeterna invenitur salus, cum habere non possit Deum Patrem, qui Ecclesiam non habet matrem, et falso confidat, se esse in Ecclesia, qui Petri Cathedram deserat, super quam fundata est Ecclesia. [2]) Nullum vero majus potest esse delictum, et nulla macula deformior, quam adversus Christum stetisse, quam Ecclesiam divino Ejus sanguine partam, et acquisitam dissipasse, quam evangelicae dilectionis oblitum contra unanimem et concordem Dei populum hostilis discordiae furore pugnasse. [3])

Cum autem ratio divini cultus ex hisce duobus constet, piis dogmatibus, et actionibus bonis, neque doctrina sine operibus bonis accepta sit Deo, neque opera recipiat Deus a religiosis dogmatibus sejuncta, neque in solo opere virtutum, aut in sola observantia mandatorum, sed etiam in tramite fidei augusta et ardua sit via, quae ducit ad vitam, [4]) tum ne intermittatis fideles vestros populos continenter monere, et excitare, ut non solum in catholicae religionis professione magis in dies stabiles et immoti persistant, verum etiam per bona opera certam suam vocationem, et electionem facere satagant. Dum autem in vestri gregis salutem procurandam incumbitis, ne omittatis in omni bonitate, patientia et doctrina miseros errantes ad unicum Christi ovile, atque ad catholicam unitatem revocare illis praesertim Augustini verbis: venite, fratres, si vultis, ut inseramini in vite: dolor est, cum vos videamus praecisos ita jacere; numerate sacerdotes vel ab ipsa Petri Sede, et in ordine illo patrum quis cui successit, videte; ipsa est petra, quam non vincunt superbae inferorum portae. [5]) Quicunque extra hanc domum agnum comederit, profanus est; si quis in arca Noë non fuerit, peribit regnante diluvio. [6])

Verum non minori sane pernicie alter nunc grassatur morbus, cui ab elatione, et quodam veluti rationis fastu, rationalismi nomen est inditum. Non improbat certe Ecclesia [7]) eorum studium, qui veritatem scire voluerunt, quia Deus hominis naturam veri adipiscendi cupientissimam fecit, neque improbat rectae sanaeque rationis studia, quibus animus excolitur, natura investigatur, et abditissima quaeque ejusdem arcana in apertam proferuntur lucem. Siquidem novit, ac probe tenet pientissima mater, inter collata caelitus munera [8]) illud esse praeclarum, quod ratione continetur, et quo ea omnia, quae sensibus obnoxia sunt, praetergressi, insignem quandam Dei imaginem in nobis ipsis praeferimus. Novit quaerendum esse donec invenias, et credendum ubi inveneris, et nihil amplius nisi custodiendum quod credidisti, dum hoc insuper credas aliud non esse credendum, ideoque nec requirendum, cum id inveneris, et credideris quod a Christo institutum est, qui non aliud tibi mandat inquirendum, quam quod instituit. [9]) Ecquid igitur est, quod ipsa non patitur, non sinit, et quod pro injuncto sibi officio tuendi depositi omnino reprehendit ac damnat?

---

[1]) S. Cyprian. Epist. 43. [2]) S. Cyprian. de unitat. Eccl. [3]) S. Cyprian. Epist. 72. [4]) S. Cyrill. Hierosol. Cat. IV. Illuminand. n. 2. S. Leo Serm. 5. de Nativ. Dom. [5]) In psalm. contra part. Donat. [6]) S. Hieronym. epist. 14. al. 57. ad Damas. [7]) Lactant. divin. institut. lib. 3. cap. 1. [8]) Clemens Alex. Stromat. lib. 1. cap. 3. lib. 2. cap. 2. et Gregor. Thaumaturg. orat. panegyr. cap. 7. 13. [9]) Tertull. de praescript. cap. 9.

Illorum nimirum morem vehementer reprehendit, ac semper damnavit et damnat Ecclesia, qui ratione abutentes, eam Dei ipsius loquentis auctoritati impie et stulte opponere ac praeferre non erubescunt, neque reformidant, et dum insolenter se extollunt, propria superbia, suoque tumore caecati veritatis lumen amittunt, fidem, de qua scriptum est, qui non crediderit condemnabitur, [1]) superbissime aspernantur, sibique, praefidentes [2]) diffitentur Ipsi Deo de se credendum esse, et iis, quae cognitioni nostrae de se tribuit, obsequendum. Hi sunt, quibus constantissime opponit, aequum esse, [3]) ut de cognitione Dei ipsi Deo credamus, cujus scilicet totum est, quod de eo credimus, quia utique ab homine Deus, uti oportet, cognosci non potuit, nisi salutarem sui cognitionem ipse tribuisset. Hi sunt, quos ad mentis sanitatem hisce verbis revocare contendit: quid magis contra rationem, quam ratione rationem conari transcendere? et quid magis contra fidem, quam credere nolle quidquid non possis ratione attingere? [4]) Atque his inculcare non desinit, fidem non rationi, sed auctoritati inniti, [5]) nec enim decebat, ut cum Deus ad hominem loqueretur, argumentis assereret suas voces, tamquam fides ei non haberetur, sed ut oportuit, est loquutus, quasi rerum omnium maximus judex, cujus non est argumentari, sed pronuntiare. [6]) His apertissime denuntiat unam hominis spem, unamque salutem positam esse in christiana fide, quae veritatem docens, ac divina sua luce humanae ignorantiae tenebras discutiens per caritatem operatur, et in catholica Ecclesia, quae verum retinens cultum est stabile ipsius fidei domicilium, et Dei templum extra quod, citra invincibilis ignorantiae excusationem, quisquis fuerit, est a spe vitae, et salutis alienus. Et hos gravissime monet ac docet, quod humanae artis peritia si quando tractandis sacris eloquiis adhibetur, non debet jus magisterii sibi arroganter arripere, sed veluti ancilla Dominae quodam famulatus obsequio subservire, ne si praecedit oberret, et dum exteriorum verborum sequitur consequentias, intimae virtutis lumen amittat, et rectum veritatis tramitem perdat. [7]) Neque existimare iccirco debet, nullum in Ecclesia Christi profectum haberi religionis. Habetur namque, idemque maximus, dummodo tamen vere profectus sit fidei, non permutatio. Crescat igitur oportet, et multum vehementerque proficiat tam singulorum, quam omnium, tam unius hominis, quam totius Ecclesiae aetatum ac saeculorum gradibus intelligentia, scientia, sapientia, qua intelligatur illustrius, quod antea credebatur obscurius, qua posteritas intellectum gratuletur, quod vetustas non intellectum venerabatur, qua pretiosae divini dogmatis gemmae exsculpantur, fideliter coaptentur, adornentur sapienter, et splendore, gratia, venustate ditescant in eodem tamen genere, in eodem scilicet dogmate, eodem sensu, eademque sententia, ut cum dicantur nove, non dicantur nova. [8])

Neminem Vestrum mirari arbitramur, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles

---

[1]) Marc. XVI. v. 16. [2]) S. Hilar. de Trinit. lib. 4. [3]) Cassian. de Incarnat. lib. 4. cap. 2.
[4]) S. Bernard. epist. 190. [5]) S. Bernard. de Considerat. lib. 5. cap. 3. [6]) Lactant. divin. Institut. lib. 3. cap. 1. [7]) S. Petr. Dam. opuscul. 49. cap. s. [8]) Vinc. Lirin. Commonitor.

Fratres, si pro Nostro fidei primatu et principatu [1]) de luctuosissimis hisce, ac rei cum sacrae, tum publicae perniciosissimis erroribus denuo loquuti simus, eximiamque vestram episcopalem vigilantiam ad illos profligandos excitare censuerimus. Cum enim inimicus homo non cesset superseminare zizania in medio tritici, tum Nos, qui divina disponente Providentia dominico agro excolendo praesumus, atque uti servi fideles et prudentes super Domini familiam constituti sumus, [2]) ab iis partibus explendis desistere non debemus, quae ab Apostolico Nostro munere separari non possunt.

Nunc vero a singulari vestra pietate et prudentia exposcimus, ut in hoc congressu ea potissimum inter Vos consilia provide sapienterque inire studeatis, quae in amplissimi istius Imperii regionibus ad majorem Dei gloriam promovendam, ac sempiternam hominum salutem procurandam conducere existimaveritis. Etsi enim vehementer in Domino laetemur, cum noscamns multos existere tum ecclesiasticos, tum laicos homines, qui christianae fidei et caritatis spiritu egregie animati bonum Christi diffundunt odorem, tamen non mediocri afficimur dolore, cum haud ignoremus, in aliquibus locis nonnullos ex Clero suae dignitatis et officii oblitos minime ambulare pro ea vocatione, qua vocati sunt, et christianum populum sanctissimis divinae nostrae religionis praeceptionibus parum instructum, gravibusque obnoxium periculis a pietatis operibus, et Sacramentorum frequentia infeliciter abstinere, atque a morum honestate, christianaeque vitae disciplina deflectere, et ad interitum ruere. Persuasissimum Nobis est, Vos pro spectata vestra episcopali sollicitudine omnes curas cogitationesque esse collaturos, ut commemorata damna omnino eliminentur.

Et quoniam optime scitis, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, quantam ad ecclesiastici Ordinis disciplinam instaurandam, populorum mores corrigendos, eorumque damna avertenda vim habeant Provincialia Concilia a canonicis sanctionibus sapientissime praescripta, et a sanctis Antistitibus maximo semper Ecclesiae bono frequentata, iccirco vel maxime optamus, ut Provinciales Synodos ad sacrorum canonum normam rite concelebretis, quo communibus cujusque ecclesiasticae istius Imperii Provinciae malis opportuna ac salutaria adhibeatis remedia. Cum autem multa et gravia in hisce Provincialibus Synodis a Vobis sint agenda, Nostris in votis est, ut pro vestra sapientia in isto Vindobonensi conventu concordissimis animis ea inter Vos suscipiatis consilia, quibus unanimes esse possitis tum circa potiores praesertim res, quae in Provincialibus Synodis erunt tractandae, ac statuendae, tum circa illa, quae uno eodemque studio a Vobis erunt praestanda, ut in omnibus istius Imperii Provinciis divina nostra religio, ejusque salutaris doctrina magis in dies vigeat, floreat, dominetur, et fideles populi declinantes a malo, et facientes bonum ambulent ut filii lucis in omni bonitate, justitia ac veritate.

Et cum nihil sit, quod alios magis ad virtutem, pietatem, ac Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedi-

---

[1]) S. Ambros. de Incarnat. cap. 4. n. 32. Cassian. de Incarnat. lib. 3. cap. 12.
[2]) S. Ambros. de fide ad Gratian. Imperat. lib. 5. in prolog.

carunt, ne praetermittatis omni industria inter Vos ea statuere, quibus Cleri disciplinam, ubi prolapsa est, instauretis, et accuratam illius institutionem, ubi opus fuerit, promoveatis. Quocirca Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, collatis inter Vos consiliis conjunctisque studiis diligentissime prospicite, ut ecclesiastici viri propriae dignitatis et officii semper memores ab iis omnibus declinent, quae Clericis vetita, quaeque eos nequaquam decent, ac virtutum omnium ornatu praefulgentes exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, ut diurnas canonicas horas, qua decet, attentione, ac pietatis affectu recitent, ac sancta oratione se exerceant, et rerum caelesticum meditationi instent, decorem Domus Dei diligant, sacras functiones et caeremonias juxta Pontificale, et Rituale Romanum peragant, et proprii ministerii munia naviter, scienter ac sancte obeant, et sacrarum praesertim disciplinarum studia nunquam intermittant, et sempiternae hominum saluti quaerendae assiduam navent operam.

Ac pari cura consulite, ut omnes cujusque Metropolitani, Cathedralis, et Collegialis Templi Canonici, aliique Beneficiarii choro addicti morum gravitate, vitae integritate, ac pietatis studio undique praefulgere studeant tamquam lucernae ardentes positae super candelabrum in templo Domini, et omnes suscepti muneris partes diligenter expleant, residendi legem servent, divini cultus splendorem curent, atque alacres in excubiis Domini divinas laudes studiose, rite, pie, religiose, non vero mente vaga, non vagis oculis, non indecoro corporis statu concelebrent, memoria semper repetentes, quod ipsi ad chorum accedunt, non modo ut sanctissimum Deo cultum, venerationemque tribuant, verum etiam, ut a Deo ipso et sibi, et aliis omne bonum deprecentur.

Sed quam vehementer ad ecclesiasticum spiritum tuendum et fovendum, atque ad salutarem constantiam retinendam conferant spiritualia Exercitia innumeris iccirco per Romanos Pontifices Praedecessores Nostros ditata Indulgentiis, quisque Vestrum optime noscit. Ea proinde cunctis ecclesiasticis vestris viris etiam atque etiam commendare et inculcare ne desinatis, quo ipsi certo dierum spatio in opportunum aliquem locum saepe secedant, ubi quavis humanarum rerum cura abjecta, omnia sua facta, dicta, cogitata coram Deo quam diligentissime reputantes, et annos aeternos assidua meditatione habentes in mente, ac maxima beneficia sibi a Deo collata recolentes, studeant contractas de mundano pulvere sordes abluere, et resuscitare gratiam, quae ipsis data est per impositionem manuum, et expoliantes veterem hominem cum actibus suis novum induant, qui creatus est in justitia et sanctitate.

Quoniam vero Sacerdotum labia custodire debent scientiam, qua et respondere possint iis, qui legem requirunt de ore ipsorum, et contradicentes revincere, iccirco, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, in rectam, accuratamque Cleri institutionem omnes vestras curas convertatis oportet. Summa igitur contentione omnia conamini, ut in vestris praecipue Seminariis optima ac plane catholica vigeat studiorum ratio, qua adolescentes Clerici vel a prima pueritia per probatissimos magistros ad pietatem, omnemque virtutem, et ecclesiasticum spiritum mature fingantur, ac latinae linguae cognitione, ut humanio-

ribus literis, philosophicisque disciplinis ab omni prorsus cujusque erroris periculo alienis sedulo imbuantur. Atque in primis omnem adhibete vigilantiam, ut cum dogmaticam, tum moralem Theologiam ex divinis libris, sanctorumque Patrum traditione, et infallibili Ecclesiae auctoritate haustam ac depromptam, ac simul solidam divinarum literarum, sacrorum Canonum, ecclesiasticaeque historiae, rerumque liturgicarum scientiam congruo necessarii temporis spatio diligentissime addiscant. Ac Vobis summopere cavendum in librorum delectu, ne in tanta grassantium errorum colluvie a sanae doctrinae semita ecclesiastici adolescentes temere abducantur, cum praesertim haud ignoretis, viros eruditos a Nobis in religione dissidentes, et ab Ecclesia praecisos, in vulgus edere tam divinos libros, quam Sanctorum Patrum opera, concinna illa quidem elegantia, sed saepe, quod maxime est dolendum, vitiata, ac praeposteris commentariis a veritate detorta. Neminem Vestrum latet, quantopere Ecclesiae hisce praesertim temporibus intersit idoneos habere ministros, qui vitae sanctitate, et salutaris doctrinae laude praestantes, ac potentes in opere et sermone valeant Dei, ejusque sanctae Ecclesiae causam strenue tueri, et aedificare Domino domum fidelem. Nihil itaque intentatum est relinquendum, ut juniores Clerici vel a teneris annis sancte ac docte educentur, quandoquidem nonnisi ex ipsis rite institutis utiles Ecclesiae ministri fieri possunt. Quo vero facilius pro eximia vestra religione, ac pastorali sollicitudine accuratam Cleri institutionem, ex qua Ecclesiae bonum, ac populorum salus tantopere pendet, quotidie magis promovere valeatis, ne Vos pigeat exhortari, rogare egregios vestrarum Dioecesium ecclesiasticos, laicosque viros divitiis pollentes, et in rem catholicam praeclare animatos, ut vestrum sectantes exemplum aliquam pecuniae vim perlibenter tribuere velint, quo nova etiam Seminaria erigere, et congrua dote instruere possitis, in quibus adolescentuli Clerici vel ab ineunte aetate rite instituantur.

Nec minori studio, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, ea omnia consilia suscipienda curate, quibus vestrarum Dioecesium juventus cujusque conditionis et sexus magis in dies catholico plane modo educetur. Quapropter episcopalis vestrae vigilantiae nervos intendite, ut juventus ante omnia spiritu timoris Dei mature imbuta, ac pietatis lacte enutrita nedum fidei elementis, sed pleniori sanctissimae nostrae religionis cognitione sedulo excolatur, atque ad virtutem, morumque honestatem, christianaeque vitae rationem conformetur, et ab omnibus perversionis et corruptionis illecebris et scopulis arceatur.

Pari autem sollicitudine ne desinatis unquam fideles populos Vobis commissos opportunis quibusque modis ad religionem et pietatem etiam atque etiam excitare. Itaque ea omnia peragite, quibus ipsi fideles populi magis in dies salutari catholicae veritatis ac doctrinae pabulo enutriti Deum ex toto corde diligant, ejus mandata apprime servent, Sanctuarium ejus frequenter ac religiose adeant, Sabbata ejus sanctificent, ac saepe qua par est veneratione et pietate tum divini Sacrificii celebrationi intersint, tum ad sanctissima Poenitentiae et Eucharistiae Sacramenta accedant, et singulari devotione Sanctissimam Dei Genitricem Immaculatam Virginem Mariam prosequantur, et colant, ac mutuam inter se continuam caritatem habentes, et precibus instantes ambulent digne

Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Cum autem sacrae Missiones ab idoneis operariis peractae summopere conducant ad fidei religionisque spiritum in populis excitandum, eosque ad virtutis ac salutis semitam revocandos, vehementer optamus, ut illas identidem in vestris Dioecesibus agendas curetis. Ac meritas summasque laudes iis omnibus deferimus, qui e vestro ordine in suas Dioeceses tam salutare sacrarum Missionum opus jam invexere, ex quo divina adspirante gratia uberes fructus perceptos fuisse gaudemus.

Haec potissimum in isto vestro conventu prae oculis habeatis oportet, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, ut communibus malis communibus studiis provide mederi possitis. Etenim ad praecipua cujusque vestrae Dioecesis damna reparanda, ejusque prosperitatem promovendam, nihil frequenti ejusdem Dioeceseos lustratione et Dioecesanae Synodi celebratione validius esse probe intelligitis. Quae duo quantopere a Concilio praesertim Tridentino sint praescripta et inculcata neminem Vestrum fugit. Quamobrem pro spectata vestra in gregem Vobis commissum sollicitudine, et caritate, nihil antiquius habere velitis, quam ex canonicis sanctionibus vestras Dioeceses impensissimo studio invisere, et ea omnia accurate perficere, quae ad ipsam visitationem fructuose peragendam omnino pertinent. Quo in munere obeundo Vobis summopere corde sit summa cura, ac paternis praesertim monitis, et frugiferis concionibus, aliisque opportunissimis modis errores, corruptelas, et vitia, si quae irrepserint, radicitus evellere, omnibus salutis documenta praebere, cleri disciplinam sartam tectamque tueri, et fideles spiritualibus praesertim quibusque subsidiis juvare, munire, et omnes Christo lucrifacere. Nec dissimilem diligentiam impendite in Dioecesanis Synodis juxta sacrorum Canonum normam celebrandis ea praecipue statuentes, quae ad majus cujusque vestrae Dioecesis bonum spectare pro vestra prudentia duxeritis.

Ne vero in Sacerdotibus, qui doctrinae et lectioni attendere debent, quique obstricti sunt officio docendi populum ea, quae scire omnibus neçessarium est ad salutem, et ministrandi Sacramenta [1]), sacrarum disciplinarum studium unquam restinguatur aut languescat industria, optatissimum Nobis est, ut a Vobis, ubi fieri possit, in omnibus vestrarum Dioecesium regionibus, instituantur, opportunis regulis congressus de morum praesertim Theologia, ac de sacris Ritibus, ad quos singuli potissimum Presbyteri teneantur accedere, et afferre scripto consignatam propositae a Vobis quaestionis explicationem, et aliquo temporis spatio a Vobis praefiniendo inter se disserere de morali Theologia, deque sacrorum disciplina, postquam aliquis ex ipsis sermonem de sacerdotalibus praecipue officiis habuerit.

Cum autem in vestro grege procurando operam prae ceteris, manum, auxiliumque Vobis praestent Parochi, quos in sollicitudinis partem adscitos, et in arte omnium maxima obeunda adjutores habetis, eorum zelum omni studio inflammare ne intermittatis, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, ut pro-

---

[1]) Concil. Trident. Sess. 23. cap. 14. de Reformat.

prio munere ea qua par est diligentia ac religione fungantur. Illis iccirco inculcate, ut numquam cessent christianam plebem sibi traditam sedulo pascere divini verbi praeconio, ac Sacramentorum et multiformis gratiae Dei dispensatione, et rudes homines, ac maxime puerulos christianae fidei mysteriis, nostraeque religionis documentis amanter, patienterque erudire, et errantes ad salutis iter adducere, ut summopere studeant odia, simultates, inimicitias, discordias, scandala tollere, et confortare pusillanimes, et visitare infirmos, eosque omni praesertim spirituali ope juvare, et miseros, afflictos, atque aerumnosos consolari, omnesque exhortari in doctrina sana, et monere, ut religiosissime reddant quae sunt Dei Deo, at quae sunt Caesaris Caesari, docentes quod omnes non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam Principibus et potestatibus subditi esse et obedire debent in iis omnibus, quae Dei et Ecclesiae legibus minime adversantur.

Pergite vero, ut facitis, cum summa vestri nominis laude, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, accuratam vestrarum Dioecesium relationem statutis temporibus ad Nostram Concilii Congregationem mittere, ac Nos de rebus ad ipsas Dioeceses pertinentibus diligenter certiores facere, ut majori cum vestrae, tum earumdem Dioecesium utilitati providere possimus.

Nobis autem innotuit in quibusdam germanici territorii Dioecesibus aliquas circa parochiarum potissimum collationem invaluisse consuetudines, et nonnullos ex Vobis optare, ut hujusmodi consuetudines serventur. Nos quidem propensi sumus ad adhibendam indulgentiam, postquam tamen easdem consuetudines ab unoquoque Vestrum speciatim, ac perdiligenter expositas debito examine perpenderimus, ut eas inter illos permittamus limites, quos necessitas, et praecipua locorum adjuncta suadere poterunt, cum pro Apostolici Nostri ministerii munere curare omnino debeamus, ut Canonicae praescriptiones generatim sedulo observentur.

Antequam finem huic Nostrae Epistolae faciamus, qua Vos omnes Austriaci Imperii Sacrorum Antistites alloqui summopere gaudemus, Nostrum ad Vos sermonem praesertim convertimus, Venerabiles Fratres Archiepiscopi et Episcopi, qui in eodem nobilissimo Imperio morantes, ac Nobiscum in vera fide, et catholica unitate conjuncti, et huic Petri Cathedrae adhaerentes Orientalis Ecclesiae ritus et laudabiles consuetudines ad hac Sancta Sede probatas, seu permissas colitis. Compertum exploratumque Vobis est, quo in pretio haec Apostolica Sedes vestros semper habuerit ritus, quorum observantiam tantopere inculcavit, quemadmodum luculenter testantur tot Romanorum Pontificum Decessorum Nostrorum decreta et Constitutiones, inter quas commemorare satis est Literas Benedicti XIV. Praedecessoris pariter Nostri die 26. Julii Anno 1755 editas, quarum initium „Allatae“ et Nostras die 6. Januarii Anno 1848 omnibus Orientalibus missas, quae incipiunt „In suprema Petri Apostoli Sede.“ Itaque Vos etiam summopere excitamus, ut pro eximia vestra religione et episcopali sollicitudine ministerium vestrum implentes, atque ante oculos habentes ea omnia, de quibus loquuti sumus, vestram omnem curam, industriam et vigilantiam continenter impendatis ut vester clerus virtutibus omnibus ornatus, et

optimis disciplinis potissimum sacris accurate excultus in sempiternam fidelium salutem quaerendam intentissimo studio incumbat, ut fideles populi instent viam, quae ducit ad vitam, ut quotidie magis sancta augeatur, et amplificetur catholicae religionis unio, ut sacramenta administrentur, ac divina celebrentur officia juxta vestram disciplinam, iis tamen liturgicis libris adhibitis, qui ab hac Sancta Sede probati fuerunt. Et cum nihil Nobis optatius, quam vestris et vestrorum fidelium indigentiis quam libentissime occurrere, ne omittatis ad Nos confugere, Nobisque exponere vestrarum Dioecesium res, et illarum relationem ad Nostram Congregationem fidei propagandae praepositam quarto quoque anno mittere.

Denique Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, Vos obtestamur, ut intentissimo studio connitamini magis in dies conservare, fovere, et augere pacem et concordiam inter universum istarum omnium Dioecesium Clerum tum latini, tum graeci catholici ritus, ut omnes, qui militant in castris Domini, mutuo fraternae caritatis affectu se invicem diligentes, et invicem honore praevenientes, Dei gloriae, et animarum saluti unanimiter, ac studiosissime inserviant.

Habetis quae pro impensissima Nostra erga Vos, et fideles istius vastissimi Imperii populos caritate Vobis, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, nunc potissimum significanda censuimus, ac pro certo habemus, Vos pro egregia vestra virtute, religione, pietate, ac perspecta in Nos, et hanc Petri Cathedram fide et observantia hisce paternis Nostris desideriis, monitisque quam libentissime et cumulatissime esse obsequuturos. Ac plane non dubitamus, quin Vos omnes, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, Pastorum Principem Christum Jesum continenter intuentes, qui se humilem et mitem corde est professus, quique dedit animam suam pro ovibus suis relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia Ejus, contendatis totis viribus Illius exempla sectari, documenta exsequi, et gregi curae vestrae commisso assidue advigilare, in omnibus laborare, ministerium vestrum implere, et quaerere non quae vestra sunt, sed quae Christi Jesu, neque jam ut dominantes in Cleris, sed uti Pastores, immo Patres amantissimi, et facti forma gregis ex animo nihil tam molestum, tam impeditum, tam arduum unquam fore putetis, quod in omni patientia, mansuetudine, lenitate, prudentia ferendum, expediendum ac providendum pro vestrarum ovium salute non curetis. Nos interim in humilitate cordis Nostri haud omittimus assiduas, fervidasque clementissimo luminum, et misericordiarum Patri Deo totius consolationis adhibere preces, ut uberrima quaeque suae Bonitatis dona super Vos propitius semper effundat, quae in dilectas quoque oves Vobis concreditas copiose descendant. Cujus divini praesidii auspicem et propensissimae aeque ac studiosissimae Nostrae in Vos voluntatis testem Apostolicam Benedictionem ex imo corde depromptam Vobis singulis, Dilecti Filii Nostri, ac Venerabiles Fratres, cunctisque istarum Ecclesiarum Clericis, Laicisque fidelibus peramanter impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 17. Martii Anno 1856.

Pontificatus Nostri Anno Decimo.

Pius PP. IX.

APPENDIX II.

Nr. 1.

1725. 19. Maj. Benedicti Papae XIII. Constitutio de Praebenda Theologali in ecclesiis cathedralibus et collegiatis atque de Canonico Poenitentiario.

(ad Tit. VI. cap. 5. p. 213.)

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. PASTORALIS OFFICII Nostri esse ducimus, assiduo, enixoque studio curare, ut universa Sacrae Tridentinae Synodi Decreta inviolabiter observentur; sed eorum prae ceteris exequutionem strenue promovendam, urgendamque Nobis esse arbitramur, ex quibus majorem in Ecclesia Dei utilitatem proventuram fore conspicimus, ac eos potissimum, quorum opus in praedicatione, et doctrina consistere debet, ut cunctos aedificent, tam fidei scientia, quam actionum disciplina excitari maxime posse confidimus ad impensius frequentandam tantopere necessariam Sanctarum Scripturarum lectionem, quas qui nescit, ut beatus Hieronymus admonet, nescit Dei virtutem, ejusque sapientiam, nam ignoratio Scripturarum, ignoratio Christi est.

Cum itaque saluberrimo praedicti Concilii Tridentini Decreto relato in cap. 1. sess. V. de reform. cautum sit, ut nedum in ecclesiis cathedralibus, sed in collegiatis etiam oppidorum insignium, in quibus Praebenda, aut praestimonium, seu stipendium pro Sacrae Scripturae Lectoribus constitutum non reperitur, Praebenda quomodocumque, praeterquam ex causa resignationis, primo vacatura, ipso facto ad eum usum perpetuo constituta, ac deputata intelligatur: et quatenus nulla, vel non sufficiens Praebenda foret, locorum Ordinarii per assignationem fructuum alicujus simplicis beneficii, debitis tamen ejus supportatis oneribus, vel per contributionem beneficiatorum suarum Dioecesium, vel alias prout commodius fieri poterit, ita provideant, ut ipsa Sacrae Scripturae lectio omnino habeatur: verum ejusmodi provida praefati Concilii dispositio in aliquibus cathedralibus, sicut non absque gravi animi Nostri dolore percepimus, huc usque neglecta, debitaeque exequutioni demandata non fuerit: hinc igitur est quod Nos illius exequutionem pro Pontificiae vigilantiae debito urgere intendentes, Motu proprio, ex certa scientia, ac matura deliberatione Nostra, deque Apostolicae potestatis plenitudine, hac Nostra perpetuo valitura Constitutione sancimus, decernimus, et mandamus, ut in cathedralibus quibuscumque Italiae, Insularumque adjacentium, in quibus Praebenda Theologalis hactenus instituta non fuerit, Praebenda primo vacatura, post ejusdem praesentis Constitutionis

publicationem, sive ad Nos, Sedemque Apostolicam, sive ad Ordinarium illius collatio, atque provisio pertineat, ipso jure, et absque ulla alia declaratione sit, ac esse censeatur Praebenda Theologalis constituta. Volumus insuper, ut tam illa, quam reliquae omnes aliae Praebendae Theologales hactenus constitutae, et deputatae conferri semper debeant Doctori in sacra Theologia, vel qui infra annum doctoralem lauream in eadem Facultate suscipiat; et ceteroquin magis idoneo in formali concursu ab Examinatoribus renunciato, eo plane modo quo parochiales ecclesiae conferuntur. Hunc porro in finem, quotiescumque ejusmodi Praebenda Theologalis conferenda erit, per Edictum publicum vocentur quicumque concurrere, et examini sese subjicere voluerint coram Episcopo, et quatuor Examinatoribus, etiamsi synodales non sint, ab eodem Episcopo actu eligendis, ac deputandis, in theologali tamen Facultate Licentiatis, et valde peritis, sive saecularibus, sive regularibus, et illi, qui in concursu ejusmodi probatus, magisque idoneus renunciatus fuerit, Praebenda conferatur. Quoties autem Praebendae collatio ad Sanctam Sedem spectabit, Episcopus ad Romanum Pontificem pro tempore existentem acta concursus transmittere teneatur, ut ipse vacantem Praebendam illi assignare, atque conferre possit, quem ceteris digniorem, atque magis idoneum in Domino judicaverit.

Quod si Episcopus primo vacaturam Praebendam contra formam in praesenti Constitutione praescriptam conferre praesumpserit, vel etiam in aliis occurrentibus casibus eamdem formam observare neglexerit, illius collatio, atque provisio ipso jure nulla, et irrita, nulliusque prorsus roboris, vel momenti sit, ac esse debeat, ejusdemque Praebendae dispositio statim devolvatur, et pertineat ac Sanctam Sedem, et Romanum Pontificem pro tempore existentem, a quo Doctori in sacra Theologia conferetur.

Ceterum, ut fructus, quem Tridentina Synodus ex Praebendae Theologalis institutione perceptum iri speravit, omnino re ipsa, et cum effectu percipiatur, volumus, statuimus, et mandamus tertiam partem proventuum dictae Praebendae Theologalis ab Episcopo distribui, et proportionaliter applicari singulis lectionibus Sacrae Scripturae, quae a Praebendato, praescriptis diebus, et horis totius anni habendae erunt, ita ut si Praebendatus universas lectiones habuerit, assignatas Distributiones integras absque ulla prorsus diminutione consequatur; si vero in aliqua, vel pluribus lectionibus defecerit, Distributiones neglectis lectionibus respondentes amittat, quae in Sacristiae ecclesiae beneficium cedant, ac erogentur. In casu autem gravioris contumaciae Praebendati liceat Episcopo deputare alium Theologum Sacerdotem saecularem, vel regularem, qui jugiter supplendo ejusdem Praebendati vices, praefatis Distributionibus potiatur.

Quoniam vero nonnulli Episcopi, sicut accepimus, ut propriae incuriae aliquod velamen obtendant, dilatae erectionis ejusmodi Praebendae Theologalis causam in tenuitatem, ac insufficientiam praebendarum suarum ecclesiarum rejicere solent; Nos omnem de cetero praetextum, sive excusationem e medio tollere, ac penitus eliminare volentes, motu, scientia, ac potestatis plenitudine similiter decernimus, statuimus, atque praecipimus, quod ubi Praebenda Theologalis, computatis etiam distributionibus quotidianis, ad annuum saltem reditum

scutorum sexaginta monetae Romanae non ascendat, pro summa ad hanc taxam conficiendam deficiente, iidem Episcopi unire possint, et debeant eidem Praebendae aliquod simplex Beneficium, cujus supplemento praedicta summa conficiatur, primo vacaturum, in quocumque mense, et qualitercumque, et quomodocumque Sedi Apostolicae affectum, et reservatum: ita tamen ut a tali unione illa omnia Beneficia, quae pro Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalibus, Papae Familiaribus, Nunciis Apostolicis, atque Praelatis Congregationum, quibus iidem Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales intersunt, Secretariis in alia Constitutione ad promovendam Seminariorum erectionem novissime per Nos condita peculialiter reservavimus, perpetuo reservata, et excepta sint, ac esse intelligantur, et quidquid secus fieri contingeret, ex nunc prorsus irritum, ac inane, nulliusque roboris, vel momenti esse, ac fore decernimus, et declaramus.

Postremo quaecumque hactenus de Praebenda Theologali, et Sacrae Scripturae lectione sancivimus, extendimus etiam, ac adamussim observari volumus, et mandamus (congrua tamen congruis referendo) quoad institutionem Canonici Poenitentiarii in illis cathedralibus, in quibus nondum fuerit institutus, ejusque honestam substentationem, concursum, deputationem, omniaque alia ad illius Officium pertinentia, et praeter illa, quae a Nobis superius disposita sunt, ea insuper, quae Tridentina Synodus cap. 8. sess. XXIV. de reform. de hujus Ministri qualitate, aetate, ac exemptione a servitio Chori constituit, exacte observari decernimus, praecipimus, et mandamus.

Decernentes etiam praesentes Literas semper firmas, validas et efficaces existere, ac fore, suosque plenarios, et integros effectus sortiri, ac obtinere, nec non praemissa omnia, et singula in illis contenta per eos, ad quos spectat, et in futurum quomodolibet spectabit, perpetuo inviolabiliter observari: sicque, et non aliter per quoscumque Judices Ordinarios, et Delegatos etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales, etiam de Latere Legatos, et alios quoslibet quacumque potestate fungentes, et functuros, sublata eis, et eorum cuilibet, quavis aliter judicandi, et interpretandi facultate, et auctoritate judicari, et definiri debere, ac irritum, et inane quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

Non obstantibus, quatenus opus sit, Nostris, et Cancellariae Apostolicae Regulis quibuscumque aliisque Apostolicis, etiam in Universalibus, Provincialibusque, et Synodalibus Conciliis ad favorem quarumcumque personarum editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, et Ordinationibus; nec non quorumvis Ordinum, Congregationum, Societatum, ac Institutorum; aliisve quibusvis etiam juramento, et confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis statutis, et consuetudinibus etiam immemorabilibus: Privilegiis quoque, Indultis, et Literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, et Institutis, et quibusvis aliis, sub quibuscumque verborum tenoribus, et formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriarum derogatoriis, aliisque efficacissimis, et insolitis clausulis irritantibus, et aliis Decretis vel alias quomodolibet in contrarium permissorum concessis, confirmatis, et innovatis. Quibus omnibus,

et singulis, etiamsi pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, et individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes, mentio, seu quaevis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenore hujusmodi, ac si de verbo ad verbum insererentur, praesentibus pro plene, et sufficienter expressis, et insertis habentes, illis alias in suo robore permansuris, ad praemissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

Ut autem praesentes Literae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas, seu earum exempla ad valvas Ecclesiae Lateranensis, et Basilicae Principis Apostolorum, nec non Cancellariae Apostolicae, Curiaeque Generalis in monte Citatorio, ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi, et publicari, sicque publicatas, et affixas, et omnes singulos, quos illae concernunt, perinde arctare, et afficere, ac si unicuique eorum nominatim, et personaliter intimatae fuissent, utque earumdem praesentium Litterarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem ubique fides in judicio, et extra adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc paginam Nostrarum sanctionis, institutionis, praecepti, voluntatis, mandati, Decreti, et derogationis, infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit. indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri, et Pauli Apostolorum ejus, se noverit incursurnm. Datum Romae apud S. Petrum. Anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo vigesimo quinto, decimo quarto Kal. Junii, Pontificatus Nostri Anno Primo.

P. M. Card. Prodat.
F. Card. Oliverius.

Nr. 2.

1741. 30. Jun. Benedicti Papae XIV. Constitutio de eleemosynis Missarum.

(ad Tit. III. cap. 3. p. 80.)

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Metropolitanis, Archiepiscopis et Episcopis universis gratiam et communionem Sedis Apostolicae habentibus.

Benedictus Papa XIV. Venerabiles Fratres. Salutem et Apostolicam Benedictionem. QUANTA CURA adhibenda sit, ut sacrosanctum Missae sacrificium non solum omni religionis cultu ac veneratione celebretur, verum etiam, ut a tanti sacrificii dignitate cujusvis generis mercedum conditiones, pacta et importunae atque illiberales eleemosynarum exactiones potius, quam postulationes, aliaque hujusmodi, quae a simoniaca labe, vel certe a turpi quaestu non longe absunt,

e medio tollantur, nemo est ex catholicae fidei cultoribus, qui ignoret. Verum eousque tandem progressa est, sicut non sine ingenti cordis Nostri moerore undique accepimus, nonnullorum sive ecclesiasticorum sive laicorum virorum avaritia, quae est idolorum servitus, ut eleemosynas quidem seu stipendia propter Missarum celebrationem juxta locorum consuetudines vel dioecesanarum Synodorum sanctiones in subsidium alimentorum uniuscujusque sacerdotis dumtaxat pro regionum opportunitatibus praescripta, colligant; Missas vero celebrari curent alibi, ubi eleemosynae seu stipendia vel consuetudine vel synodali lege pro singulis Missis attributa sunt minoris pretii, quam illic, ubi accipiuntur, darentur. Id quam absonum sit atque alienum ab ipsa sive expressa sive tacita pie offerentium voluntate, omnes plane intelligunt, nec aliter existimandum est; in illa enim potius Missas esse celebrandas quisque vult, ad quam religionis et pietatis stimulis ductus eleemosynas confert, aut in qua quispiam fortasse tumulatus est, quam in alia ecclesia sibi prorsus ignota. Quod sane veluti mercaturis faciendis a turpis lucri cupiditate inductum non solum ab avaritiae suspicione et vitio verum etiam a furti crimine, unde restitutioni subjacet, haud immune, in causa est, ut bonorum quamplurimi, ad quorum notitiam mercatura hujusmodi venit, graviter offensi, ab eleemosynis ad celebrandas Missas amplius offerendis sese abstineant. Execrabilem hujusmodi abusum alicubi sensim irrepentem detestantes Romani Pontifices Praedecessores Nostri, de consilio tum Congregationis S. R. E. Cardinalium universalis Inquisitionis contra haereticam pravitatem, tum Congregationis Cardinalium, Concilii Tridentini Interpretum, decretum voluerunt: nimirum a quolibet sacerdote, stipendio seu eleemosyna majoris pretii pro celebratione Missae a quocumque accepta non posse alteri sacerdoti Missam hujusmodi celebraturo stipendium seu eleemosynam minoris pretii erogari, etsi eidem sacerdoti Missam celebranti et consentienti se majoris pretii stipendium seu eleemosynam accepisse indicasset. Ea propter Vos, venerabiles Fratres, in Apostolici ministerii et sollicitudinis Nostrae partem adscitos, rogamus et maximopere in Domino hortamur, ut custodientes vigilias super gregibus vestris enitamini, ne ea pestis amplius pervagetur, sed ut penitus extinguatur. Ab avaritia enim, tamquam a radice, mala omnia germinant, quam quidam appetentes erraverunt a fide, et inseruerunt se doloribus multis. Avaritia quidem nulla potior contagio, quae conceptam apud omnes sacerdotalis dignitatis perfectionisque opinionem magis inficiat evellatque. Avaritia, opibus Deum posthabere ac servire mammonae docens, efficit, ut avari haereditatem non habeant in regno Christi et Dei. Quod si haec in laicis hominibus minime toleranda atque adeo legibus coërcenda, quid in ecclesiasticis viris, qui terrenis rebus nuntium miserunt, qui in sortem Domini vocati, qui Deo mancipati sunt? Quid, quod non per mundana lucra, sed per altaris ministerium tam sordide, et cum sanctissimarum legum contemptu, et cum sacerdotalis characteris dedecore in avaritiam praecipiti animo rapiuntur? Contendite igitur, venerabiles Fratres, quibus Christi ovium cura demandata est, non solum, ut verbo et exemplo praeeuntes, Christi sitis bonus odor in omni loco, unde populi vestigia vestra sequantur; verum etiam, ut ecclesiasticos primum, deinde laicos viros ab

infectis vitiorum pascuis avertentes, per viam mandatorum Dei ad caeleste ovile currere doceatis. Quoniam autem ita comparatum est, ut praesentis poenae metu salutaribus monitis facilius obtemperetur; per Edictum in vestris Dioecesibus proponendum affigendumque universis notum facite: quemcumque, qui eleemosynas seu stipendia majoris pretii pro Missis celebrandis, quemadmodum locorum consuetudines vel synodalia statuta exigunt, colligens Missas, retenta sibi parte earumdem eleemosynarum seu stipendiorum acceptorum, sive ibidem sive alibi, ubi pro Missis celebrandis minora stipendia seu eleemosynae tribuuntur, celebrari fecerit, laicum quidem seu saecularem, praeter alias arbitrio vestro irrogandas poenas, excommunicationis poenam, clericum vero sive quemcumque sacerdotem poenam suspensionis ipso facto incurrere; a quibus nullus per alium quam per Nos Ipsos seu Romanum Pontificem pro tempore existentem, nisi in mortis articulo constitutus, absolvi possit. Fore autem in Domino confidimus, ut unusquisque memor conditionis suae posthac bene consultum velit animae suae, nec tam salutares leges censurasque ecclesiasticas parvipendat. Interea Fraternitatibus vestris Apostolicam Benedictionem, in populos etiam curae vestrae commissos redundaturam, peramanter impertimur. Volumus autem, ut praesentium Literarum transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in judicio et extra adhibeatur, quae adhiberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die trigesima mensis Junii, anno millesimo septingentesimo quadragesimo primo, Pontificatus Nostri Anno Primo.

D. Cardinalis Passioneus.

Nr. 8.

1744. 19. Aug. Benedicti Papae XIV. Constitutio de applicatione Missae parochialis, necnon de conventuali Missa horisque canonicis in ecclesiis cathedralibus et collegiatis.

(ad Tit. III. cap. 3. p. 80. 81. et Tit. VI. cap. 5. p. 213.)

Venerabilibus Fratribus Patriarchis, Archiepiscopis cunctisque locorum Ordinariis per Italiam constitutis.

Benedictus Papa XIV. Venerabiles Fratres. Salutem et Apostolicam Benedictionem. CUM SEMPER OBLATAS Nobis occasiones Apostolica scripta dirigendi ad Fraternitates vestras libenter amplectimur, ut sincerae Nostrae erga Vos dilectionis argumenta frequenter eluceant, tum vero majori animi alacritate id ipsum praestamus, quum ad excitandum Fraternitatum vestrarum zelum pro conservatione rectae disciplinae in Clero regimini vestro commisso praesentibus rerum aut temporum conditionibus commovemur. Nec enim impositum imbecillitati Nostrae omnium ecclesiarum sollicitudinis onus aliter sustinere Nos posse con-

fidimus, quam si divini cultus augmentum atque exactam ecclesiasticarum sanctionum in singulis Dioecesibus custodiam religiosae vigilantium pastorum curae identidem inculcando commendemus.

§. 1. Hujus porro epistolae ad Vos scribendae occasionem Nobis atque argumentum in primis praebet onus illud, quod omnibus animarum curam gerentibus incumbit, applicandi Missam parochialem pro populo ipsorum curae commisso; tum etiam applicatio Missae conventualis, quae pro benefactoribus in genere facienda est ab iis, qui Missas canunt in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis; tum denique debitum psallendi, quo tenentur Canonici praedictarum ecclesiarum choro assistentes. Cujus quidem argumenti minime nova, sed a scriptoribus frequenter habita tractatio est; quumque ea res in hujus almae Urbis Nostrae Congregationibus, et potissimum in Congregatione venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardd. Conc. Trid. Interpretum, cujus Secretarii munere olim in minoribus constituti multos annos perfuncti sumus, multoties discussa ac definita fuerit; quamvis earundem Congregationum decreta plerumque circa eam uniformia et sibi consona prodierint, eorumque decretorum nonnulla etiam Pontificum Praedecessorum Nostrorum approbationem et confirmationem meruerint; minime tamen mirandum esset, eorum notitiam ad singulos quosque Vestrum non adhuc pervenisse. Quapropter non modo opportunum, verum etiam necessarium duximus, Encyclicam hanc Epistolam ad Vos scribere, per quam, sublata demum diversarum, in quas scriptores abierunt, opinionum varietate, constans hujus Apostolicae Sedis sententia praedictis de rebus cuilibet innotescat; et Fraternitatibus vestris quaedam veluti norma ac regula suppetat, juxta quam synodales aliasque vestras circa praemissa constitutiones, ordinationes seu edicta, quorum publicationem Vobis injungimus, dirigere valeatis. Eorum vero exsecutionem, dum juxta ea, quae in praesentibus tenenda atque servanda praescribimus, omni, qua decet, sollicitudine ac vigilantia urgere studebitis, minime dubitandum Vobis erit, ne statutorum vestrorum implemento obicem aut moram afferre valeant recursus ad hujus Nostrae Curiae tribunalia forsitan habendi; utpote quos omnino rejiciendos esse praecipimus ac jubemus: quamobrem has ipsas literas Nostras in singulorum tribunalium regestis asservari volumus, atque ad earum praescriptum tam ipsorum tribunalium resolutiones quam de vestris decretis, quae ipsis praesentibus inhaerentes edituri estis, judicia exigi et conferri mandamus.

§. 2. Et quidem, quod nuper enunciavimus, sacrosanctum Missae sacrificium a pastoribus animarum applicari debere pro populo ipsorum curae commisso, id, veluti ex divino praecepto descendens a sacra Tridentina Synodo diserte exprimitur Sess. XXIII. cap. 1. de ref. per haec notabilia verba: Quum praecepto divino mandatum sit omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre. Et quamvis minime defuerint, qui per inanes et frivolas interpretationes hujusmodi obligationem a S. Synodo memoratam de medio tollere, vel saltem extenuare contenderint: quum tamen relata Concilii verba satis clara et perspicua sint, quumque praedicta Congregatio ejusdem Concilii interpretationi privative praeposita constanter edixerit, eos,

quibus animarum cura demandata est, non modo sacrificium Missae celebrare, sed illius etiam fructum medium pro populo sibi commisso applicare debere, nec illud pro aliis applicare aut pro hujusmodi applicatione eleemosynam percipere posse; quodque magis interest, quum haec intelligentia a Praedecessoribus Nostris Romanis Pontificibus approbata fuerit et confirmata: nihil jam amplius ulli Vestrum desiderandum superest, ut eam amplecti eidemque obsequi, nec non illius promptam exsecutionem in vestris respective dioecesibus omni studio procurare debeatis.

§. 3. Neque Nos tamen, qui, ut superius innuimus, in minoribus adhuc degentes munus Secretarii praedictae Congregationis Conc. Trid. Interpretis plures annos obivimus, aliosque non paucos partim in Anconitanae cathedralis, partim in metropolitanae Bononiensis, patriae Nostrae dilectissimae, quam adhuc retinemus, gubernatione assidue transegimus, non inquam Nos latent multiplicis generis effugia, per quae nonnulli praedictae obligationis implementum declinare satagunt, quibusque proinde opportune a Nobis est occurrendum.

§. 4. Quum enim Sacrum Trid. Concilium, ne animarum cura negligatur, non uno in loco Episcopis mandet, ut quotiescunque opus fuerit, idoneos Vicarios cum certorum fructuum assignatione ad eandem curam exercendam eligant ac deputent, uti videre est in Sess. VI. c. 2., Sess. VII. c. 5. et 7., Sess. XXI. c. 6., Sess. XXV. c. 16., non raro autem eveniat, ut aliqua ecclesia parochiali vacante Vicarius pariter ad implenda hujusmodi ecclesiae onera usque ad novi rectoris electionem ab Episcopo deputari debeat, eodem Concilio Trid. id jubente Sess. XXIV. cap. 18. de ref.: nonnulli ex hujusmodi Vicariis nituntur se ipsos a praedicta obligatione subtrahere vel ex eo, quod, habituali cura penes alium seu alios residente, ipsi actualem duntaxat exerceant, vel quod ipsi sint ad nutum amovibiles, vel ad breve tempus hujusmodi curae sint addicti, ut nihil hic loquamur de Parochis Regularibus, qui a praedicta applicatione Missae pro populo nonnunquam alienos se ostendunt. Itaque mens Nostra et sententia est, sicuti etiam pluries a praelaudatis Congregationibus judicatum fuit ac definitum, quod omnes et singuli, qui actu animarum curam exercent, et non solum Parochi aut Vicarii Saeculares, verum etiam Parochi aut Vicarii Regulares, uno verbo, omnes et singuli, de quibus supra dictum est, atque alii quicunque, etiam specifica et individua mentione digni, aeque teneantur Missam parochialem applicare pro populo, ut praefertur, ipsorum curae commisso.

§. 5. Nonnulli vero ad evitandum hujusmodi obligationis implementum allegare solent, congruos sibi parochiae suae reditus non suppetere; alii denique ad inveteratam consuetudinem confugiunt, sustinentes, id neque sibi neque decessoribus suis per longum tempus, quod immemorabile affirmant, unquam in usu fuisse. Nos autem ad praecedentes praedictae Congregationis Concilii resolutiones Nostram approbationem et confirmationem extendimus, et quatenus opus sit, auctoritate Apostolica iterum tenore praesentium decernimus et declaramus, quod, licet Parochi, seu alii ut supra animarum curam habentes, congruis praefinitis reditibus destituantur, et quamvis antiqua seu etiam immemorabili consuetudine in ipsorum dioecesibus seu parochiis obtinuerit, ut Missa pro populo

non applicaretur, eadem nihilominus omnino in posterum ab ipsis debeat applicari.

§. 6. Dum tamen diximus, omnes animarum curam habentes, Missae sacrificium pro populo sibi commisso applicare debere, non ideo statuere voluimus, eosdem aut quotidie, aut quotiescunque celebraverint, ad praedictam applicationem pro populo teneri. Et quidem sacros. Trident. Synodus Sess. XXIII. cap. 14. praecipit Episcopis curare, ut sacerdotes saltem diebus dominicis et festis solennibus Missarum sacra faciant, si autem curam habuerint animarum, tam frequenter, ut suo muneri satisfaciant, Missas celebrent; in pluribus autem synodalibus Episcoporum constitutionibus novimus provide constitutos ac designatos esse dies, quibus animarum pastores Missas celebrare debeant. At vero Nos id unum in praesenti suscepimus decernendum, quando nimirum iidem pro populo celebrare et applicare teneantur; et quamvis compertum habeamus id, quod alias a Congr. Conc. responsum fuit, Parochum nempe pinguibus reditibus dotatum quotidie pro populo celebrare et applicare debere; eum vero, qui uberioribus hujusmodi reditibus non gaudeat, festivis tantum diebus id ipsum praestare teneri; quum tamen pariter Nobis perspectae sint tum controversiae super hoc ipso exortae, nimirum ad quam summam pertingere debeant ecclesiae parochialis proventus, ut pingues et uberes appellari possint, quoniam pingues minime habendi sunt reditus etiam copiosi, quibus tamen multiplicia et gravia sint onera adnexa; tum etiam multorum querelae adversus hujusmodi decretum, tanquam plus aequo rigidum, excitatae Nobis innotescant: idcirco opportunum censemus Fraternitatibus vestris declarare, Nobis abunde satisfactum fore, Vobisque proinde satis esse posse, dum ii, qui animarum curam exercent, sacrificium Missae pro populo celebrent atque applicent in dominicis aliisque per annum diebus festis de praecepto; quum praedicti dominici aliique festi dies ii sint, in quibus juxta praeceptum Conc. Trid. Sess. V. cap. 2. et Sess. XXIV. cap. 4. quilibet animarum curae praepositus populum sibi commissum salutaribus verbis pascere debet, docendo ea, quae scire omnibus necessarium est ad salutem; iidemque sint dies, de quibus eadem S. Synodus statuit, ut moneat Episcopus populum diligenter, teneri unumquemque parochiae suae interesse, ubi commode id fieri potest, ad audiendum verbum Dei; et quibus parochi subditos suos in doctrina christiana erudire debeat juxta id, quod a praedicto Conc. in cit. cap. 4. Episcopis praecipitur, ut nempe saltem dominicis et aliis festivis diebus pueros in singulis parochiis fidei rudimenta obedientiam erga Deum et parentes diligenter ab iis, ad quos spectabit, doceri curent.

§. 7. Et quia in nonnullis dioecesibus numerus dierum festorum de praecepto de Apostolica Nostra auctoritate et consensu eatenus est imminutus, ut nempe in aliquibus festis Christi fideles et Missam audire et ab operibus servilibus abstinere debeant, in aliis vero populo permissum sit opera servilia exercire, firma remanente obligatione audiendi Missae sacrificium: Nos, ut obortae jam dubitationes circa onus applicationis Missae parochialis in hujusmodi diebus festis penitus eliminentur, statuimus et declaramus, quod etiam iisdem festis diebus, quibus populus Missae interesse debet et servilibus operibus va-

care potest, omnes animarum curam gerentes Missam pro populo celebrare et applicare tenentur.

§. 8. Quia vero propria nonnunquam experientia satis agnovimus, aliquos esse Parochos adeo pauperes, ut ferme ex eleemosynis, quas a fidelibus pro Missarum celebratione accipiunt, vivere cogantur; eos vero, qui ecclesia parochiali vacante ad animarum curam exercendam sub Vicarii seu Oeconomi nomine deputantur, aliquibus in locis adeo illiberaliter tractari, ut exigui reditus ipsis constituti et pauca incerta emolumenta eisdem obvenientia aegre ad eorum vitae necessaria sufficiant; quod iis quoque non raro evenire solet, qui in aliquibus ecclesiis, habituali cura apud alios manente, actuali tantum exercitio sunt addicti; proindeque cum istis severe nimis agi videretur, si diebus festis, quibus potissimum hujusmodi occasio se offert, eisdem vetitum esset, eleemosynam pro applicatione Missae recipere: idcirco Nos tam istorum quam illorum inopiam summopere miserantes eisdemque, quantum Nobis integrum est, consulere volentes, quamvis, ut supra dictum est, omnes et singuli praedicti teneantur diebus festis Missam pro populo celebrare et applicare, attamen quod pertinet ad praedictos Parochos egentes, unicuique Vestrum facultatem concedimus, cum iis, quos revera tales esse noveritis, opportune dispensandi ad hoc, ut etiam diebus festis hujusmodi eleemosynam ab aliquo pio offerente recipere et pro ipso sacrificium applicare quatenus id ab eo requiratur, libere et licite possint et valeant, dummodo ad necessariam populi commoditatem in ipsa ecclesia parochiali Missam celebrent: ea tamen adjecta conditione, ut tot Missas infra hebdomadem pro populo applicent, quot in diebus festis infra eandem hebdomadem occurrentibus juxta peculiarem intentionem alterius pii benefactoris obtulerint.

§. 9. Quod autem spectat ad Vicarios sive Oeconomos ecclesiarum vacantium, quum a sacro Trid. Conc. Sess. XXIV. cap. 18. cuilibet Episcopo tribuatur facultas eos deputandi et constituendi cum congrua ejus arbitrio fructuum portionis assignatione; vestrum erit, Venerabiles Fratres, cum iis agere, qui vacantis ecclesiae fructus exigunt, ut egenti Vicario, qui exigua hujusmodi certorum fructuum assignatione paucisque incertis proventibus gaudeat, congruum aliquod augmentum praebeatur pro onere celebrandi et applicandi Missam pro populo diebus festis. Quapropter pro iis locis, in quibus ecclesiarum vacantium fructus ad commodum Camerae Nostrae Apostolicae exiguntur, opportuna Thesaurario Nostro Generali mandata dirigimus, quae is denunciare non praetermittet peculiaribus dictorum locorum collectoribus; cum quibus Episcopi ecclesiasticae Nostrae ditionis ceterorumque locorum, in quibus, ut praefertur, ecclesiarum vacantium fructus ad Cameram praedictam pertinent, officii sui partes in eum finem, de quo supra diximus, interponere debebunt.

§. 10. Ac demum quoad illos, qui tanquam Vicarii sive perpetui sive ad tempus constituti animarum curam administrant, quae apud alios habitu residet, ratione alicujus ecclesiae parochialis ipsorum ecclesiis seu monasteriis, collegiis aut locis piis olim unitae, quamvis a rec. mem. Praedecessore Nostro S. Pio Papa V. praefinita fuerit certa pars fructuum hujusmodi Vicariis assignanda, prout in ipsius Const., quae incipit: Ad exsequendum, data Kal.

Nov. a. MDLXVII., distincte statuitur: nihilominus, ubi praescripta fructuum portio vel nullo modo vel non integre Vicariis praedictis assignata reperiatur, vel etiam ubi ea, quae ad normam praedictae Constitutionis eisdem fuerit attributa, minime sufficiens a Vobis reputetur propter temporum circumstantias et signanter pro implendo onere celebrandi et applicandi Missam pro populo diebus festis de praecepto, utendum Vobis erit potestate, quam fecit Episcopis Synodus Trid. Sess. VII. cap. 7. dum illorum arbitrio permisit juxta temporum atque injunctorum onerum rationem, congruam praediotis Vicariis fructuum portionem assignare; quam ob causam Nos etiam Fraternitatibus vestris, quatenus opus sit, necessarias omnes et opportunas facultates impertimur, quibuscumque appellationibus, privilegiis aut exemptionibus, ut in eodem Concilio sancitur, adversus ea, quae salubriter a Vobis constituta fuerint, minime suffragantibus.

§. 11. Haec igitur circa Missam parochialem statuenda et Fraternitatibus vestris denuncianda judicavimus. Indeque gradum facientes ad ea, quae pertinent ad Missam conventualem, neminem Vestrum latere putamus sacrorum canonum sanctiones, quibus praecipitur, ut singulis diebus in ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis tum horae canonicae debitis modo et forma recitentur, tum etiam Missa conventualis celebretur, quae adeo clarae sunt, ut nulla super iis oriri possit dubitatio. Eaque de re perspicuae pariter et per omnia uniformes existunt resolutiones ab hac Congr. ven. Fratrum Nostrorum Conc. Trid. Interpretum repetitis vicibus emanatae, quas omnes Apostolica auctoritate Nostra confirmamus et approbamus, earum executionem Vobis enixe inculcantes: ut scilicet Missa conventualis, quae singulis diebus canitur a Clero praedictarum ecclesiarum, pro earundem benefactoribus in genere quotidie applicetur; eodem prorsus modo, quo Missam parochialem ab iis, qui curam animarum gerunt, pro populo sibi commisso singulis saltem diebus festis de praecepto applicari debere superius declaravimus.

§. 12. Itaque date operam, ut falsam quorundam opinionem eliminetis, quam in aliquibus ecclesiis ejusmodi sive dolo malo sive per errorem invectam esse novimus, quod nempe, dum Missa conventualis pro certo aliquo ecclesiae benefactore vel grati animi ergo vel ex vi oneris impositi celebratur et applicatur, satis impletum censeatur debitum applicationis Missae conventualis. Etenim hujusmodi debitum non quidem respicit singulares aliquos benefactores, sed benefactores in genere cujuslibet ecclesiae, cujus servitio addicti sunt quicumque in eadem sive dignitates sive canonicatus sive mansionariatus sive beneficia choralia obtinent et Missam conventualem suis respective vicibus celebrant.

§. 13. Neque minus improbandam noveritis aliorum sententiam, qui satis putant supradictam obligationem impletam esse, dum in eorum ecclesiis pro benefactoribus in genere aliquae interdum preces fiunt vel anniversaria statis diebus sacrificia pro illis peraguntur. Nemo enim id sibi arrogare debet, ut impositae obligationi alia ratione satisfacere possit quam ea, quae a lege ecclesiastica multoties praescripta fuit, nimirum Missam conventualem singulis diebus pro benefactoribus celebrando, eandemque pro illis in genere applicando.

§. 14. Profecto non solum prioribus Ecclesiae saeculis, verum etiam

temporibus haud longe a nostra aetate remotis, (quod Vos ex historia Ecclesiae didicisse non dubitamus) servabatur olim in singulis ecclesiis series accurata omnium et singulorum, quorum liberalitate unaquaeque aucta fuerat, eorumque nomina sacris diptychis, sic enim vocabantur, ideo consignata erant, ut eorumdem recordatio nunquam interiret, utque pro iis tum preces funderentur, tum etiam Missae sacrificium offerretur; quam ob causam etiam praedictus catalogus in plerisque ecclesiis ob oculos presbyteri celebrantis apponi consuevit; licet iidem pii benefactores in suis dotationibus nihil penitus pro se pacti essent, sed tantummodo pro peccatorum suorum remissione se bona sua Deo offerre declarassent. Ecclesiarum siquidem praesules preces pro iis imperandas esse duxerunt, quamvis illi propria bona offerentes ne verbum quidem ea de re fecissent. Sacrorum hujusmodi diptychorum usus sensim defecit, ob idque in oblivione jacent alicubi complurium benefactorum nomina. At non idcirco deserere fas est usum et disciplinam orandi pro iis et sacrificium Missae pro illis offerendi. Atque inde praeceptum applicandi Missam conventualem pro benefactoribus in genere originem atque rationem desumit.

§. 15. Quemadmodum vero loquendo de Missa parochiali superius dictum est, varias excusationes afferri solere ad declinandam illius applicationem pro populo diebus festis de praecepto: ita pariter usu venit quoad applicationem quotidianam Missae conventualis pro benefactoribus in genere. Ut autem superiores illae, sic etiam hae posteriores provide sublatae fuerunt per opportunas Congregationis Concilii Tridentini resolutiones, quas proinde in his etiam Nostra auctoritate approbamus et confirmamus.

§. 16. Nonnulli siquidem obtentu contrariae consuetudinis, etiam immemorabilis in propria ecclesia vigentis se ab hujusmodi onere eximi posse sibi persuaserunt. Verum jam pluries responsum fuit, hujusmodi consuetudinem, licet immemorabilem, quae potius abusus et corruptela dicenda est, nemini suffragari.

§. 17. Alii a Missa pro benefactoribus in genere applicanda se excusatos voluissent ex eo, quod alio quopiam Missarum onere obstricti inveniantur vel ratione proprii canonicatus aut alterius beneficii ecclesiastici, quod insimul cum canonicali praebenda obtinent, vel quia praeter munus Canonici seu Beneficiati aut Mansionarii in ecclesia cathedrali seu collegiata, quum etiam in eadem vel in alia ecclesia parochialem curam exerceant, dum Missam conventualem canunt diebus festis de praecepto, debent pro populo sibi commisso eam applicare, ac proinde nequeunt eamdem pro ecclesiae benefactoribus specialiter offerre. Sed his quoque obviam itum est, jubendo singulis praedictis, ut Missam conventualem, quam canunt, pro ecclesiae benefactoribus in genere applicent, pro aliis vero, pro quibus ipsi peculiariter Missam applicare tenentur, alterum substituant, qui ipsorum loco Missam hujusmodi celebret applicetque.

§. 18. Aliorum pariter exceptio fuit, quod Missa conventualis non semper a Canonicis aut Dignitatibus celebretur, sed aliquando etiam a Beneficiatis aut Mansionariis, quos minus aequum videtur pro Missae celebratione omni eleemosyna carere, quae unde desumi valeat ignoratur. Cui tamen rei pariter consultum est demandando, ut ea desumatur ex massa distributionum.

§. 19. Alii denique obtenderunt exiguitatem hujusmodi distributionum, quae ob detractam eleemosynam quotidianam pro Missa conventuali ad nihilum fere redactae vix foret ut ab aliquo curarentur, cum magno detrimento servitii ecclesiae praestandi. Tridentina quidem Synodus Sess. XXIV. cap. 15. opportunas rationes ostendit, quibus canonicalium praebendarum inopiae valeat provideri. Si vero designatam a Concilio viam, ut fere evenire solet, nequaquam iniri posse contingat, reliquum erit ad Congr. Conc. recursum habere; cujus erit, perspecto ex vestris relationibus rerum statu, auctoritate Apostolica e Praedecessoribus Nostris eidem impertita et a Nobis etiam praesentium tenore confirmata, quotidianam applicationem Missae conventualis pro benefactoribus in genere, ut alias, ad festos tantummodo dies reducere.

§. 20. Non modo ecclesiis patriarchalibus, metropolitanis, cathedralibus et collegiatis injunctum reperitur, ut quotidie Missa conventualis in eisdem canatur, sed etiam in rubricis generalibus, quarum exactissimam Fraternitatibus vestris custodiam commendamus, praescribitur, ut certis diebus non una, sed binae atque etiam aliquando tres Missae conventuales uno die celebrentur. Itaque quum nuper a Nobis dictum fuerit, primam Missam conventualem quotidie pro benefactoribus in genere celebrandam et applicandam esse: nunc expendendum superest, an earundem ecclesiarum Capitula jurisdictioni vestrae respective subjecta adigere debeatis, ut alias quoque Missas, si plures, ut praefertur, celebrari contigerit, pro benefactoribus in genere similiter applicent.

§. 21. Hujusmodi quaestio ab aliquibus ex Vobis ecclesiastico zelo flagrantibus supradictae Congregationi Ven. Fratrum Conc. Trid. Interpretum proposita est. Iamque ante illius propositionem compertum fuerat, alias ab eadem Congregatione responsum fuisse, concedendam esse exemptionem ab onere applicandi secundam ac tertiam Missam conventualem pro benefactoribus in genere, attenta canonicatuum et beneficiorum tenuitate; ex quo inferri poterat, hujusmodi applicationis debitum manere, ubi de ecclesiis pauperibus non ageretur.

§. 22. Verum quum hanc definiendae quaestionis regulam apud praedictam Congregationem non admodum veteri observantia firmatam probe noverimus, quumque hujusce dubii solutionem eadem Congregatio nuper judicio Nostro remittendam esse censuerit: Nos ita judicamus idque Vobis tenendum indicamus: laudandos nempe et confirmandos esse quotquot sponte sua secundam aut tertiam conventualem Missam pro benefactoribus in genere applicant; qui vero idem agunt ex vi consuetudinis in ipsorum ecclesia vigentis, iis imperandum, ut in ea consuetudine perseverent; ubi vero id usu receptum non invenitur, liberam omnino secundae tertiaeque Missae conventualis applicationem celebrantibus relinquendam esse, dummodo in commemoratione pro defunctis ecclesiae benefactorum in genere non obliviscantur.

§. 23. Huic demum epistolae Nostrae finem imponentes Fraternitates vestras enixe hortamur, ut maximam curam et vigilantiam in id conferatis, ut in ecclesiarum vestrarum choris praeter devotam celebrationem debitamque applicationem Missae conventualis horae canonicae non praepropere, sed exacte, pausa nempe interposita, et maxima, qua decet, reverentia ac religione canantur.

§. 24. Equidem scimus, in aliquibus metropolitanis et cathedralibus ecclesiis inter Canonicos eam opinionem invaluisse, ut se munus suum satis implere contendant, dum choro praesentes assistunt, licet ipsi sibi silentium imperent, neque psallentibus beneficiatis aut mansionaris in cantu se adjungant. In hujusce vero opinionis confirmationem adduci ab iisdem solent inveteratae consuetudines, statuta peculiaria aut etiam praetensa ecclesiarum suarum privilegia. At quum Synodus Trid. Sess. XXIV. cap. 12., loquens de Dignitatibus et Canonicis, qui choro interesse debent, unum ex eorum officiis esse dicat, in choro ad psallendum instituto hymnis et canticis Dei nomen reverenter, distincte devoteque laudare; quumque pauca omnino sint Capitula, in quibus eo modo a Canonicis in choro assistitur, ideoque receptae in universa Ecclesia disciplinae paucos illos adversari dignoscatur; quum insuper opinio illa nunquam in Congr. Concilii Trid. interpretationi proposita examinata sit, quin statim explosa fuerit et improbata, quamvis praesumptis consuetudinibus aliisque fundamentis et rationibus innixa perhiberetur, Canonicis etiam ecclesiarum patriarchalium hujus Nostrae Urbis super hoc instantibus; quum denique idem judicium prolatum reperiatur a pluribus Conciliis provincialibus ab hac etiam Apostolica Sede approbatis et confirmatis: nihil jam reliquum esse videtur, quominus pauciores universorum legi se accommodent. Equidem minime Nobis compertum est, quo peculiari titulo suffulti persuasum habeant unius vel alterius ecclesiae Canonici, se muneri suo satisfacere per simplicem in choro assistentiam absque divinae psalmodiae cantu. Verum, nisi illis praesto sit Apostolicum non praesumptum vel abrogatum, sed legitimum ac vigens Privilegium sive Indultum, jure ac merito verendum est, ne isti, dum ita se gerunt, praebendarum ac distributionum fructus minime suos faciant, et consequenter ne ad eorum restitutionem teneantur. Quapropter vestrum erit, Venerabiles Fratres, haec omnia illis aperire, ut neque Nobis neque Vobis apud divinum judicem fraudi sit, si in hujusmodi re, quae tanti est momenti, utpote quae ad ipsius Dei cultum proxime spectat, abusus et corruptelas, quas arguendo et increpando evellere debebamus, dissimulatione ac silentio nostro fovisse et confirmasse inveniamur. Interea Fraternitatibus vestris, quas intimo cordis affectu complectimur, Apostolicam Benedictionem amantissime impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 19. Augusti 1744, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Nr. 4.

1741. 1. Jun. et 1745. 8. Febr. Benedicti Papae XIV. Constitutiones contra Confessarios sollicitantes et complices peccati turpis.

(ad Tit. IV. cap. 7. et 8. p. 140—150.)

Constitutio I. Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. SACRAMENTUM POENITENTIAE, quam secundam post naufragium deperditae gratiae tabulam sancti Patres apte nuncuparunt, Nos licet im-

merentes ad universi Dominici gregis curam superna dispositione vocati, omne studium et pastoralem sollicitudinem adhibere tenemur, ne, quod post amissam baptismi innocentiam datum est divina benignitate perfugium, per daemonum fraudem et hominum Dei beneficiis perverse utentium malitiam, naufragis ac miseris peccatoribus luctuosum evadat exitium; et quod in salutem et curationem animarum a Deo, qui dives est in misericordia, institutum est, execrabili scelestorum quorumdam sacerdotum improbitate in earum perniciem atque interitum vertatur.

§. 1. Dudum quidem a felicis recordationis Gregorio Papa XV. Praedecessore Nostro per suas literas in forma Brevium sub datum Romae apud s. Mariam Majorem die 30. Augusti 1622, Pontificatus sui anno secundo, sapienter provisum fuit contra quoscumque sacerdotes audiendis confessionibus deputatos, ad turpia et inhonesta sollicitantes: et deinceps successivis temporibus ad earum literarum interpretationem ac declarationem plura subinde a Congregatione Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium adversus haereticam pravitatem generalium Inquisitorum sub die 11. mensis Februarii anno Domini 1661 prodierunt decreta, et a rec. mem. Alexandro PP. VII. pariter Praedecessore Nostro in Congregatione generali die 24. Septembr. 1665 coram eo habita, inter alias ab evangelica veritate et sanctorum Patrum doctrina alienas et dissonas propositiones sexta videlicet et septima, huc revocandae, damnatae et prohibitae fuerunt. Nos itaque mature perpendentes, quanti momenti sit ad aeternam animarum salutem ea ubique exacte observari, et quanti ad infirmas oves curandas et decorem s. Ecclesiae Dei retinendum intersit, ne aliqui sacerdotes Poenitentiae Sacramento nefarie abutentes, poenitentibus pro curatione vulnus, pro pane lapidem, pro pisce serpentem, pro medicina venenum porrigant, sed animo secum recolentes, se a Christo Domino praesides et judices animarum constitutos, ea sanctitate, quae sublimitati ac dignitati muneris convenit, tam venerandum Sacramentum administrent: motu proprio et ex certa scientia ac matura deliberatione Nostra praefatas literas hujusmodi, ac omnia et singula decreta praedicta ad illarum interpretationem et declarationem emanata, Apostolica Auctoritate tenore praesentium approbamus et confirmamus, illisque omnibus et singulis inviolabilis Apostolicae firmitatis robur adjicimus: atque etiam, quatenus opus sit, denuo committimus et mandamus omnibus haereticae pravitatis Inquisitoribus et locorum Ordinariis omnium regnorum, provinciarum, civitatum, dominiorum et locorum universi orbis christiani in suis respective dioecesibus, ut diligenter, omnique humano respectu postposito, inquirant et procedant contra omnes et singulos sacerdotes tam saeculares quam regulares quomodolibet exemptos, ac Sedi Apostolicae immediate subjectos, quorumcumque ordinum, institutorum, societatum et congregationum, et cujuscumque dignitatis, et praeeminentiae, aut quovis privilegio et indulto munitos, qui aliquem poenitentem, quaecumque persona illa sit, vel in actu sacramentalis confessionis, vel ante vel immediate post confessionem, vel occasione aut praetextu confessionis, vel etiam extra occasionem confessionis in confessionali sive in alio loco ad confessiones audiendas destinato aut electo, simulatione audiendi ibidem confessionem, ad inhonesta et turpia sollicitare vel provocare, sive verbis sive si-

gnis, sive nutibus sive tactu, sive per scripturam aut tunc aut post legendam, tentaverint, aut cum eis illicitos et inhonestos sermones vel tractatus temerario ausu habuerint: et quos in aliquo ex hujusmodi nefariis excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate et circumstantiis severe animadvertant per condignas poenas, juxta memoratam Gregorii Praedecessoris Nostri Constitutionem, quam hic de verbo ad verbum pro inserta haberi volumus: dantes etiam, si opus sit, et rursus concedentes facultatem, ne delictum tam enorme et Ecclesiae Dei injuriosum remaneat ob probationum defectum impunitum, jam alias in praefata Constitutione tributam procedendi cum testibus etiam singularibus, dummodo praesumptiones, indicia et alia adminicula concurrant.

§. 2. Meminerint praeterea omnes et singuli sacerdotes ad confessiones audiendas constituti, teneri se ac obligari, suos poenitentes, quos noverint fuisse ab aliis ut supra sollicitatos, sedulo monere juxta occurrentium casuum circumstantias de obligatione denuntiandi locorum Ordinariis praedictis personam, quae sollicitationem commiserit, etiamsi sacerdos sit, qui jurisdictione ad absolutionem valide impertiendam careat, aut sollicitatio inter Confessarium et poenitentem mutua fuerit, sive sollicitationi poenitens consenserit, sive consensum minime praestiterit, vel longum tempus post ipsam sollicitationem jam effluxerit, aut sollicitatio a Confessario non pro se ipso, sed pro alia persona peracta fuerit. Caveant insuper diligenter Confessarii, ne poenitentibus, quos noverint jam ab alio sollicitatos, sacramentalem absolutionem impertiant, nisi prius denuntiationem praedictam ad effectum perducentes delinquentem indicaverint competenti judici, vel saltem se, cum primum poterunt, delaturos spondeant ac promittant.

§. 3. Et quoniam improbi quidam homines reperiuntur, qui vel odio vel ira vel alia indigna causa commoti, aliorum impiis suasionibus aut promissis, aut blanditiis aut minis, aut alio quovis modo incitati, tremendo Dei judicio posthabito et Ecclesiae auctoritate contempta, innoxios sacerdotes apud ecclesiasticos judices falso sollicitationis insimulant: ut igitur tam nefaria audacia et tam detestabile facinus metu magnitudinis poenae coërceatur, quaecumque persona, quae execrabili hujusmodi flagitio se inquinaverit, vel per seipsum innocentes Confessarios impie calumniando vel sceleste procurando, ut id ab aliis fiat, a quocumque sacerdote quovis privilegio, auctoritate et dignitate munito, praeterquam a Nobis Nostrisque Successoribus, nisi in fine vitae et excepto mortis articulo, spe absolutionis obtinendae, quam Nobis et Successoribus praedictis reservamus, perpetuo careat.

§. 4. Demum magnopere cupientes a sacerdotalis judicii et sacri tribunalis sanctitate omnem turpitudinis occasionem et Sacramentorum contemptum et Ecclesiae injuriam longe summovere et tam exitiosa hujusmodi mala prorsus eliminare, et, quantum in Domino possumus, animarum periculis occurrere, quas sacrilegi quidam, daemonis potius quam Dei ministri, loco eas per Sacramentum Creatori suo ac nostro reconciliandi, majori peccatorum mole onerantes in profundum iniquitatis barathrum nefarie submergunt, nonnullorum Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium et aliquorum in theologia Magistrorum consilio desuper adhibito, accedentibus quoque iteratis plurium Episcoporum supplicati-

onibus, hac Nostra in perpetuum valitura sanctione, quemadmodum a pluribus Episcopis per synodales suas constitutiones jam factum esse novimus, omnibus et singulis sacerdotibus, tam saecularibus quam regularibus cujuscumque ordinis ac dignitatis, tametsi alioquin ad confessiones excipiendas approbatis et quovis privilegio et indulto, etiam speciali expressione et specialissima nota et mentione digno suffultis, Auctoritate Apostolica et Nostrae potestatis plenitudine interdicimus et prohibemus, ne aliquis eorum extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo, et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto contra sextum decalogi praeceptum commisso excipere audeat, sublata propterea illi ipsi quacumque auctoritate et jurisdictione ad qualemcumque personam ab hujusmodi culpa absolvendam, adeo quidem, ut absolutio, si quam impertierit, nulla, atque irrita omnino sit, tamquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione ac facultate ad valide absolvendum necessaria privatus existit, quam ei per praesentes has Nostras adimere intendimus: et nihilominus, si quis Confessarius secus facere ausus fuerit, majoris quoque excommunicationis poenam, a qua absolvendi potestatem Nobis solis Nostrisque Successoribus dumtaxat reservamus, ipso facto incurrat.

§. 5. Declarantes etiam et decernentes, quod nec etiam in vim cujuscumque Jubilaei aut etiam Bullae, quae appellatur Cruciatae Sanctae, aut alterius cujuslibet Indulti, confessionem dicti complicis hujusmodi quisquam valeat excipere, eique sacramentalem absolutionem elargiri; cum ad hunc effectum et in hoc casu nullus confessarius, utpote qui in hujusmodi peccati et poenitentis genere jurisdictione, ut praefertur, careat et absolvendi facultate a Nobis privatus existat, habendus sit pro confessario legitimo et approbato. Non obstantibus Constitutionibus et Ordinationibus Apostolicis, praesertim, quae nuncupantur Cruciatae Sanctae vel Jubilaei universalis et plenarii, nec non quibusvis ecclesiarum et monasteriorum et Ordinum quorumlibet, quorum ipsi sacerdotes fuerint, etiam juramento, confirmatione Apostolica vel quavis firmitate alia roboratis, statutis et consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis et literis apostolicis sub quibuscumque tenoribus et formis, ac cum quibusvis clausulis et decretis, etiam motu proprio aut alias quomodolibet concessis, etiam iteratis vicibus approbatis et innovatis, quibus omnibus, eorum tenores praesentibus pro expressis habentes hac vice dumtaxat specialiter et expresse derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 6. Volumus demum ac praecipimus, ut omnes locorum Ordinarii, tam praesentes quam futuri pro tempore existentes, in approbatione Confessariorum tam praedictam Constitutionem Gregorii Praedecessoris Nostri, quam praesentem hanc Nostram ab omnibus sacerdotibus approbandis attente legi et accurate observari curent, moneantque eos in Domino atque hortentur, ut sacrum ministerium ipsorum fidei commissum summa animi innocentia, morum puritate, judicii integritate peragant, exhibeantque semetipsos ut ministros Christi et dispensatores mysteriorum Dei. Memores praeterea sint, se locum tenere ac vices obire summi atque aeterni Sacerdotis, qui sanctus, innocens, impollutus per Spiritum Sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, ut emundaret conscientiam nostram ab operibus mor-

tuis, ad serviendum Deo viventi. Sedulo igitur studeant diligenterque caveant, ne quaerentibus et pulsantibus eorum culpa caelum claudatur, ne deperditae oves ad ovile Dominicum redire properantes eorum manibus ferarum dentibus dilaniandae tradantur, ne prodigi filii egentes et saucii, ad caelestem Patrem revertentes, nefaria eorum improbitate gravioribus peccatorum vulneribus, dum adhuc in via sunt, confodiantur.

§. 7. Ut autem praesentes literae ad omnium notitiam facilius deveniant, et nemo illarum ignorantiam allegare valeat, volumus illas seu earum exempla ad valvas ecclesiae Lateranensis et basilicae Principis Apostolorum, nec non cancellariae Apostolicae curiaeque generalis in Monte Citatorio, ac in acie Campi Florae de Urbe, ut moris est, affigi et publicari, sicque publicatas et affixas omnes et singulos, quos illae concernunt, perinde arctare et afficere, ac si unicuique eorum nominatim et personaliter intimatae fuissent: utque ipsarum praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo alicujus personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides tam in judicio quam extra illud ubique adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur, si forent exhibitae vel ostensae.

§. 8. Nulli ergo omnino hominum liceat, paginam hanc Nostrae voluntatis, sanctionis, praecepti, mandati et derogationis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae 1741, Kalendis Junii, Pontificatus Nostri Anno Primo.

Constitutio II. declarans Constitutionem superiorem. Benedictus Papa XIV. Ad futuram rei memoriam. APOSTOLICI MUNERIS partes in procuranda praecipue rerum sacrarum pura illibataque penitus administratione versari debere probe intelligentes, non modo et assiduis hortationibus et justa, ubi res postulat, legum severitate, ut ab ecclesiasticis quibusque ministris sancta sancte tractentur, quantum cum Domino possumus, providere studemus; verum etiam leges ipsas, ne forte sinistris interpretationibus in alterutram extremam partem aut immoderati rigoris aut detestabilis laxitatis perperam detorqueantur, opportune communire ac roborare, pro earumdem tuendo vigore, cum occasio poposcerit, non praetermittimus.

§. 1. Sane cum Nos alias per quamdam Nostram Constitutionem, cujus initium est: Sacramentum poenitentiae, anno Incarnationis Dominicae millesimo septingentesimo quadragesimo primo Kal. Junii Pontificatus Nostri anno primo editam omnibus et singulis sacerdotibus tam saecularibus quam regularibus interdixerimus et prohibuerimus: ne aliquis eorum, extra casum extremae necessitatis, nimirum in ipsius mortis articulo et deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui Confessarii munus obire possit, confessionem sacramentalem personae complicis in peccato turpi atque inhonesto, contra sextum decalogi praeceptum commisso, excipere auderet; ita ut absolutio, si quam impertivisset, nulla atque irrita omnino esset, tamquam impertita a sacerdote, qui jurisdictione et facultate,

ad valide absolvendum necessaria, ipsi per nos vigore ejusdem Constitutionis adempta, privatus existeret, et alias prout in memorata Constitutione, cujus tenorem praesentibus pro plene et sufficienter expresso et inserto haberi volumus, uberius dicitur contineri. Cum Nos subinde super ea dictae Constitutionis parte, quae mortis articulum respicit, dubitationes quasdam exortas fuisse acceperimus, quarum resolutionem privato cujusque judicio relinquendam minime existimamus, ne lex incertis conjecturis et opinionibus jactata in sensus a mente Nostra alienos forsitan distrahatur, ejusque vigor paulatim langueat atque enervetur.

§. 2. Hinc est, quod Nos omnem dubitandi rationem, quantum cum Domino possumus, de medio auferre cupientes, motu proprio ac ex certa scientia et matura deliberatione Nostris, deque Apostolicae potestatis plenitudine memoratam Constitutionem Nostram cum omnibus et singulis in ea contentis tenore praesentium, quatenus opus sit, confirmamus, illamque integre, penitus et omnino, atque ab illis, ad quos spectat et pro tempore quandocumque spectabit, inviolabiliter et inconcusse observari praecipimus et mandamus. Praeterea, habita super his cum venerabili Fratre Nostro Vincentio, Episcopo Praenestino, sanctae Romanae ecclesiae Cardinali Petra nuncupato, Poenitentiario Nostro Majori, ac dilectis Filiis officii Poenitentiariae Apostolicae Ministris, qui rem jussu Nostro mature perpenderunt, deliberatione, motu, scientia et potestatis plenitudine paribus, edicimus ac declaramus: eadem Constitutione singulis, ut supra, sacerdotibus, quemadmodum interdictum non est in mortis articulo personam in praedicto turpi peccato complicem confitentem audire atque ab hujusmodi quoque culpa rite contritam absolvere, deficiente tunc quocumque alio sacerdote, qui Confessarii munus obire possit ita interdici reipsa et prohiberi praedicto modo tunc audire et absolvere, ut, si alius aliquis sacerdos non defuerit, etiamsi forte iste alius simplex tantummodo sacerdos fuerit, sive alias ad confessiones audiendas non approbatus, possit nihilominus ipse sacerdos simplex confessionem excipere ac absolutionem impertiri.

§. 3. Porro, si casus urgentis qualitas et concurrentes circumstantiae, quae vitari non possint, ejusmodi fuerint, ut alius sacerdos ad audiendam constitutae in dicto articulo personae confessionem vocari aut accedere, sine gravi aliqua exoritura infamia vel scandalo, nequeat, tunc alium sacerdotem perinde haberi censerique posse, ac si revera abesset atque deficeret; ac proinde in eo rerum statu non prohiberi socio criminis sacerdoti absolutionem poenitenti ab eo quoque crimine impertiri. Sciat autem complex ejusmodi sacerdos et serio animadvertat, fore se reipsa coram Deo, qui irrideri non potest, reum gravis adversus praedictam Nostram Constitutionem inobedientiae latisque in ea poenis obnoxium, si praedictae infamiae aut scandali pericula sibi ultro ipse confingat, ubi non sunt: imo intelligat, teneri se graviter hujusmodi pericula, quantum in se erit, antevertere vel removere opportunis adhibitis mediis; unde fiat, ut alteri cuivis sacerdoti locus pateat illius confessionis absque ullius infamia vel scandalo audiendae. Ita enim ipsum teneri vigore memoratae Nostrae Constitutionis declaramus, et nunc quoque ita ipsi faciendum esse districte mandamus et praecipimus.

§. 4. Quod si idem sacerdos aut quovis modo sese nulla gravi necessitate compulsus ingesserit, aut ubi infamiae vel scandali periculum timetur, si alterius sacerdotis opera requirenda sit, ipse ad id periculum avertendum congrua media adhibere de industria neglexerit, atque ita personae in dicto crimine complicis eoque in articulo, ut praefertur, constitutae sacramentalem confessionem excipere, ab eoque crimine absolutionem largiri nulla, sicut praemittitur, necessaria causa cogente praesumpserit, quamvis hujusmodi absolutio valida futura sit, dummodo ex parte poenitentis dispositiones a Christo Domino ad Sacramenti Poenitentiae valorem requisitae non defuerint (non intendimus enim pro formidando mortis articulo eidem sacerdoti, quantumvis indigno, necessariam jurisdictionem auferre, ne hac ipsa occasione aliquis pereat): nihilominus sacerdos ipse violatae ausu ejusmodi temerario legis poenas nequaquam effugiet, ac propterea latam in dicta Constitutione majorem excommunicationem eodemque plane modo, quo ibidem decernitur, Nobis et huic Sanctae Sedi reservatam incurret, prout illum eo ipso incurrere declaramus, volumus atque statuimus. Non obstantibus omnibus et singulis illis, quae in praefata Nostra Constitutione voluimus non obstare, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 5. Volumus autem, ut earumdem praesentium literarum transumptis seu exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis et Sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides in judicio et extra illud ubique locorum habeatur, quae haberetur ipsis praesentibus, si forent exhibitae vel ostensae.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die octava Februarii anno 1745, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Decretum. In generali Congregatione sanctae Romanae et universalis Inquisitionis, habita in palatio Apostolico Quirinali coram Sanctissimo Domino nostro Domino Benedicto, divina providentia Papa XIV., et Eminentissimis ac Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus adversus haereticam pravitatem Inquisitoribus generalibus, a Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis, sanctissimus Dominus noster sollicite animadvertens, quam grave sit delictum illorum perditorum hominum, qui sacrosancto Missae sacrificio ac salutaris Poenitentiae Sacramento, ad animarum reparationem a Christo Domino institutis, in illarum perniciem et damnationem abutuntur, decrevit: „quod in posterum sacerdotes tam saeculares, quam regulares cujuscumque ordinis, instituti, congregationis et societatis, etiam de necessitate exprimendae, vel in actu sacramentalis confessionis, sive illius occasione aut praetextu, ad turpia sollicitantes, vel sacrificio Missae abutentes ad sortilegia, praeter poenas jure et Apostolicis Constitutionibus, et signanter sanctae memoriae Sixti V. et Gregorii XV. contra eosdem inflictas, perpetuam etiam inhabilitationem incurrant ad praefati sacrificii celebrationem; quodque ejusmodi Decretum significetur singulis cujuscumque Ordinis Superioribus ac Praepositis ad hoc, ut de illo, sicuti et de praedictis aliisque summorum Pontificum Constitutionibus juxta praescriptum in generali Decreto supremae Inquisitionis die 15. Decembris 1633 semel saltem in anno, id est fe-

ria sexta post Octavam Assumptionis beatae Mariae Virginis in publica mensa vel in Capitulo ad hoc specialiter convocato, ac insuper in quocumque generali vel provinciali Capitulo, vel alio quovis nomine nuncupato capitulari congressu, suos subditos ac religiosos commonendos curent, ejusdemque commonitionis coram suprema Congregatione juratum testimonium exhibeant.

Nr. 5.

1745. 7. Jul. et 1746. 2. Jun. Benedicti Papae XIV. Constitutiones contra Confessarios exquirentes a Poenitentibus complicum nomina.

(ad Tit. IV. cap. 8. p. 147.)

Benedictus Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad futuram rei memoriam. UBI PRIMUM de perversa quadam et absurda praxi in Sacramento Poenitentiae administrando, apud nonnullos Confessarios in Portugalliae et Algarbiorum regnis introduci coepta, non sine animi Nostri dolore, nuntium accepimus, non levi aliquo incertoque rumore ad Nos perlatum, sed ita gravibus solidisque fundamentis innixum, ut prudentem omnino fidem de periculi cum veritate tum magnitudine facerent; praetermittere non potuimus, quin continuo datis ad venerabiles Fratres eorumdem regnorum ac ditionum Archiepiscopos Apostolicis Nostris literis, remedium nascenti malo quam promptissime adhiberemus. Earum vero literarum die septima mensis Julii superioris anni 1745 editarum, quas praesenti huic Nostrae Constitutioni inserendas existimamus, hic tenor erat:

Benedictus Papa XIV. Venerabiles Fratres. Salutem et Apostolicam Benedictionem. SUPREMA OMNIUM ecclesiarum sollicitudo, et divina Jesu Christi, omnium pastorum principis, cujus vices plane immerentes gerimus, charitas assidue urget Nos, ut pro commissa divinitus imbecillitati Nostrae universi Dominici gregis cura semper advigilantes, periculis animarum, sicubi forte superimpenderint, per omnes christiani orbis populos ac nationes opportune, quantum cum Domino possumus, occurramus, atque iis praecipue regnis et locis peculiari quodam Apostolicae Nostrae charitatis studio auctoritatisque providentia consulamus, in quibus, cum fides, religio, pietas quam maxime floreant, callidus humani generis hostis nocere fidelibus dum aperto bello desperat, per insidias molitur, in angelum scilicet sese lucis transfigurans, et ementita boni specie incautis illudens; qua ex arte non minora saepe animarum detrimenta, quam ex aggressione manifesta esse proventura nequissimus veterator confidit. In harum autem fraudum numero computamus, quod in florentissimis Portugalliae et Algarbiorum regnis et ditionibus, quibus Vos Antistites summa cum sacerdotalis virtutis vestrae commendatione praesidetis, et quibus pro singulari erga catholicam Ecclesiam atque Apostolicam hanc Sanctam Sedem observantia meritae debentur laudes, nuper evenisse non sine ingenti animi Nostri dolore cognovimus. Pervenit enim haud ita pridem ad aures Nostras, nonnullos istarum partium Confessarios falsa zeli imagine seduci se passos, sed a zelo secundum scientiam longe aberrantes, per-

versam quamdam et perniciosam praxim in audiendis Christi fidelium confessionibus et in saluberrimo Poenitentiae Sacramento administrando invehere atque introducere coepisse; ut videlicet, si forte in poenitentes incidissent, socium criminis habentes, ab iisdem poenitentibus socii hujusmodi seu complicis nomen passim exquirerent; atque ad illud sibi revelandum non inducere modo suadendo conarentur, sed, quod detestabilius est, denuntiata quoque, nisi revelarent, absolutionis sacramentalis negatione, prorsus adigerent atque compellerent: imo etiam complicis ejusdem nedum nomen, sed habitationis insuper locum sibi exigerent designari. Quam illi quidem intolerandam imprudentiam tum procurandae complicis correctionis aliorumque bonorum colligendorum specioso praetextu colorare, tum emendicatis quibusdam doctorum opinionibus defendere non dubitarent; cum revera opiniones hujusmodi, vel falsas et erroneas sequendo vel veras et sanas male applicando, perniciem tam suis quam poenitentium animabus consciscerent; ac sese praeterea plurium gravium damnorum, quae inde facile consecutura fore praevidere debuerant, reos coram Deo aeterno judice constituerent. Et vero jam secuta fuisse multa ejusmodi damna infelici experientia compertum est: nec fieri potuit, quin ea de causa et oblocutiones et scandala, et non ministrorum tantum, sed sacri etiam ipsius ministerii odium, et animorum ingens conturbatio in populo fideli exorta sint. Tristia Nos haec nuntia cum accepimus, simul audivimus, contra exitialem hujusmodi abusum protinus justa indignatione pro munere suo commotos fuisse dilectos Filios Nostros S. R. E. Cardinales Nunum a Cunha, in iisdem Portugalliae et Algarbiorum regnis generalem Inquisitorem, et Thomam de Almeyda, Patriarcham Lisbonensem, atque utrumque sollicite gliscenti malo compescendo atque etiam eradicando allaborasse. Nos autem, ne in tam gravi animarum discrimine ulla ex parte Apostolico Nostro ministerio deesse videamur, neve mentem hac super re Nostram apud Vos obscuram et ambiguam esse sinamus: notum Vobis esse volumus, memoratam superius praxim penitus reprobandam esse, eamdemque a Nobis per praesentes Nostras in forma Brevis litteras reprobari atque damnari tamquam scandalosam et perniciosam, ac tam famae proximorum quam ipsi etiam Sacramento injuriosam, tendentemque ad sacrosancti sigilli sacramentalis violationem, atque ab ejusdem Poenitentiae Sacramenti tantopere proficuo et necessario usu fideles abalienantem. Eapropter, Venerabiles Fratres, quamquam de pastorali vestra vigilantia nihil est, quod dubitemus: supremi tamen officii quoque Nostri esse censemus, alacritatem ipsam vestram hac mentis Nostrae aperta significatione et Apostolicis insuper hortationibus Nostris intensius acuere et excitare, ut pro se quisque Vestrum opportunioribus, quascumque prudentia suggesserit, initis rationibus, et efficacioribus quibusque juris remediis, quoad opus fuerit, contra delinquentes ministros adhibitis, noxiam hujusmodi novitatem strenue insectemini, ac pene nascentem opprimatis, neque patiamini traditis curae vestrae ovibus ibi offendiculum parari, ubi salus a Christo posita est, ab eoque divinae misericordiae fonte illas averti ac deterreri, ad quem ab eodem Redemptore nostro ad abluendas dealbandasque in sanguine suo animas amantissime invitantur. Interea, dum a zelo vestro ac prudentia luculentiora Nobis

certo pollicemur vestrae pietatis et observantiae argumenta, Apostolicam Benedictionem cum uberrima caelestium charismatum copia conjunctam Vobis, Venerabiles Fratres, ex animo impertimur. Volumus autem, ut praesentium transumptis sive exemplis, etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem prorsus ubique fides adhibeatur, quae praesentibus adhiberetur et adhiberi posset, si forent exhibitae vel ostensae. Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem sub annulo Piscatoris die 7. mensis Julii 1745, Pontificatus Nostri Anno Quinto.

Cajetanus Amatus.

Has porro Nos litteras in forma Brevis tunc datas iterum praesentibus Nostris confirmamus et roboramus, easque ab omnibus et singulis fideliter exacteque observari injungimus atque praecipimus.

Statuentes insuper ac decernentes, ut quicumque cujusvis status, gradus, conditionis, dignitatis et ordinis, etiam speciali et individua, ad effectum, ut hisce Nostris praesentibus comprehendantur, mentione et expressione digni, ausus in posterum fuerit docere, licitam esse hujusmodi praxim, prout ea in relato Nostro Brevi exponitur ac reprobatur, vel scribere aut loqui praesumpserit in ejusdem damnatae praxis defensionem; vel ea, quae in dicto Brevi contra eamdem praxim decreta sunt, impugnare, aut in alienos sensus temere detorquere seu interpretari, incidat ipso facto in excommunicationem, a qua non possit, praeterquam in articulo mortis, ab alio, quacumque etiam dignitate fulgente vel auctoritate suffulto, nisi a Nobis vel a pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Et quia non modo cavendum est, ut, quae sunt a Nobis in praeinsertis literis decreta, ab omni impugnatione, contradictione pravaque interpretatione salva sint et immunia; verum etiam, ne quis in Sacramenti Poenitentiae administratione ab eorum omnimoda observantia umquam recedat; idcirco omnibus et singulis Confessariis utriusque Cleri tam saecularis quam regularis, quantumvis exempti et quacumque speciali et expressa mentione alias fortasse nominandi, graviter et districte, divini interminatione judicii, atque in virtute sanctae obedientiae, prohibemus, ne, conformiter ad praedictam reprobatam praxim, poenitentes, qui peccatum seu crimen aliquod, cujus socium aut socios habuerint, ipsis in tribunali Poenitentiae confiteantur, interrogare praesumant de nomine socii seu complicis, loco habitationis, vel aliis hujusmodi adjunctis sive circumstantiis, expressionem magisque individuam ejusdem complicis manifestationem concernentibus; eidem poenitenti, si manifestare renuerit, sacramentalem absolutionem denegando: alioquin noverint sese, ultra peccati lethalis incursum, suspensioni ab officio audiendarum confessionum aliisque etiam gravioribus poenis fore subjiciendos.

Praeterea, quoniam contra damnatum hujusmodi exitialem abusum, ne cum animarum pernicie radices agat, necesse ducimus modum ac formam etiam in foro externo procedendi, et ultrices adversus reos poenas imponendi, statuere atque ordinare, omnesque super hoc exorituras, vel etiam jam exortas dissensiones componere et penitus amputare, volumus, decernimus ac declaramus:

quod docentes, ut supra, licitam esse praxim a Nobis jam reprobatam, vel in ejusdem praxis defensionem scribentes aut loquentes, vel ejusdem reprobationem in memorato Nostro Brevi contentum impugnantes, aut perverse interpretantes, in Officio sanctae Inquisitionis praedictorum regnorum atque ditionum severe puniantur, et contra eos et eorum quemlibet in eodem Officio procedatur, non minus ac contra illos ibidem procedi solet, qui asserunt, tradunt, tuentur opiniones scandalosas, perniciosas, et uti tales a Sede Apostolica rejectas et condemnatas.

Similiter in eodem Officio procedendum erit et procedi volumus ac statuimus contra Confessarios quoque, ut supra delinquentes, ac de nomine complicis poenitentem interrogantes, eidemque poenitenti, nisi illud sibi manifestet, absolutionem denegantes. Dummodo tamen hujusmodi interrogandi ac denegandi actus talibus circumstantiis conjunctus sit ac convestitus, quae sic agentem Confessarium de adhaesione ad praedictam reprobatam praxim tamquam ad licitam, vel alio quovis modo de prava crudelitate suspectum reddant.

Itaque contra praedictos omnes et singulos delinquentes, tam saeculares quam quorumvis etiam quomodolibet exemptorum ac Sedi Apostolicae immediate subjectorum Ordinum, Institutorum, Societatum et Congregationum regulares, cujuscumque dignitatis ac praeeminentiae, aut quovis privilegio muniti existant et quorum specialis et nominatim mentio facienda sit, praedictorum regnorum ac ditionum Inquisitores, potestate a Nobis tradita, et quatenus opus sit, praesentium tenore de novo concessa, prout in causis fidei, juxta sacrorum canonum formam, nec non sancti Officii Inquisitionis hujusmodi constitutiones, privilegia, consuetudines et decreta diligenter inquirant et procedant, et quos in aliquo ex hujusmodi excessibus culpabiles repererint, in eos pro criminum qualitate et circumstantiis suspensionis ab officio confessiones audiendi, vel etiam ab exsecutione ordinum, privationis beneficiorum, dignitatum, ac perpetuae inhabilitatis ad illa, nec non vocis activae ac passivae, si regulares fuerunt, aliasque poenas decernant; omnes etiam vel earum tantum aliquas in perpetuum vel ad tempus infligendo.

Quicumque vero alium quemlibet aliquo ex supradictis modis deliquisse cognoverint, eum intra terminum dierum, in Edictis sancti Officii ejusmodi Inquisitionis praefigi solitum, eidem sancto Officio denuntiare teneantur; alioquin poenas non denuntiantibus per eadem Edicta infligi consuetas incurrant. Verumtamen ab hujusmodi onere denuntiandi justis de causis eximi volumus et eximimus personam ipsam poenitentem dumtaxat in causa propria, id est in casu, quod suum peccatum confitens a Confessario adigatur ad sibi manifestandum nomen complicis in eodem peccato: tunc enim poenitentem hujusmodi ab obligatione eumdem Confessarium denuntiandi liberamus. Sed quando aliunde, quam ex propria, ut dictum est, confessione, noverit Confessarium aliquo ex superius enumeratis et sancto Officio denuntiandis modis deliquisse, tunc eum et ipse denuntiare ex ista aliunde habita notitia teneatur.

Quod si Confessarii de complicis nomine perperam interrogantis absolutionemque, ni sibi detegatur, denegantis actum contingat ejusmodi esse, ut,

quamvis imprudens et malus, simplex tamen quidam et nudus actus fuerit, id est iis circumstantiis destitutus, quae de prava crudelitate, vel de mala adhaesione ad praxim in saepe dicto Nostro Brevi reprobatam tamquam ad licitam, eumdem Confessarium suspectum reddant; tunc istiusmodi delictum neque denuntiationis oneri neque sancti Officii praedicti cognitioni subjectum erit; sed de illo cognoscere atque in delinquentem Confessarium per suspensionem ab audiendis confessionibus vel alias canonicas et legitimas poenas pro delicti modo animadvertere, ad locorum Ordinarios in sua cujusque dioecesi omnino spectabit.

His igitur circa ordinem, formam modumque contra ejusmodi delinquentes procedendi, ut praefertur, constitutis, ac suis unicuique judici ecclesiastico juribus assignatis et distributis; hanc Nos deinceps regulam ab omnibus observari ac custodiri volumus et mandamus, si quando talia delicta deprehendi contigerit; quae tamen haud umquam posthac eventura in Domino confidimus, accedente insuper praeclara inclytae Lusitanae nationis universae erga Sedem Apostolicam observantia et obedientia, nec non eximia tum istius sanctae Inquisitionis Officii tum cujusque loci Ordinariorum numquam defutura vigilantia. Quapropter quaecumque aliter quam praesentibus Nostris decrevimus et constituimus, sive in Edictis praefati Officii Inquisitionis, sive in quibuslibet quorumvis Ordinariorum mandatis aut pastoralibus literis vel decretis antehac statuta prodierunt, ea Nos quoniam post Apostolicam hanc a Nobis propositam agendi seu judicandi normam, minus necessaria fore censemus, desinere jam et cessare, ac, veluti numquam emanassent, omnem obligandi vim amittere, motu proprio et ex certa scientia deque Apostolicae potestatis plenitudine declaramus, statuimus atque sancimus.

Decernentes, easdem praeinsertas, nec non praesentes Nostras literas et in eis contenta quaecunque etc.

Datum in arce Gandulphi Albanensis dioecesis anno Incarnationis Dominicae 1746, quarto Nonas Junii, Pontificatus Nostri Anno Sexto.

S. Cardin. Passioneus.
D. Datarius.

Nr. 6.

1794. 28. Aug. E Bulla Pii Papae VI. „Auctorem fidei" contra errores quamplures Synodi dioecesanae Pistoriensis. De ecclesiastica regiminis potestate.

(ad Tit. II. cap. 2. p. 41, 42. Tit. IV. cap. 13. p. 165. et Tit. VI. cap. 1—4. p. 202—212.)

De potestate communitati Ecclesiae attributa, ut per hanc pastoribus communicetur.

(Epist. convoc.) 2. Propositio, quae statuit *potestatem a Deo datam Ecclesiae, ut communicaretur pastoribus, qui sunt ejus ministri pro salute animarum;* sic intellecta, ut a communitate fidelium in pastores derivetur ecclesiastici ministerii ac regiminis potestas; *haeretica.*

De capitis ministerialis denominatione Romano Pontifici attributa.

(Decr. de Fide, §. 8.) 3. Insuper, quae statuit *Romanum Pontificem esse caput ministeriale;* sic explicata, ut Romanus Pontifex non a Christo in persona beati Petri, sed ab Ecclesia potestatem ministerii accipiat, qua, velut Petri Successor, verus Christi Vicarius, ac totius Ecclesiae caput, pollet in universa Ecclesia; *haeretica.*

De potestate Ecclesiae quoad constituendam et sanciendam exteriorem disciplinam.

(Decr. de Fide, §§. 13, 14.) 4. Propositio affirmans *abusum fore auctoritatis Ecclesiae, transferendo illam ultra limites doctrinae ac morum, et eam extendendo ad res exteriores, et per vim exigendo id quod pendet a persuasione et corde;* tum etiam, *multo minus ad eam pertinere exigere per vim exteriorem subjectionem suis decretis;* quatenus indeterminatis illis verbis *extendendo ad res exteriores* notet velut abusum auctoritatis Ecclesiae, usum ejus potestatis acceptae a Deo, qua usi sunt et ipsimet Apostoli, in disciplina exteriore constituenda et sancienda; — *haeretica.*

5. Qua parte insinuat, Ecclesiam non habere auctoritatem subjectionis suis decretis exigendae aliter quam per media quae pendent a persuasione; quatenus intendat, Ecclesiam *non habere collatam sibi a Deo potestatem non solum dirigendi per consilia et suasiones, sed etiam jubendi per leges, ac devios contumacesque exteriore judicio ac salubribus poenis coërcendi atque cogendi;* ex Bened. XIV. in Brevi „Ad assiduas", anni 1755 Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis Regni Polon.; — *inducens in systema alias damnatum ut haereticum.*

Jura episcopis praeter fas attributa.

(Decr. de ord. §. 25.) 6. Doctrina Synodi qua profitetur, *persuasum sibi esse, Episcopum accepisse a Christo omnia jura necessaria pro bono regimine suae dioecesis;* perinde ac si ad bonum regimen cujusque dioecesis necessariae non sint superiores ordinationes spectantes sive ad fidem et mores, sive ad generalem disciplinam, quarum jus est penes summos Pontifices et Concilia generalia pro universa Ecclesia; — *schismatica, ad minus erronea.*

7. Item, in eo quod hortatur Episcopum *ad prosequendam naviter perfectiorem ecclesiasticae disciplinae constitutionem; idque, contra omnes contrarias consuetudines, exemptiones, reservationes, quae adversantur bono ordini dioecesis, majori gloriae Dei, et majori aedificationi fidelium:* per id quod supponit, Episcopo fas esse proprio suo judicio et arbitratu statuere et decernere contra consuetudines, exemptiones, reservationes, sive quae in universa Ecclesia, sive etiam in unaquaque provincia locum habent, sine venia et interventu superioris hierarchicae potestatis, a qua inductae sunt aut probatae, et vim legis obtinent; — *inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.*

8. Item, quod et sibi persuasum esse ait, *jura Episcopi a Jesu Christo*

accepta pro gubernanda Ecclesia nec alterari, nec impediri posse, et ubi contigerit horum jurium exercitium quavis de causa fuisse interruptum, posse semper Episcopum ac debere in originaria sua jura regredi, quotiescumque id exigit majus bonum suae ecclesiae; in eo quod innuit, jurium episcopalium exercitium nulla superiori potestate praepediri aut coërceri posse, quandocumque Episcopus proprio judicio censuerit minus id expedire majori bono suae ecclesiae; — *inducens in schisma et subversionem hierarchici regiminis, erronea.*

Jus perperam tributum inferioris ordinis sacerdotibus in decretis fidei et disciplinae.

(Epist. convoc.) 9. Doctrina, quae statuit *reformationem abusuum circa ecclesiasticam disciplinam in Synodis dioecesanis ab Episcopo et parochis aequaliter pendere ac stabiliri debere, ac sine libertate decisionis indebitam fore subjectionem suggestionibus et jussionibus Episcoporum; — falsa, temeraria, Episcopalis auctoritatis laesiva, regiminis hirarchici subversiva, favens haeresi aërianae a Calvino innovatae.*

(Ex epist. convoc., ex epist. ad Vicar. for., ex orat. ad Synod. §. 8. ex sess. 3.) 10. Item doctrina, qua parochi aliive sacerdotes in Synodo congregati pronuntiantur una cum Episcopo judices Fidei, et simul innuitur judicium in causis Fidei ipsis competere jure proprio, et quidem etiam per ordinationem accepto; — *falsa, temeraria, ordinis hierarchici subversiva, detrahens firmitati definitionum judiciorumve dogmaticorum Ecclesiae, ad minus erronea.*

(Orat. Synod. §. 8.) 11. Sententia enuntians, veteri majorum instituto, ab apostolicis usque temporibus ducto, per meliora Ecclesiae saecula servato, receptum fuisse, *ut decreta, aut definitiones, aut sententiae etiam majorum sedium non acceptarentur, nisi recognitae fuissent et approbatae a Synodo dioecesana; — falsa, temeraria, derogans pro sua generalitate obedientiae debitae constitutionibus apostolicis, tum et sententiis ab hierarchica superiore legitima potestate manantibus, schisma fovens et haeresim.*

De sponsalibus et Matrimonio.

(Libell. memorial. circa sponsalia, etc. §. 2.) 58. Propositio, quae statuit sponsalia proprie dicta actum mere civilem continere, qui ad matrimonium celebrandum disponit, eademque civilium legum praescripto omnino subjacere; quasi actus disponens ad Sacramentum non subjaceat sub hac ratione juri Ecclesiae; *falsa, juris Ecclesiae quoad effectus etiam e sponsalibus vi canonicarum sanctionum profluentes laesiva, disciplinae ab Ecclesia constitutae derogans.*

(De Matrim. §§. 7, 11, 12.) 59. Doctrina Synodi asserens, *ad supremam civilem potestatem dumtaxat originarie spectare contractui matrimonii apponere impedimenta ejus generis, quae ipsum nullum reddunt, dicunturque dirimentia;* quod *jus originarium* praeterea dicitur cum *jure dispensandi essentialiter connexum;* subjungens, *supposito assensu vel conniventia principum, potuisse Ecclesiam juste constituere impedimenta dirimentia ipsum contractum matrimonii;* quasi Ecclesia non semper potuerit ac possit in christianorum matrimoniis jure

proprio impedimenta constituere, quae matrimonium non solum impediant, sed et nullum reddant quoad vinculum, quibus christiani obstricti teneantur etiam in terris infidelium, in eisdemque dispensare; *canonum 3, 4, 9, 12, sessionis 24. Concilii Tridentini eversiva, haeretica.*

(Cit. libell. memor. circa sponsal. §. 10.) 60. Item rogatio Synodi ad potestatem civilem, *ut e numero impedimentorum tollat cognationem spiritualem atque illud, quod dicitur publicae honestatis, quorum origo reperitur in collectione Justiniani;* tum ut *restringat impedimentum affinitatis et cognationis, ex quacumque licita aut illicita conjunctione provenientis, ad quartum gradum juxta civilem computationem per lineam lateralem et obliquam; ita tamen, ut spes nulla relinquatur dispensationis obtinendae;* quatenus civili potestati jus attribuit sive abolendi sive restringendi impedimenta Ecclesiae auctoritate constituta vel comprobata; item qua parte supponit, Ecclesiam per potestatem civilem spoliari posse jure suo dispensandi super impedimentis ab ipsa constitutis vel comprobatis; — *libertatis ac potestatis Ecclesiae subversiva, Tridentino contraria, ex haereticali supra damnato principio profecta.*

Nr. 7.

1823. 4. Jul. Pii Papae VII. Literae Apostolicae de usu insignium pontificalium, quibus ex Sedis Apostolicae indulto nonnullae Dignitates gaudent.

(ad Tit. VII. cap. 5. et Append. I. p. 290.)

Pius Episcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. §. 1. DECET ROMANOS PONTIFICES pro impensa ipsorum in Ecclesiae bonum sollicitudine maximopere adniti, ut quae per eos identidem decernuntur privilegia, praestitutis legibus apprime contineantur, ne vitio illorum, quibus ea delata sunt, rectum inde ordinem perturbari, aliorumque jura laedi contingat. Sapienti proinde consilio Praedecessoribus Nostris visum est, re prius per Congregationem Sacris Ritibus praepositam discussa, opportune praefinire, quidnam juris inducant mitrae, ac pontificalium usus, aliaque id genus insignia, quibus placuit Apostolicae Sedi Abbates, Praelatosque nonnullos Episcopo inferiores, et quaedam Canonicorum collegia honestare. Ita sane felicis recordationis Alexander VII. Praedecessor Noster, habita coram se Sacrorum Rituum Congregatione die 27. Septembris anno 1659. Decretum sancivit, quo leges traduntur de usu pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus tributo; itemque felicis pariter recordationis Benedictus XIV. Constitutionem, quae incipit — „In throno justitiae" — editam tertio Calendas Martii anno 1752. ad decreta adprobanda, quae eadem Congregatio vulgaverit de privilegio pontificalium, quo Urbinatense Capitulum haud ita pridem auctum fuerat.

§. 2. Haec vero, aliaque in eam rem data decreta ex ipso temporum lapsu, quandoque etiam ex eorumdem ignoratione sua interdum executione carere, multaque ab ipsorum praescriptionibus plane absona percrebescere dolendum

est, quibus in rei sacrae perniciem converti conspiciuntur, quae ab Apostolicae Sedis indulgentia ad cultum, religionemque in sacrorum tractatione ipso etiam ornatuum splendore liberaliter obvenere. Crebrae idcirco, et graves querelae perlatae ad Nos sunt, ut et episcopalis ordinis majestati consulamus adversus eos, qui ex communione, quam obtrudunt, privilegiorum cuncta pene, quibus episcopalis dignitas splendescit, sibi attributa arbitrantur, et accuratam sacrorum rituum observantiam vindicemus, quos talium concessionum praetextu impune perfringi admonemur.

§. 3. Ne itaque usus hujusmodi inordinatus privilegiorum diuturnitate temporis convalesceret, occurrere tanto huic malo decrevimus, id adhibentes remedii, quod expostulationes illae, quarum aequitatem probe noveramus, efflagitabant: neque remittendam duximus occasionem, quam ex dubiis nuper propositis de usu pontificalium in metropolitana Barensi nacti eramus, ad praestitutas de eo regulas iterum injungendas. Quare, cum rationem rei universam memoratae Rituum Congregationi perpendendam demandaverimus, Decretum ab eadem prolatum est die 27. Augusti anni proxime praeteriti, quod hic adjungimus, videlicet „Ex Romanorum pontificum indulgentia certa quaedam illustria honoris insignia collegiis Canonicorum vel a priscis temporibus adtribui consuevere, quibus et ordinis majestas commendaretur magis, et ipsa sacrorum procuratio splendidiori apparatu ad populorum animos in divinae rei venerationem impensius comparandos effulgeret. Ast cum ea sit rerum humanarum conditio ut quae providentissime constituta primum fuere, pravo deinceps usu, atque a concedentium voluntate plane absono infeliciter pervertantur, id et de canonicalibus privilegiis ut plurimum contingere, graves undique invalescunt querelae hominum et auctoritate, et sapientia praestantium. Nedum enim modus pontificio diplomate praestitutus interdum violari conspicitur, sed id crebro honoris, ac privilegii usurpari, nulla habita locorum, actuum, personarumque ratione, quod vix primoribus ex ecclesiastica hierarchia datum dignoscitur."

„Tanto huic malo convellendo haud semel adlaboravit sacra Rituum Congregatio, quae ad rectam rerum sacrarum actionem ordinandam est praeposita: atque idcirco, quod praecipuum abusuum id genus caput est, privilegium pontificalium collegiis Canonicorum insignioribus liberaliter collatum statis quibusdam conditionibus moderandum curavit praesertim in Panormitana die 22. Aprilis 1684, et in Urbinatensi die 29. Januarii 1752."

„Novis tamen, et deterioribus adhuc percrebescentibus adversus haec instituta consuetudinibus, nonnullisque dubiis nuper delatis super usu pontificalium in metropolitana ecclesia Barensi placuit Sanctissimo Domino Nostro Pio PP. VII. rem universam eidem sacrae Congregationi discutiendam demandare, quae, exquisita prius sententia sacrae Congregationis Caeremonialis Secretarii, itemque Sedis Apostolicae Caeremoniarum Magistri, cunctisque rationum momentis accurate, diligenterque perpensis, edendum censuit Decretum, quo pontificalium privilegia declarentur, certisque legibus ad ritualium praescriptionum normam coërceantur. Ejus porro Decreti articuli sunt, qui sequuntur."

I. Sacra peragere ritu pontificali de jure inhaeret dumtaxat episcopali dignitati.

II. Praelati Episcopo inferiores pontificaliter celebrant ex privilegio, sed ornatu moderatiori, statutis tantum diebus in propriis ecclesiis ab episcopali jurisdictione exemptis, et tenentur in reliquis omnibus adamussim servare generalia decreta Alexandri VII. a Benedicto XIV. confirmata.

III. In ecclesiis non exemptis vetantur iidem pontificalia exercere, etiamsi intercedat expressa Ordinarii loci licentia.

IV. Dignitates, Canonici, Rectores ecclesiarum quocumque nomine insignium, prohibentur ritus et caeremonias pro Episcopis et Praelatis inferioribus designatas in sacris peragendis adhibere, aut ornatum aliquem pontificalem induere, absque speciali Apostolicae Sedis privilegio.

V. Quodcumque privilegium ad augendum insignium quarumdam ecclesiarum splendorem ab Apostolica Sede Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus, aut alio quocumque nomine nuncupatis concessum, utpote laesivum dignitati episcopali, de jure strictissime est interpretandum. Quamobrem nil aliud concessum intelligendum est, nisi illud, quod est speciatim expressum, neque ex indulto uno alterove privilegio trahi potest consequentia ad alia, quae singillatim descripta non fuerint.

VI. Nec tamen, posito privilegio, omnia omnibus aeque competunt, sed discrimine est opus inter Celebrantem, et Assistentes cum insigniis pontificalibus.

VII. Nam Celebranti quaedam competere possunt pontificalia insignia, non item Assistentibus, dum Dignitates, Canonici, Rectores etc. sacra sumere debent indumenta.

VIII. Sub generico ornamentorum pontificalium nomine, quae ex privilegio Apostolica Sedes insignioribus Capitulis quandoque concedit, intelliguntur dumtaxat, ex pluries decisis a sacra Congregatione, caligae, sandalia, nec auro nec argento ornata, sericae item chirothecae, dalmatica, tunicella, annulus cum unica gemma, crux pectoralis sine gemma, mitra simplex ex tela alba cum sericis laciniis rubei coloris.

IX. Hisce omnibus uti poterit solummodo Dignitas, Canonicus, aut Rector solemniter celebrans, nisi forte privilegium non omnia haec, sed aliqua dumtaxat insignia permittat.

X. Qui vero in Missa solemni Diaconum, et Subdiaconum agunt, etiamsi sint Dignitates, Canonici etc. nec mitram, nec ullum aliud pontificale indumentum, nec palmatoriam, si illius privilegio polleant, ad Evangelium et ad Epistolam adhibere poterunt.

XI. Dignitatibus, Canonicis, Rectoribus etc. Missam cum insigniis pontificalibus solemniter celebrare liceat iis dumtaxat diebus, in quibus celebrant vice Episcopi absentis, vel impediti, vel vita functi, aut in quibus Episcopus assistit, vel assistere deberet cum pluviali et mitra. In reliquis diebus, etiamsi solemnibus, celebrent more solito.

XII. In ecclesiis civitatis et dioecesis cum insigniis pontificalibus celebrare ipsis non liceat, nisi in majoribus solemnitatibus, assentiente Episcopo et assistente Capitulo.

XIII. Nunquam vero iisdem utantur in Missis pro defunctis, licet Episcopus assistat cum pluviali et mitra, sed celebrent more solito.

XIV. Si Dignitas, vel Canonicus etc. ab Episcopo designetur pro admittenda aliqua puella ad religiosum habitum, vel novitia, expleto tirocinio, ad solemnem professionem, pontificalibus insigniis uti nequeat, nisi de expressa Episcopi licentia, qua obtenta, iis tantummodo utatur, quae actioni conveniunt.

XV. Cum pontificalibus indumentis celebrans nec faldistorio uti potest, sed sedere debet in scamno cooperto tapete vel panno coloris, qui officio diei respondeat.

XVI. Nequit praeterea tam in solemni, quam in Missa privata sacras vestes sumere ex altari, uti canone, palmatoria, presbytero assistente, salutare populum cum ℣. Pax vobis — loco ℣. Dominus vobiscum — aut trinam dare benedictionem post Missam, vel cum Sacramento, et si quae sunt alia, quae solis competunt de jure Episcopis, et ex privilegio Praelatis inferioribus, dum his pontificalia peragere statis diebus concessum est.

XVII. Dignitates, Canonici, Rectores etc. quando parati assistunt Episcopo pontificaliter celebranti, mitram solummodo adhibere possunt, quam pariter deferre poterunt sacris indumentis, videlicet pluviali vel casula vel dalmatica amicti in processionibus sanctissimi Corporis Christi, benedictionibus candelarum, cinerum, palmarum, etiamsi has functiones peragat Dignitas vel Canonicus loco et vice Episcopi absentis, impediti, aut vita functi.

XVIII. Assistentes Episcopo tam in altari, quam in cathedra quando ministrant vel cum eo operantur, stare debent detectis capitibus.

XIX. Solemniter celebrantes, dum Episcopus sacra assumit indumenta aut solium ascendit, stent sine mitra.

XX. Non liceat eis uti pulvino sub genubus, Episcopo praesertim assistente.

XXI. Non adhibeatur acolythus ad tenendam mitram cum oloserico velo e collo pendente, nisi pro Dignitate, Canonico, Rectore etc. solemniter celebrante, vel Sacramentum in processionibus deferente.

XXII. Dignitates, Canonici, Rectores in processione sanctissimi Corporis Christi sacris indumentis amicti mitram manu deferant, nec eadem caput operiant.

XXIII. Praeterea reliqua omnia, quae non sunt in privilegio expressa, ut vetita censeri debent.

XXIV. In Missis privatis, quoad indumenta, caeremonias, ministros, altaris ornatum a simplicibus sacerdotibus non differant: sumant proinde sacras vestes in secretario, non utantur cruce pectorali, unico ministro contenti sint, non sibi velint aquam ministrari cum pelvi et urceolo, et duae tantum candelae luceant in altari.

XXV. Defuncti nequeunt in loculo efferri, nec tumulari cum mitra.

XXVI. In eorumdem funeribus seu anniversariis super tumulo erigi solito, non apponatur mitra.

XXVII. In insigniis, seu stemmatibus familiae mitra non apponatur, nisi solo in casu, quo expresse concessum sit in literis Apostolicis.

XXVIII. Quod si super praemissis aliquod exoriatur dubium, hoc ad sacram Congregationem deferatur, quae, pro qualitate dubii, providebit.

Si quae vero Capitula amplioribus, ac praeter hujusce Decreti instituta

privilegiis se aucta fuisse arbitrentur, peculiaria haec jura in sacram Congregationem perpendenda deducant, ut quod e canonicarum sanctionum praescripto visum fuerit opportune decernatur.

§. 4. Hoc porro Decretum, ac rationum momenta, ceterasque sanctae Sedis praescriptiones, quibus illud fulcitur, diligenter consideravimus, cumque experientia edoceamur ex minus recto privilegiorum hujusmodi usu, plura incommoda redundare, ac praesertim haud parum detrahi splendori episcopalis dignitatis, quam sartam ubique ac tectam Nostri est muneris protueri, idem Decretum, ut illius dispositio firmius subsistat, atque accuratius observetur ab omnibus, auctoritate Apostolica tenore praesentium adprobamus, et confirmamus, eique perpetuae, inviolabilisque firmitatis robur, vim et efficaciam adjicimus, illudque ab iis omnibus, et singulis, ad quos spectat, et quomodolibet spectabit in futurum firmiter, et inviolabiliter observari et adimpleri, nec ab illius observantia, et adimplemento ullo unquam tempore recedi debere mandamus.

§. 5. Praeterea hisce Nostris Apostolicis literis ea iterum ad observationem revocari volumus, ac, quatenus opus sit, denuo adprobamus et sancimus, quae per Praedecessores Nostros, ac praesertim per felicis recordationis Alexandrum VII. in memorato decreto diei 27. Septembris 1659., illiusque declaratione edita sub die 20. Julii 1660., nec non per fel. record. Benedictum XIV. sua Constitutione, quae incipit — „In throno justitiae" — atque alias per Sacrorum Rituum Congregationem praescripta fuerunt de usu pontificalium Praelatis Episcopo inferioribus, et Canonicis attributo.

§. 6. Quocirca venerabilibus Fratribus Patriarchis, Primatibus, Archiepiscopis, et Episcopis, aliisque locorum Ordinariis per Apostolica scripta mandamus, ut praesentes Nostras literas, atque omnia et singula in eis statuta faciant auctoritate Nostra debitae executioni demandari, illasque inviolabiliter observari, contradictores et inobedientes quoslibet, per opportuna juris et facti remedia, appellatione postposita, compescendo.

§. 7. Praesentes autem literas etc. §. 8. Non obstantibus etc.

Datum Romae apud sanctam Mariam Majorem anno Incarnationis Dominicae 1823. quarto Nonas Julias, Pontificatus Nostri Anno Vicesimo Quarto.

Nr. 8.

1841. 22. Maj. Gregorii Papae XVI. Instructio ad Archiepiscopos et Episcopos Austriacae ditionis in foederatis Germaniae partibus de matrimoniis mixtis.

(ad Tit. IV. cap. 12. p. 161—165.)

CUM ROMANUS PONTIFEX, pro imposito sibi divinitus Apostolici officii munere, sacrae doctrinae ac disciplinae integritati cavere studiosissime debeat; non potest non moleste ferre graviterque improbare, quidquid in earum discrimen induci fortasse contingat. Exploratum porro satis superque est, quid Ecclesia de matrimoniis catholicos inter et acatholicos perpetuo senserit. Ipsa

nimirum tamquam illicitas planeque pernitiosas semper habuit ejusmodi nuptias, tum ob flagitiosam in divinis rebus communionem, tum ob impendens catholico conjugi perversionis periculum, pravamque sobolis institutionem. Atque huc omnino pertinent antiquissimi canones illas severe interdicentes, et recentiores summorum Pontificum sanctiones, a quibus speciatim recensendis juvat abstinere; cum ea abunde sufficiant, quae in rem disseruit insignis memoriae Pontifex Benedictus XIV. in Encyclicis literis ad Poloniae regni Episcopos, atque in celebratissimo opere, quod de Synodo Dioecesana inscriptum est. Quodsi aliquid de canonum severitate remittens Apostolica Sedes mixta istiusmodi matrimonia quandoque permisit, in gravibus duntaxat de causis aegreque admodum fecit, et nonnisi expressa sub conditione de praemittendis opportunis cautionibus, non modo ut conjux catholicus ab acatholico perverti non posset, quin potius ille teneri se sciret ad hunc pro viribus ab errore retrahendum; sed insuper ut proles utriusque sexus ex hisce conjugiis procreanda in catholicae religionis sanctitate omnino educaretur. Quae certe cautiones in ipsa naturali ac divina lege fundantur, in quam procul dubio gravissime peccat, quisquis se vel futuram sobolem perversionis periculo temere committat.

Jam vero accepit non ita pridem Sanctissimus Dominus Noster Gregorius divina providentia PP. XVI., per istas dioeceses Austriacae ditionis in foederatis Germaniae partibus abusum passim invaluisse, ut matrimonia catholicos inter et acatholicos, nulla licet accedente Ecclesiae dispensatione, nec praeviis necessariis cautionibus, per catholicos parochos benedictione, sacrisque ritibus honestarentur. Ac propterea facile intelligitur, quo dolore exinde affici debuerit; maxime cum invectam ita lateque propagatam perspiceret omnimodam mixtarum nuptiarum libertatem, atque adeo magis indies promotum funestissimum, uti vocant, indifferentismum in religionis negotio intra vastissimae illius ditionis fines, quae catholico nomine tantopere gloriatur. Nec sane sanctissimi, quo fungitur, muneris partes fuisset praetermissurus, si res ante innotuisset. Hanc autem Pontificii silentii causam ex eo etiam pronum est conjicere, quod vel nuperis temporibus nulla prorsus ad promiscuas nuptias istic ineundas Apostolica dispensatio fuerit concessa, nisi praescriptis necessariis conditionibus, injunctisque regulis, quae ex Sanctae Sedis instituto servari consueverunt.

Inter haec tamen non parum solatii Sanctitati Suae allatum est quod una pariter noverit, plerumque earundem dioecesium Antistites permotos praesertim Apostolicis in rem ipsam declarationibus ad alias regiones spectantibus, pastorali sollicitudine incubuisse ad praxim illam, uti Ecclesiae principiis ac legibus adversantem, pro viribus tollendam. Proinde debitas rependens laudes ipsorum zelo Sanctissimus Dominus eos hortari ac vehementius etiam excitare non desistit, ut constanti studio pergant Catholicae Ecclesiae doctrinam ac disciplinam tueri, solertissime curantes, ne pravus usus reviviscat, atque ubi adhuc superest illius germen, funditus eradicetur.

Verum non potuit Sanctitas Sua non mature respicere ad maximas difficultates et molestias, quibus memorati Antistites subditusque iis Clerus identidem premuntur, quemadmodum liquet ex literis, quas Archiepiscopi earum

regionum ad ipsam Sanctitatem Suam miserunt; opportunum super gravissimo hoc negotio Apostolicae auctoritatis auxilium atque adjumentum implorantes. Cupiens hinc, salvis catholicae doctrinae principiis, unde nec minimum deflectere fas est, quantum pro supremi Apostolatus munere valeat, subvenire difficilibus istarum dioecesium circumstantiis, ortasque inde Antistitum angustias minuere; eam ibidem statuit adhibendam, et praesenti Instructione significandam tolerantiae prudentiaeque rationem, qua Apostolica Sedes mala illa patienter solet dissimulare, quae vel impediri omnino nequeunt, vel si impediantur, funestioribus etiam incommodis facilem aditum possunt patefacere.

Siquidem igitur in praedictis dioecesibus quandoque fiat, ut, conantibus licet contra per debitas suasiones hortationesque sacris pastoribus, catholicus vir aut mulier in contrahendi matrimonii mixti citra necessarias cautiones sententia persistat, et aliunde res absque gravioris mali scandalique periculo in religionis perniciem inverti plane non possit: simulque in Ecclesiae utilitatem et commune bonum vergere posse agnoscatur, si hujuscemodi nuptiae, quantumvis illicitae ac vetitae, coram catholico Parocho potius, quam coram ministro acatholico, ad quem partes facile fortasse confugerent, celebrentur; tunc Parochus catholicus aliusve sacerdos ejus vice fungens poterit iisdem nuptiis materiali tantum praesentia, excluso quovis ecclesiastico ritu, adesse, perinde ac si partes unice ageret meri testis, ut ajunt, qualificati seu auctorizabilis: ita scilicet, ut utriusque conjugis audito consensu, deinceps pro suo officio actum valide gestum in matrimoniorum librum referre queat. His tamen in circumstantiis haud impari, imo impensiori etiam conatu et studio per praenuntiatos Antistites et Parochos elaborandum erit, ut a catholica parte perversionis periculum, quoad fieri possit, amoveatur; ut prolis utriusque sexus educationi in religione catholica, quo meliori liceat modo, prospiciatur, atque ut conjux catholicae fidei adhaerens serio admoneatur, de obligatione, qua tenetur, curandi pro viribus acatholici conjugis conversionem, quod ad veniam patratorum criminum facilius a Deo obtinendam erit opportunissimum.

Ceterum Sanctissimus Dominus intime dolens, quod haec tolerantiae ratio erga ditionem catholicae fidei professione insignem fuerit ineunda, Antistites ipsos per viscera Jesu Christi, cujus personam in terris gerit, tota animi contentione obtestatur, ut id demum in tam gravi negotio agere studeant, quod, implorato Spiritus Sancti lumine, istiusmodi fini revera censuerint respondere, atque illud una simul satagant, ne tali tolerantiae ratione erga homines mixta connubia illicite contracturos contingat, ut in catholico populo extenuetur memoria canonum ea matrimonia detestantium, et constantissimae curae, qua Sancta Mater Ecclesia filios suos avertere studet ab illis in suarum animarum jacturam contrahendis. Quare eorundem Antistitum et Parochorum erit, in erudiendis sive privatim sive publice fidelibus, flagrantiori in posterum zelo doctrinam et leges ad ea connubia pertinentes commemorare, accuratumque illarum custodiam injungere. Quae quidem omnia ex spectata ipsorum religione, fide et in B. Petri Cathedram reverentia Sanctitas Sua sibi certissime pollicetur.

Datum Romae die 22. Maji Anno Domini 1841. A. Card. Lambruschini.

Nr. 9.

1846. 9. Nov. SS. Domini Nostri Pii Papae IX. Epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos et Episcopos.

(ad Tit. I. II. et III. diversis locis.)

PIUS PP. IX. Venerabiles Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. QUI PLURIBUS jam abhinc annis una Vobiscum, Venerabiles Fratres, episcopale munus plenum laboris, plenum sollicitudinis pro viribus obire, ac Dominici gregis partem curae Nostrae commissam pascere nitebamur in montibus Israel, in rivis et pascuis uberrimis, ecce ob mortem clarissimi Praedecessoris Nostri Gregorii XVI., cujus certe memoriam, atque illustria et gloriosa facta aureis notis inscripta in Ecclesiae fastis semper admirabitur posteritas, praeter omnem opinionem cogitationemque Nostram, arcano divinae Providentiae consilio, ad Summum Pontificatum, non sine maxima animi Nostri perturbatione ac trepidatione evecti fuimus. Etenim si semper grave admodum et periculosum Apostolici ministerii onus merito est habitum atque habendum, hisce quidem difficillimis christianae reipublicae temporibus vel maxime formidandum. Itaque infirmitatis Nostrae probe conscii, et gravissima supremi Apostolatus officia, in tanta praesertim rerum vicissitudine, considerantes tristitiae et lacrimis Nos plane tradidissemus, nisi omnem spem poneremus in Deo salutari Nostro, qui numquam derelinquit sperantes in Eo, quique, ut potentiae suae virtutem ostendat, ad suam regendam Ecclesiam infirmiora identidem adhibet, quo magis magisque omnes cognoscant Deum ipsum esse, qui Ecclesiam admirabili sua providentia gubernat atque tuetur. Illa etiam consolatio Nos vehementer sustentat, quod in animarum salute procuranda Vos socios et adjutores habeamus, Venerabiles Fratres, qui in sollicitudinis Nostrae partem vocati, omni cura et studio ministerium vestrum implere, ac bonum certamen certare contenditis. Hinc ubi primum in sublimi hac Principis Apostolorum Cathedra, licet immerentes, collocati in persona Beati Petri gravissimum munus ab ipso aeterno Pastorum Principe divinitus tributum accepimus pascendi ac regendi non solum agnos, universum scilicet Christianum populum, verum etiam oves, hoc est Antistites, nihil certe Nobis potius, nihil optabilius fuit, quam ut intimo caritatis affectu Vos omnes alloqueremur. Quamobrem vix dum ex more institutoque Decessorum Nostrorum in Nostra Lateranensi Basilica Summi Pontificatus possessionem suscepimus, nulla interposita mora has ad Vos Literas damus, ut eximiam vestram excitemus pietatem, quo majore usque alacritate, vigilantia, contentione custodientes vigilias noctis super gregem curae vestrae commissum, atque episcopali robore et constantia adversus teterrimum humani generis hostem dimicantes, veluti boni milites Christi Jesu, strenue opponatis murum pro Domo Israel.

Neminem Vestrum latet, Venerabiles Fratres, hac nostra deploranda aetate acerrimum ac formidolosissimum contra catholicam rem universam bellum ab iis hominibus conflari, qui nefaria inter se societate conjuncti, sanam non sus-

tinentes doctrinam, atque a veritate auditum avertentes, omnigena opinionum portenta e tenebris eruere, eaque totis viribus exaggerare, atque in vulgus prodere et disseminare contendunt. Horrescimus quidem animo et acerbissimo dolore conficimur, cum omnia errorum monstra, et varias multiplicesque nocendi artes, insidias, machinationes mente recogitamus, quibus hi veritatis et lucis osores, et peritissimi fraudis artifices omne pietatis, justitiae, honestatis studium in omnium animis restinguere, mores corrumpere, jura quaeque divina et humana perturbare, catholicam religionem, civilemque societatem convellere, labefactare, immo, si fieri umquam posset, funditus evertere commoliuntur. Noscitis enim, Venerabiles Fratres, hos infensissimos christiani nominis hostes, caeco quodam insanientis impietatis impetu misere raptos, eo opinandi temeritate progredi, ut inaudita prorsus audacia aperientes os suum in blasphemias ad Deum [1]) palam publiceque edocere non erubescant, commentitia esse, et hominum inventa sacrosancta nostrae religionis mysteria, catholicae Ecclesiae doctrinam humanae societatis bono et commodis adversari, ac vel ipsum Christum et Deum ejurare non extimescant. Et quo facilius populis illudant, atque incautos praesertim et imperitos decipiant, et in errores secum abripiant, sibi unis prosperitatis vias notas esse comminiscuntur, sibique philosophorum nomen arrogare non dubitant, perinde quasi philosophia, quae tota in naturae veritate investiganda versatur, ea respuere debeat, quae supremus et clementissimus ipse totius naturae auctor Deus singulari beneficio et misericordia hominibus manifestare est dignatus, ut veram ipsi felicitatem et salutem assequantur. Hinc praepostero sane et fallacissimo argumentandi genere numquam desinunt humanae rationis vim, et excellentiam appellare, extollere contra sanctissimam Christi fidem, atque audacissime blaterant, eam humanae refragari rationi. Quo certe nihil dementius, nihil magis impium, nihil contra ipsam rationem magis repugnans fingi, vel excogitari potest. Etsi enim fides sit supra rationem, nulla tamen vera dissensio, nullumque dissidium inter ipsas inveniri umquam potest, cum ambae ab uno eodemque immutabilis aeternaeque veritatis fonte Deo Optimo Maximo oriantur, atque ita sibi mutuam opem ferant, ut recta ratio fidei veritatem demonstret, tueatur, defendat; fides vero rationem ab omnibus erroribus liberet, eamque divinarum rerum cognitione mirifice illustret, confirmet atque perficiat. Neque minori certe fallacia, Venerabiles Fratres, isti divinae revelationis inimici humanum progressum summis laudibus efferentes, in catholicam religionem temerario plane, ac sacrilego ausu illum inducere vellent, perinde ac si ipsa religio non Dei, sed hominum opus esset, aut philosophicum aliquod inventum, quod humanis modis perfici queat. In istos tam misere delirantes percommode quidem cadit, quod Tertullianus sui temporis philosophis merito exprobrabat: qui Stoicum, et Platonicum, et Dialecticum Christianismum protulerunt. [2]) Et sane cum sanctissima nostra religio non ab humana ratione fuerit inventa, sed a Deo hominibus clementissime patefacta, tum quisque vel facile intelligit, religionem ipsam ex ejusdem Dei loquentis auctoritate omnem

[1]) Apocal. XIII. 6. [2]) Tertull. de praescript. cap. VIII.

suam vim acquirere, neque ab humana ratione deduci aut perfici umquam posse. Humana quidem ratio, ne in tanti momenti negotio decipiatur et erret, divinae revelationis factum diligenter inquirat oportet, ut certo sibi constet Deum esse loquutum, ac Eidem, quemadmodum sapientissime docet Apostolus, rationabile obsequium exhibeat.[1]) Quis enim ignorat, vel ignorare potest omnem Deo loquenti fidem esse habendam, nihilque rationi ipsi magis consentaneum esse, quam iis acquiescere firmiterque adhaerere, quae a Deo, qui nec falli nec fallere potest, revelata esse constiterit?

Sed quam multa, quam mira, quam splendida praesto sunt argumenta, quibus humana ratio luculentissime evinci omnino debet, divinam esse Christi religionem, et omne dogmatum nostrorum principium radicem desuper ex caelorum Domino accepisse,[2]) ac propterea nihil fide nostra certius, nihil securius, nihil sanctius extare, et quod firmioribus innitatur principiis. Haec scilicet fides vitae magistra, salutis index, vitiorum omnium expultrix, ac virtutum fecunda parens et altrix, divini sui auctoris et consummatoris Christi Jesu nativitate, vita, morte, resurrectione, sapientia, prodigiis, vaticinationibus confirmata, supernae doctrinae luce undique refulgens, ac caelestium divitiarum ditata thesauris, tot Prophetarum praedictionibus, tot miraculorum splendore, tot Martyrum constantia, tot Sanctorum gloria vel maxime clara et insignis, salutares proferens Christi leges, ac majores in dies ex crudelissimis ipsis persecutionibus vires acquirens universum orbem terra marique, a solis ortu usque ad occasum, uno Crucis vexillo pervasit, atque idolorum profligata fallacia, errorum depulsa caligine, triumphatisque cujusque generis hostibus, omnes populos, gentes, nationes utcumque immanitate barbaras, ac indole, moribus, legibus, institutis diversas divinae cognitionis lumine illustravit, atque suavissimo ipsius Christi jugo subjecit, annuntians omnibus pacem, annuntians bona. Quae certe omnia tanto divinae sapientiae ac potentiae fulgore undique collucent, ut cujusque mens et cogitatio vel facile intelligat christianam fidem Dei opus esse. Itaque humana ratio ex splendidissimis hisce, aeque ac firmissimis argumentis clare aperteque cognoscens Deum ejusdem fidei auctorem existere, ulterius progredi nequit, sed quavis difficultate ac dubitatione penitus abjecta, atque remota, omne eidem fidei obsequium praebeat oportet, cum pro certo habeat a Deo traditum esse quidquid fides ipsa hominibus credendum, et agendum proponit.

Atque hinc plane apparet in quanto errore illi etiam versentur, qui ratione abutentes, ac Dei eloquia tamquam humanum opus existimantes, proprio arbitrio illa explicare, interpretari temere audent, cum Deus ipse vivam constituerit auctoritatem, quae verum legitimumque caelestis suae revelationis sensum doceret, constabiliret, omnesque controversias in rebus fidei, et morum infallibili judicio dirimeret, ne fideles circumferantur omni vento doctrinae in nequitia hominum ad circumventionem erroris. Quae quidem viva et infallibilis auctoritas in ea tantum viget Ecclesia, quae a Christo Domino supra Petrum totius Ecclesiae Caput, Principem et Pastorem, cujus fidem numquam defectu-

[1]) Ad Rom. XII. 1. [2]) S. Joann. Chrysost. Homil. I. in Isai.

ram promisit, aedificata suos legitimos semper habet Pontifices sine intermissione ab ipso Petro ducentes originem in ejus Cathedra collocatos, et ejusdem etiam doctrinae, dignitatis, honoris ac potestatis haeredes et vindices. Et quoniam ubi Petrus ibi Ecclesia, [1]) ac Petrus per Romanum Pontificem loquitur [2]) et semper in suis successoribus vivit, et judicium exercet, [3]) ac praestat quaerentibus fidei veritatem, [4]) idcirco divina eloquia eo plane sensu sunt accipienda, quem tenuit ac tenet haec Romana Beatissimi Petra Cathedra, quae omnium Ecclesiarum mater et magistra, [5]) fidem a Christo Domino traditam, integram inviolatamque semper servavit, eamque fideles edocuit, omnibus ostendens salutis semitam, et incorruptae veritatis doctrinam. Haec siquidem principalis Ecclesia, unde unitas Sacerdotalis exorta, [6]) haec pietatis metropolis, in qua est integra christianae religionis ac perfecta soliditas, [7]) in qua semper Apostolicae Cathedrae viguit Principatus, [8]) ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est qui sunt undique fideles, [9]) cum qua quicumque non colligit, spargit. [10]). Nos igitur, qui inscrutabili Dei judicio in hac veritatis Cathedra collocati sumus, egregiam vestram pietatem vehementer in Domino excitamus, Venerabiles Fratres, ut omni sollicitudine et studio fideles curae vestrae concreditos assidue monere, exhortari connitamini, ut hisce principiis firmiter adhaerentes, numquam se ab iis decipi, et in errorem induci patiantur, qui abominabiles facti in studiis suis humani progressus obtentu fidem destruere, eamque rationi impie subjicere ac Dei eloquia invertere contendunt, summamque Deo ipsi injuriam inferre non reformidant, qui caelesti sua religione hominum bono atque saluti clementissime consulere est dignatus.

Jam vero probe noscitis, Venerabiles Fratres, alia errorum monstra et fraudes, quibus hujus saeculi filii catholicam religionem, et divinam Ecclesiae auctoritatem, ejusque leges acerrime oppugnare, et tum sacrae, tum civilis potestatis jura conculcare conantur. Huc spectant nefariae molitiones contra hanc Romanam Beatissimi Petri Cathedram, in qua Christus posuit inexpugnabile Ecclesiae suae fundamentum. Huc clandestinae illae sectae e tenebris ad rei tum sacrae, tum publicae exitium et vastitatem emersae, atque a Romanis Pontificibus Decessoribus Nostris iterato anathemate damnatae suis Apostolicis Literis, [11]) quas Nos Apostolicae Nostrae potestatis plenitudine confirmamus, et diligentissime servari mandamus. Hoc volunt vaferrimae Biblicae societates, quae veterem haereticorum artem renovantes, divinarum Scripturarum libros contra sanctissimas Ecclesiae regulas vulgaribus quibusque linguis translatos, ac perversis saepe explicationibus interpretatos, maximo exemplarium numero, ingentique expensa omnibus cujusque generis hominibus etiam rudioribus gratuito impertiri, obtrudere non cessant, ut divina traditione, Patrum doctrina, et catholicae

---

[1]) S. Ambros. in Psal. 40. [2]) Concil. Chalced. Act. 2. [3]) Synod. Ephes. Act. 3. [4]) S. Petr. Chrysol. Epist. ad Eutych. [5]) Concil. Trid. Sess. VII. de Baptis. [6]) S. Cyprian. Epist. 55. ad Cornel. Pontif. [7]) Liter. Synod. Joann. Constantinop. ad Hormisd. Pontif. et Sozom. Histor. Lib. 3. Cap. 8. [8]) S. August. Epist. 162. [9]) S. Irenaeus Lib. 3. contra haer. cap. 3. [10]) S. Hier. Epist. ad Damas. Pontif. [11]) Clemens XII. Const. In eminenti; Bened. XIV. Constit. Providas, Pius VII. Const. Ecclesiam a Jesu Christo, Leo XII. Const. Quo graviora.

Ecclesiae auctoritate rejecta, omnes eloquia Domini privato suo judicio interpretentur, eorumque sensum pervertant, atque ita in maximos delabantur errores. Quas societates suorum Decessorum exempla aemulans recol. mem. Gregorius XVI., in cujus locum meritis licet imparibus suffecti sumus, suis Apostolicis Literis reprobavit, [1]) et Nos pariter damnatas esse volumus. Huc spectat horrendum, ac vel ipsi naturali rationis lumini maxime repugnans de cujuslibet religionis indifferentia systema, quo isti veteratores, omni virtutis et vitii, veritatis et erroris, honestatis et turpitudinis sublato discrimine, homines in cujusvis religionis cultu aeternam salutem assequi posse comminiscuntur, perinde ac si ulla umquam esse posset participatio justitiae cum iniquitate, aut societas luci ad tenebras, et conventio Christi ad Belial. Huc spectat foedissima contra sacrum clericorum caelibatum conspiratio, quae a nonnullis etiam, proh dolor! ecclesiasticis viris fovetur, qui propriae dignitatis misere obliti, se voluptatum blanditiis et illecebris vinci et deliniri patiuntur; huc perversa in philosophicis praesertim disciplinis docendi ratio, quae improvidam juventutem miserandum in modum decipit, corrumpit, eique fel draconis in calice Babylonis propinat; huc infanda, ac vel ipsi naturali juri maxime adversa de Communismo, uti vocant, doctrina, qua semel admissa, omnium jura, res, proprietates, ac vel ipsa humana societas funditus everterentur; huc tenebricosissimae eorum insidiae, qui in vestitu ovium, cum intus sint lupi rapaces, mentita ac fraudulenta purioris pietatis, et severioris virtutis, ac disciplinae specie humiliter irrepunt, blande capiunt, molliter ligant, latenter occidunt, hominesque ab omni religionis cultu absterrent, et dominicas oves mactant atque discerpunt. Huc denique, ut cetera, quae Vobis apprime nota ac perspecta sunt, omittamus, teterrima tot undique volantium, et peccare docentium voluminum ac libellorum contagio, qui apte compositi, ac fallaciae et artificii pleni, immanibusque sumptibus per omnia loca in christianae plebis interitum dissipati, pestiferas doctrinas ubique disseminant, incautorum potissimum mentes animosque depravant, et maxima religioni inferunt detrimenta. Ex hac undique serpentium errorum colluvie, atque effrenata cogitandi, loquendi, scribendique licentia mores in deterius prolapsi, sanctissima Christi spreta religio, divini cultus improbata majestas, hujus Apostolicae Sedis divexata potestas, Ecclesiae oppugnata atque in turpem servitutem redacta auctoritas, Episcoporum jura conculcata, matrimonii sanctitas violata, cujusque potestatis regimen labefactatum, ac tot alia tum christianae, tum civilis reipublicae damna, quae communibus lacrimis una Vobiscum flere cogimur, Venerabiles Fratres.

In tanta igitur religionis, rerum ac temporum vicissitudine de Universi Dominici gregis salute Nobis divinitus commissa vehementer solliciti, pro Apostolici Nostri ministerii officio nihil certe inausum, nihilque intentatum relinquemus, quo cunctae christianae familiae bono totis viribus consulamus. Verum praeclaram quoque vestram pietatem, virtutem, prudentiam summopere in Do-

---

[1]) Gregor. XVI. In Literis Encyclicis ad omnes Episcopos, quarum initium „Inter praecipuas machinationes."

mino excitamus, Venerabiles Fratres, ut caelesti ope freti una Nobiscum Dei, ejusque Sanctae Ecclesiae causam pro loco, quem tenetis, pro dignitate, qua insigniti estis, impavide defendatis. Vobis acriter pugnandum esse intelligitis, cum minime ignoretis, quibus quantisque intemerata Christi Jesu Sponsa vulneribus afficiatur, quantoque acerrimorum hostium impetu divexetur. Atque in primis optime noscitis, vestri muneris esse catholicam fidem episcopali robore tueri, defendere, ac summa cura vigilare, ut grex Vobis commissus in ea stabilis et immotus persistat, quam nisi quisque integram, inviolatamque servaverit, absque dubio in aeternum peribit.[1]) In hanc igitur fidem tuendam, atque servandam pro pastorali vestra sollcitudine diligenter incumbite, neque umquam desinite omnes in ea instruere, confirmare nutantes, contradicentes arguere, infirmos in fide corroborare, nihil umquam omnino dissimulantes ac ferentes, quod ejusdem fidei puritatem vel minimum violare posse videatur. Neque minori animi firmitate in omnibus fovete unionem cum Catholica Ecclesia, extra quam nulla est salus, et obedientiam erga hanc Petri Cathedram, cui tamquam firmissimo fundamento tota sanctissimae nostrae religionis moles innititur. Pari vero constantia sanctissimas Ecclesiae leges custodiendas curate, quibus profecto virtus, religio, pietas summopere vigent et florent. Cum autem magna sit pietas prodere latebras impiorum et ipsum in eis, cui serviunt, diabolum debellare,[2]) illud obsecrantes monemus, ut omni ope et opera multiformes inimicorum hominum insidias, fallacias, errores, fraudes, machinationes fideli populo detegere, eumque a pestiferis libris diligenter avertere, atque assidue exhortari velitis, ut impiorum sectas, et societates fugiens, tamquam a facie colubri, ea omnia studiosissime devitet, quae fidei, religionis, morumque integritati adversantur. Qua de re numquam omnino sit, ut cessetis praedicare Evangelium, quo christiana plebs in dies sanctissimis christianae legis praeceptionibus erudita crescat in scientia Dei, declinet a malo et faciat bonum, atque ambulet in viis Domini. Et quoniam nostis Vos pro Christi legatione fungi, qui se mitem et humilem corde est professus, quique non venit vocare justos, sed peccatores, relinquens nobis exemplum, ut sequamur vestigia ejus, quos in mandatis Domini delinquentes, atque a veritatis et justitiae semita aberrantes, inveneritis, haud omittite eos in spiriti lenitatis et mansuetudinis paternis monitis, et consiliis corripere atque arguere, obsecrare, increpare in omni bonitate, patientia et doctrina, cum saepe plus erga corrigendos agat benevolentia, quam austeritas, plus exhortatio, quam comminatio, plus caritas, quam potestas.[3]) Illud etiam totis viribus praestare contendite, Venerabiles Fratres, ut fideles caritatem sectentur, pacem inquirant, et quae caritatis et pacis sunt sedulo exequantur, quo cunctis dissensionibus, inimicitiis, aemulationibus, simultatibus penitus extinctis omnes se mutua caritate diligant, atque in eodem sensu, in eadem sententia perfecti sint, et idem unanimes sentiant, idem dicant, idem sapiant in Christo Jesu Domino Nostro. Debitam erga Principes, et potestates obedientiam ac subjectio-

[1]) Ex Symbolo „Quicumque.“ [2]) S. Leo serm. VIII. cap. 4. [3]) Concil. Trident. Sess. XIII. Cap. 1. de Reformat.

nem christiano populo inculcare satagite, edocentes juxta Apostoli monitum [1]) non esse potestatem nisi a Deo, eosque Dei ordinationi resistere, adeoque sibi damnationem acquirere, qui potestati resistunt, atque idcirco praeceptum potestati ipsi obediendi a nemine umquam citra piaculum posse violari, nisi forte aliquid imperetur, quod Dei et Ecclesiae legibus adversetur.

Verum cum nihil sit, quod alios magis ad pietatem, et Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita et exemplum, qui se divino ministerio dedicarunt, [2]) et cujusmodi sunt Sacerdotes, ejusmodi plerumque esse soleat et populus, pro vestra singulari sapientia perspicitis, Venerabiles Fratres, summa cura et studio Vobis esse elaborandum, ut in Clero morum gravitas, vitae integritas, sanctitas, atque doctrina eluceat, et ecclesiastica disciplina ex Sacrorum Canonum praescripto diligentissime servetur, et ubi collapsa fuerit, in pristinum splendorem restituatur. Quapropter, veluti praeclare scitis, Vobis summopere cavendum, ne cuipiam, juxta Apostoli praeceptum, cito manus imponatis, sed eos tantum sacris initietis ordinibus, ac sanctis tractandis admoveatis mysteriis, qui accurate exquisiteque explorati, ac virtutum omnium ornatu et sapientiae laude spectati, vestris dioecesibus usui et ornamento esse possint, atque ab iis omnibus declinantes, quae Clericis vetita, et attendentes lectioni, exhortationi, doctrinae, exemplum sint fidelium in verbo, in conversatione, in caritate, in fide, in castitate, [3]) cunctisque afferant venerationem, et populum ad christianae religionis institutionem fingant, excitent, atque inflamment. Melius enim profecto est, ut sapientissime monet immortalis memoriae Benedictus XIV. Decessor Noster, pauciores habere ministros, sed probos, sed idoneos atque utiles, quam plures, qui in aedificationem Corporis Christi, quod est Ecclesia, nequidquam sint valituri. [4]) Neque vero ignoratis, majori diligentia Vobis in illorum praecipue mores, et scientiam esse inquirendum, quibus animarum cura et regimen committitur, ut ipsi tamquam fideles multiformis gratiae Dei dispensatores plebem sibi concreditam sacramentorum administratione, divini verbi praedicatione ac bonorum operum exemplo continentur pascere, juvare, eamque ad omnia religionis instituta, ac documenta informare, atque ad salutis semitam perducere studeant. Intelligitis nimirum Parochis officii sui ignaris, vel negligentibus, continuo et populorum mores prolabi, et christianam laxari disciplinam, et religionis cultum exsolvi atque convelli, ac vitia omnia et corruptelas in Eccleciam facile invehi. Ne autem Dei sermo, qui vivus, et efficax, et penetrabilior omni gladio ancipiti [5]) ad animarum salutem est institutus, ministrorum vitio infructuosus evadat, ejusdem divini verbi praeconibus inculcare, praecipere numquam desinite, Venerabiles Fratres, ut gravissimum sui muneris officium animo reputantes, evangelicum ministerium non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, non in profano inanis et ambitiosae eloquentiae apparatu et lenocinio, sed in ostensione spiritus et virtutis religiosissime exerceant, ut recte tractan-

---

[1]) Rom. XIII. 1. 2. [2]) Concil. Trid. Sess. XXII. Cap. 1. de Reform. [3]) I. ad Timoth. IV. 12. [4]) Bened. XIV. in Epist. Encycl. ad omnes Episcopos, cujus initium „Ubi primum.“ [5]) Hebr. IV. 1.

tes verbum veritatis, et non semetipsos, sed Christum Crucifixum praedicantes, sanctissimae nostrae religionis dogmata, praecepta juxta catholicae Ecclesiae et Patrum doctrinam gravi ac splendido orationis genere populis clare aperteque annuncient, peculiaria singulorum officia accurate explicent, omnesque a flagitiis deterreant, ad pietatem inflamment, quo fideles Dei verbo salubriter imbuti atque refecti vitia omnia declinent, virtutes sectentur, atque ita aeternas poenas evadere, et caelestem gloriam consequi valeant. Universos ecclesiasticos viros pro pastorali vestra sollicitudine et prudentia assidue monete, excitate, ut serio cogitantes ministerium quod acceperunt in Domino, omnes proprii muneris partes diligentissime impleant, domus Dei decorem summopere diligant, atque intimo pietatis sensu sine intermissione instent obsecrationibus et precibus, et Canonicas horas ex Ecclesiae praecepto persolvant, quo et divina sibi auxilia ad gravissima officii sui munera obeunda impetrare, et Deum christiano populo placatum ac propitium reddere possint.

Cum autem, Venerabiles Fratres, vestram sapientiam minime fugiat, idoneos Ecclesiae ministros nonnisi ex optime institutis clericis fieri posse, magnamque vim in recta horum institutione ad reliquum vitae cursum inesse, pergite omnes episcopalis vestri zeli nervos in id potissimum intendere, ut adolescentes clerici vel a teneris annis tum ad pietatem solidamque virtutem, tum ad literas severioresque disciplinas, praesertim sacras, rite informentur. Quare vobis nihil antiquius, nihil potius esse debet, quam omni opera, sollertia, industria clericorum Seminaria ex Tridentinorum Patrum praescripto [1]) instituere, si nondum existunt, atque instituta, si opus fuerit, amplificare, eaque optimis moderatoribus et magistris instruere, ac intentissimo studio continenter advigilare, ut inibi juniores clerici in timore Domini, et ecclesiastica disciplina sancte religioseque educentur, et sacris potissimum scientiis juxta catholicam doctrinam ab omni prorsus cujusque erroris periculo alienis, et Ecclesiae traditionibus, et sanctorum Patrum scriptis, sacrisque caeremoniis, ritibus sedulo, ac penitus excolantur, quo habere possitis navos atque industrios operarios, qui ecclesiastico spiritu praediti, ac studiis recte instituti valeant in tempore dominicum agrum diligenter excolere, ac strenue proeliari proelia Domini. Porro cum Vobis compertum sit ad ecclesiastici ordinis dignitatem, et sanctimoniam retinendam et conservandam pium spiritualium exercitiorum institutum vel maxime conducere, pro episcopali vestro zelo tam salutare opus urgere, omnesque in sortem Domini vocatos monere, hortari ne intermittatis, ut saepe in opportunum aliquem locum iisdem peragendis exercitiis secedant, quo exterioribus curis sepositis, ac vehementiori studio aeternarum divinarumque rerum meditationi vacantes, et contractas de mundano pulvere sordes detergere, et ecclesiasticum spiritum renovare possint, atque expoliantes veterem hominem cum actibus suis, novum induant, qui creatus est in justitia et sanctitate. Neque Vos pigeat, si in Cleri institutione et disciplina paulo diutius immorati sumus. Etenim minime ignoratis multos existere, qui errorum varietatem, inconstantiam, mutabilitatem-

---

[1]) Concil. Trid. Sess. XXIII. cap. 18. de Reform.

que pertaesi, ac sanctissimam nostram religionem profitendi necessitatem sentientes, ad ipsius religionis doctrinam, praecepta instituta eo facilius, Deo bene juvante, amplectenda colenda adducentur, quo majori Clerum pietatis, integritatis, sapientiae laude, ac virtutum omnium exemplo, et splendore ceteris antecellere conspexerint.

Ceterum, Fratres Carissimi, non dubitamus, quin Vos omnes ardenti erga Deum et homines caritate incensi, summo in Ecclesiam amore inflammati, angelicis pene virtutibus instructi, episcopali fortitudine, prudentia muniti, uno eodemque sanctae voluntatis desiderio animati, Apostolorum vestigia sectantes, et Christum Jesum Pastorum omnium exemplar, pro quo legatione fungimini, imitantes, quemadmodum decet Episcopos, concordissimis studiis facti forma gregis ex animo, sanctitatis vestrae splendore Clerum populumque fidelem illuminantes, atque induti viscera misericordiae et condolentes iis qui ignorant et errant, devias ac pereuntes oves evangelici Pastoris exemplo amanter quaerere, persequi ac paterno affectu vestris humeris imponere, ad ovile reducere, ac nullis neque curis, neque consiliis, neque laboribus parcere umquam velitis, quo omnia pastoralis muneris officia religiosissime obire, ac omnes dilectas Nobis oves pretiosissimo Christi sanguine redemptas, et curae vestrae commissas a rapacium luporum rabie, impetu, insidiis defendere, easque ab venenatis pascuis arcere, ad salutaria propellere, et qua opere, qua verbo, qua exemplo ad aeternae salutis portum deducere valeatis. In majori igitur Dei et Ecclesiae gloria procuranda viriliter agite, Venerabiles Fratres, et omni alacritate, sollicitudine, vigilantia in hoc simul elaborate, ut omnibus erroribus penitus depulsis, vitiisque radicitus evulsis, fides, religio, pietas, virtus majora in dies ubique incrementa suscipiant, cunctique fideles abjicientes opera tenebrarum, sicut filii lucis ambulent digne Deo per omnia placentes, et in omni opere bono fructificantes. Atque inter maximas angustias, difficultates, pericula, quae a gravissimo episcopali vestro ministerio hisce praesertim temporibus abesse non possunt, nolite umquam terreri, sed confortamini in Domino, et in potentia virtutis Ejus, qui nos in congressione nominis sui constitutos desuper spectans, volentes comprobat, adjuvat dimicantes, vincentes coronat. [1]) Cum autem Nobis nihil gratius, nihil jucundius, nihil optabilius quam Vos omnes, quos diligimus in visceribus Christi Jesu, omni affectu, consilio, opera juvare, atque una Vobiscum in Dei gloriam et catholicam fidem tuendam, propagandam toto pectore incumbere, et animas salvas facere, pro quibus vitam ipsam, si opus fuerit, profundere parati sumus, venite, Fratres, obtestamur et obsecramus, venite magno animo, magnaque fiducia ad hanc Beatissimi Apostolorum Principis Sedem, Catholicae unitatis centrum, atque Episcopatus apicem, unde ipse Episcopatus, ac tota ejusdem nominis auctoritas emersit, venite ad Nos quotiescumque Nostrae, et ejusdem Sedis auctoritatis ope, auxilio, praesidio Vos indigere noveritis.

In eam porro spem erigimur fore, ut Carissimi in Christo Filii Nostri Viri Principes pro eorum pietate et religione in memoriam revocantes regiam

---

[1]) S. Cyprian. Epist. 77. ad Nemesianum et ceteros martyres.

potestatem sibi non solum ad mundi regimen, sed maxime ad Ecclesiae praesidium esse collatam, [1]) et Nos cum Ecclesiae causam tum eorum regni agere, et salutis, ut provinciarum suarum quieto jure potiantur, [2]) communibus nostris votis, consiliis, studiis sua ope et auctoritate faveant, atque ipsius Ecclesiae libertatem incolumitatemque defendant, ut et Christi dextera eorum defendatur imperium. [3])

Quae omnia ut prospere, feliciterque ex sententia succedant, adeamus cum fiducia, Venerabiles Fratres, ad thronum gratiae, atque unanimes in humilitate cordis nostri Patrem misericordiarum, et Deum totius consolationis enixis precibus sine intermissione obsecremus, ut per merita Unigeniti Filii Sui infirmitatem nostram omnium caelestium charismatum copia cumulare dignetur, atque omnipotenti sua virtute expugnet impugnantes nos, et ubique augeat fidem, pietatem, devotionem, pacem, quo Ecclesia sua sancta, omnibus adversitatibus et erroribus penitus sublatis, optatissima tranquillitate fruatur, ac fiat unum ovile, et unus pastor. Ut autem clementissimus Dominus facilius inclinet aurem suam in preces nostras, et nostris annuat votis, deprecatricem apud Ipsum semper adhibeamus sanctissimam Dei Genitricem Immaculatam Virginem Mariam, quae nostrum omnium dulcissima mater, mediatrix, advocata, et spes fidissima ac maxima fiducia est, cujus patrocinio nihil apud Deum validius, nihil praesentius. Invocemus quoque Apostolorum Principem, cui Christus ipse tradidit claves regni caelorum, quemque Ecclesiae suae petram constituit, adversus quam portae inferi praevalere numquam poterunt, et Coapostolum ejus Paulum, atque omnes Sanctos caelites, qui jam coronati possident palmam, ut desideratam divinae propitiationis abundantiam universo christiano populo impetrent.

Denique caelestium omnium munerum auspicem, et potissimae Nostrae in Vos caritatis testem, accipite Apostolicam Benedictionem, quam ex intimo corde depromptam Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, et omnibus Clericis, Laicisque Fidelibus curae vestrae concreditis amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctam Mariam Majorem, die 9. Novembris Anno 1846. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Nr. 10.

1847. 17. Jun. SS. Domini Nostri Pii Papae IX. Epistola Encyclica ad omnes Supremos Moderatores, Abbates, Provinciales aliosque Superiores Regularium Ordinum.

(ad Tit. VII. de Regularibus.)

UBI PRIMUM arcano divinae providentiae consilio ad totius Ecclesiae regimen evecti fuimus, inter praecipuas Apostolici Nostri ministerii curas et sollicitudines nihil nobis potius fuit, quam Religiosas vestras Familias singulari pa-

---

[1]) S. Leo Epist. 156. al. 125. ad Leonem Augustum. [2]) Idem Epist. 43. al. 34. ad Theodosium Augustum. [3]) Idem ibid.

ternae Nostrae caritatis affectu complecti, omnibusque studiis prosequi, tueri, defendere, ac majori earum bono et splendori totis viribus consulere atque prospicere. Ipsae enim ad majorem omnipotentis Dei gloriam, et animarum salutem procurandam a sanctissimis viris divino afflante Spiritu institutae, atque ab hac Apostolica Sede confirmatae, multiplici earum forma pulcherrimam illam varietatem efficiunt, quae mirifice circumdat Ecclesiam, ac lectissimas illas auxiliares Christi militum turmas constituunt, quae maximo tum christianae, tum civili reipublicae usui, ornamento atque praesidio semper fuerunt. Siquidem earum alumni singulari Dei beneficio ad evangelicae sapientiae consilia profitenda vocati, atque omnia detrimentum esse existimantes propter eminentem scientiam Christi Jesu, animo excelso et invicto terrestria cuncta despicientes, et caelestia unice spectantes, iis egregiis operibus insistere, gloriosisque laboribus perfungi semper visi sunt, quibus de catholica Ecclesia, deque civili societate optime meruerunt. Nemo certe ignorat, vel ignorare potest, Religiosas Familias vel a prima earum institutione innumeris pene claruisse viris, qui omnigenae doctrinae atque eruditionis copia insignes, omnium virtutum ornatu et sanctitatis gloria fulgentes, amplissimis quoque dignitatibus illustres, atque ardenti in Deum et homines amore flagrantes, et spectaculum facti mundo, Angelis et hominibus, nihil aliud in deliciis habuere, quam omni cura, studio, contentione in divinarum rerum meditatione dies noctesque haerere, mortificationem Jesu in suo corpore circumferre, catholicam fidem ac doctrinam a solis ortu usque ad occasum propagare, ac pro ea fortiter pugnare, et cujusque generis acerbitates, tormenta, supplicia alacriter perpeti, ac vitam ipsam profundere, rudes barbarosque populos ab errorum tenebris, morum feritate, vitiorum coeno ad evangelicae veritatis lucem, omnemque virtutis et civilis societatis cultum traducere, literas, disciplinas, artes excolere, tueri atque ab interitu vindicare, teneras juvenum mentes et cerea corda ad pietatem et honestatem mature fingere sanisque doctrinis imbuere, errantes ad salutis tramitem revocare. Neque id satis, namque induti viscera misericordiae nullum est heroicae caritatis genus, quod cum propriae etiam vitae discrimine ipsi non exercuerint, ut captivis, carcere inclusis, aegrotantibus, morientibus, cunctisque miseris, egenis, calamitosis opportuna quaeque christianae beneficentiae et providentiae subsidia amanter praebere, eorumque dolorem lenire, lacrymas detergere, ac necessitatibus omni ope et opera consulere possent.

Hinc porro evenit, ut Ecclesiae Patres ac Doctores merito atque optimo jure evangelicae perfectionis cultores summis laudibus exornarint, et contra illorum oppugnatores acerrime decertarint, qui sacra haec Instituta tamquam inutilia et societatis exitialia esse temere denunciant. Romani vero Pontifices Decessores Nostri ipsos Regulares Ordines benevolo semper affectu prosequentes, Apostolicae auctoritatis patrocinio illos tegere, tutari, atque amplioribus privilegiis, honoribus decorare nunquam omiserunt, probe noscentes, quae quantaque bona et commoda ex ipsis Ordinibus in universam christianam rempublicam omni tempore redundarint. Atque iidem Praedecessores Nostri de hac potiore Dominici agri parte tantopere solliciti fuere, ut, vix noverunt inimicum homi-

nem clanculum superseminare zizania in medio tritici, vulpesque parvulas demoliri florentes palmites, nulla interposita mora, curam omnem contulerint ad radicitus evellendum destruendumque, quidquid uberrimos ac laetissimos jacti boni seminis fructus posset impedire. Hac sane de causa rec. mem. Clemens praesertim VIII., Urbanus pariter VIII., Innocentius X., Alexander VII., Clemens IX., Innocentius XI., itemque Innocentius XII., Clemens XI., Pius VII., Leo XII. Decessores Nostri tum saluberrimis initis consiliis, tum sapientissimis editis Decretis et Constitutionibus omnes Pontificiae vigilantiae et providentiae nervos intendere haud intermiserunt ad mala penitus amovenda, quae tristissimis rerum ac temporum vicibus in Religiosas Familias irrepserant, atque ad regularem in illis disciplinam vel tuendam vel instaurandam.

Nos itaque pro summa, qua Ordines ipsos caritate prosequimur, illustria Decessorum Nostrorum exempla aemulantes, ac sapientissimis Tridentinorum praesertim Patrum sanctionibus inhaerentes (Sess. XXV. de Regular. et Monial.), pro supremi Nostri Apostolatus officio, curas cogitationesque Nostras toto cordis affectu ad vestras Religiosas Familias eo sane consilio convertere constituimus, ut si quid in ipsis infirmum sit consolidemus, si quid aegrotum sanemus, si quid confractum alligemus, si quid perditum reducamus, si quid abjectum erigamus, quo morum integritas, vitae sanctitas, regularis disciplinae observantia, literae, scientiae praesertim sacrae ac propriae cujusque Ordinis leges ubique reviviscant, ac magis in dies vigeant et floreant. Etsi enim vehementer in Domino laetamur, multos Sacrarum Familiarum existere Alumnos, qui sanctissimae vocationis memores, ac virtutum omnium exemplo et doctrinarum copia praestantes illustria Patrum suorum vestigia persequi, in ministerio salutis laborare, bonumque Christi odorem undique diffundere summopere student, tamen dolemus nonnullos reperiri, qui eorum professionis ac dignitatis obliti a suscepto instituto ita declinarunt, ut, non sine maximo ipsorum Ordinum et Fidelium damno, speciem tantum habitumque pietatis praeferant, ac professi instituti sanctitatem nomen vestemque vita et moribus refellant.

Has igitur ad Vos, Dilecti Filii, qui eorumdem Ordinum Moderatores estis, Literas damus studiosissimae Nostrae erga Vos, vestrosque Religiosos Ordines voluntatis nuncias, quibus consilium a Nobis de regulari disciplina instauranda susceptum significamus. Quod quidem consilium eo omnino contendit, ut, Deo bene juvante, illa omnia statuere et perficere valeamus, quae ad cujusque Religiosae Familiae incolumitatem prosperitatemque tuendam, comparandam, ad populorum utilitatem procurandam, atque ad divinum cultum amplificandum Deique gloriam promovendam magis magisque possint conducere. Etenim in vestrorum Ordinum disciplina instauranda eo potissimum Nostra studia et desideria spectant, ut ex ipsis Ordinibus navos atque industrios operarios pietate non minus quam sapientia pollentes, hominesque Dei perfectos et ad omne opus bonum instructos habere possimus, quorum operam in vinea Domini excolenda, in catholica fide penes infideles praesertim populos propaganda, in gravissimis Ecclesiae et hujus Apostolicae Sedis negotiis pertractandis adhibere valeamus. Ut autem tanti momenti negotium religioni, atque ipsis Regularibus Ordinibus,

quod est maxime in votis, prospere feliciterque eveniat, atque optatum exitum obtineat, vestigiis Praedecessorum Nostrorum insistentes, peculiarem Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium Congregationem instituimus, quam „de Statu Regularium Ordinum" nominavimus, quo ipsi VV. FF. NN. pro singulari eorum sapientia, prudentia, consilio, rerumque gerendarum usu et peritia adjutricem Nobis manum in tanto opere praebeant.

At Vos quoque, Dilecti Filii, in ejusdem operis consortium advocamus, ac vehementer in Domino monemus, hortamur, obsecramus, ut Nostris hisce curis studiisque omni alacritate adlaborare velitis, quo vester Ordo pristina dignitate et splendore refulgeat. Itaque pro loco, quem tenetis, pro munere, quo insigniti estis, nihil intentatum relinquite, ut Religiosi Viri, Vobis subjecti, serio meditantes vocationem, qua vocati sunt, digne ambulent in ea, et vota, quae Deo semel voverunt, religiosissime semper reddere studeant. Omni vero vigilantia prospicite, ut ipsi insignia Majorum suorum vestigia sectantes, sanctamque disciplinam custodientes, mundique illecebris, spectaculis, negotiis, quibus se abdicarunt, omnino adversantes, sine intermissione precationi, rerum caelestium commentationi, doctrinae, lectioni instent, in animarum salutem ex proprii Ordinis institute incumbant, et mortificati carne, vivificati autem spiritu, se ipsos Populo Dei exhibeant modestos, humiles, sobrios, benignos, patientes, justos, integritate, castitate irreprehensibiles, caritate ferventes, sapientia honorabiles, ne cuipiam sint offensioni, sed omnibus praebeant exemplum bonorum operum, ut, qui ex adverso est, vereatur, nihil habens malum dicere de ipsis. Etenim probe noscitis, qua vitae sanctitate et virtutum omnium ornatu ii praelucere omnino debeant, qui omnibus rerum humanarum blandimentis, voluptatibus, fallaciis, vanitatibus penitus abjectis, uni se Deo Deique cultui adhaerere polliciti ac professi sunt, ut christiana plebs in eos tamquam in nitidissimum speculum intuens, ea pietatis, religionis, et cujusque virtutis documenta ab ipsis excipiat, quibus feliciore pede percurrat semitas Domini. Cum autem ex diligenti tironum admissione, atque optima illorum institutione totius cujusque sacrae familiae status decorque plane pendeat, Vos summopere hortamur, ut eorum, qui Religiosae vestrae Familiae nomen daturi sunt, indolem, ingenium, mores antea accurate exploretis, ac sedulo investigetis, quo consilio, quo spiritu, qua ratione ad regularem vitam ineundam ipsi ducantur. Ac postquam noveritis illos in religiosa vita amplectenda nihil aliud spectare, nisi Dei gloriam, Ecclesiae utilitatem ac propriam et aliorum salutem, in id potissimum omni diligentia, cura, industria incumbite, ut tirocinii tempore ex proprii Ordinis legibus pie sancteque ab optimis Magistris educentur, et ad omnem virtutem, atque ad initum regularis vitae institutum quam optime informentur. Et quoniam praecipua atque illustris Regularium Ordinum laus semper fuit literarum studia excolere, fovere ac tot eruditis, doctis laboriosisque operibus humanarum divinarumque rerum scientiam illustrare, idcirco Vos summopere excitamus, monemus, ut juxta vestri Ordinis leges maxima cura, sollertia rectam studiorum rationem promovere, et omnia conari velitis, ut Religiosi vestri Alumni in humaniores literas, ac severiores disciplinas praesertim sacras addiscendas constanter incum-

bant, quo ipsi optimis sanisque doctrinis apprime exculti, et proprii muneris partes, et sacra ministeria religiose sapienterque obire valeant. Jam vero cum summopere optemus, ut omnes, qui militant, in castris Domini unanimes uno ore honorificent Deum et Patrem Domini Nostri Jesu Christi, ac perfecti in eodem sensu atque sententia solliciti sint servare unitatem spiritus in vinculo pacis, a Vobis etiam atque etiam efflagitamus, ut arctissimo concordiae et caritatis foedere, summaque animorum consensione VV. FF. Episcopis, et saeculari Clero conjuncti nihil antiquius habeatis, quam in opus ministerii, in aedificationem Corporis Christi consociatis studiis vires omnes intendere atque aemulari semper charismata meliora. Cum enim „una sit Regularium et Saecularium Praelatorum, et Subditorum exemptorum et non exemptorum universalis Ecclesia, extra quam nullus omnino salvatur, quorum omnium unus est Dominus, una Fides et unum Baptisma: decet, ut omnes, qui ejusdem sunt corporis, unius etiam sint voluntatis, et sicut fratres ad invicem vinculo caritatis sint adstricti.“ (Clem. unic. de excess. Praelat.)

Haec sunt, Dilecti Filii, quae Vobis significanda, et monenda censuimus hac Nostra Epistola, ut plane intelligatis, quanta Vos vestrasque Religiosas Familias benevolentia prosequamur, quantoque studio earumdem familiarum rationibus, utilitatibus, dignitati et splendori providere velimus. Non dubitamus autem, quin Vos pro eximia vestra religione, pietate, virtute, prudentia ac summo vestri Ordinis amore Nostris desideriis, curis, consiliis cumulatissime respondere gloriemini. Hac igitur fiducia et spe freti propensissimae Nostrae in Vos, cunctosque vestros Religiosos Sodales voluntatis et caritatis testem, ac caelestium omnium munerum auspicem Apostolicam Benedictionem ex intimo corde depromptam Vobis ipsis, Dilecti Filii Religiosi Viri, atque illis peramanter impertimur.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem die 17. Junii Anno 1847. Pontificatus Nostri Anno Primo.

Nr. 11.

1854. 8. Dec. SS. Domini Nostri Pii Papae IX. Literae Apostolicae de dogmatica definitione Immaculatae Conceptionis Virginis Deiparae.

(ad Tit. III. cap. 5. p. 89.)

Pius Papa IX. Ad perpetuam rei memoriam. INEFFABILIS DEUS, cujus viae misericordia et veritas, cujus voluntas omnipotentia, et cujus sapientia attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter, cum ab omni aeternitate praeviderit luctuosissimam totius humani generis ruinam ex Adami transgressione derivandam, atque in mysterio e saeculis abscondito primum suae bonitatis opus decreverit per Verbi incarnationem sacramento occultiore complere, ut contra misericors suum propositum homo diabolicae iniquitatis versutia actus in culpam non periret, et quod in primo Adamo casurum erat, in secundo felicius erigeretur, ab initio et ante saecula Unigenito Filio suo matrem, ex qua caro factus in beata temporum plenitudine

nasceretur, elegit atque ordinavit, tantoque prae creaturis universis est prosequutus amore, ut in illa una sibi propensissima voluntate complacuerit. Quapropter illam longe ante omnes Angelicos Spiritus, cunctosque Sanctos caelestium omnium charismatum copia de thesauro divinitatis deprompta ita mirifice cumulavit, ut Ipsa ab omni prorsus peccati labe semper libera, ac tota pulchra et perfecta eam innocentiae et sanctitatis plenitudinem praeseferret, qua major sub Deo nullatenus intelligitur, et quam praeter Deum nemo assequi cogitando potest. Et quidem decebat omnino, ut perfectissimae sanctitatis splendoribus semper ornata fulgeret, ac vel ab ipsa originalis culpae labe plane immunis amplissimum de antiquo serpente triumphum referret tam venerabilis mater, cui Deus Pater unicum Filium suum, quem de corde suo aequalem sibi genitum tamquam seipsum diligit, ita dare disposuit, ut naturaliter esset unus idemque communis Dei Patris, et Virginis Filius, et quam ipse Filius substantialiter facere sibi matrem elegit, et de qua Spiritus Sanctus voluit et operatus est, ut conciperetur et nasceretur ille, de quo ipse procedit.

Quam originalem augustae Virginis innocentiam cum admirabili ejusdem sanctitate, praecelsaque Dei Matris dignitate omnino cohaerentem catholica Ecclesia, quae a Sancto semper edocta Spiritu columna est ac firmamentum veritatis, tamquam doctrinam possidens divinitus acceptam, et caelestis revelationis deposito comprehensam multiplici continenter ratione, splendidisque factis magis in dies explicare, proponere ac fovere nunquam destitit. Hanc enim doctrinam ab antiquissimis temporibus vigentem, ac fidelium animis penitus insitam, et Sacrorum Antistitum curis studiisque per catholicum orbem mirifice propagatam ipsa Ecclesia luculentissime significavit, cum ejusdem Virginis Conceptionem publico fidelium cultui ac venerationi proponere non dubitavit. Quo illustri quidem facto ipsius Virginis Conceptionem veluti singularem, miram, et a reliquorum hominum primordiis longissime secretam, et omnino sanctam colendam exhibuit, cum Ecclesia nonnisi de Sanctis dies festos concelebret. Atque idcirco vel ipsissima verba, quibus divinae Scripturae de increata Sapientia loquuntur, ejusque sempiternas origines repraesentant, consuevit tum in ecclesiasticis officiis, tum in sacrosancta Liturgia adhibere, et ad illius Virginis primordia transferre, quae uno eodemque decreto cum Divinae Sapientiae incarnatione fuerant praestituta.

Quamvis autem haec omnia penes fideles ubique prope recepta ostendant, quo studio ejusmodi de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam ipsa quoque Romana Ecclesia omnium Ecclesiarum mater et magistra fuerit prosequuta: tamen illustria hujus Ecclesiae facta digna plane sunt, quae nominatim recenseantur, cum tanta sit ejusdem Ecclesiae dignitas atque auctoritas, quanta illi omnino debetur, quae est Catholicae veritatis et unitatis centrum, in qua solum inviolabiliter fuit custodita religio, et ex qua traducem fidei reliquae omnes Ecclesiae mutuentur oportet. Itaque eadem Romana Ecclesia nihil potius habuit, quam eloquentissimis quibusque modis Immaculatam Virginis Conceptionem, ejusque cultum et doctrinam asserere, tueri, promovere et vindicare. Quod apertissime planissimeque testantur et declarant tot insignia sane acta Roma-

norum Pontificum Decessorum Nostrorum, quibus in persona Apostolorum Principis ab ipso Christo Domino divinitus fuit commissa suprema cura atque potestas pascendi agnos et oves, confirmandi fratres, et universam regendi et gubernandi Ecclesiam.

Enimvero Praedecessores Nostri vehementer gloriati sunt Apostolica sua auctoritate festum Conceptionis in Romana Ecclesia instituere, ac proprio Officio propriaque Missa, quibus praerogativa immunitatis ab haereditaria labe manifestissime asserebatur, augere, honestare, et cultum jam institutum omni ope promovere, amplificare sive erogatis indulgentiis, sive facultate tributa civitatibus, provinciis, regnisque, ut Deiparam sub titulo Immaculatae Conceptionis Patronam sibi deligerent, sive comprobatis Sodalitatibus, Congregationibus, Religiosisque Familiis ad Immaculatae Conceptionis honorem institutis, sive laudibus eorum pietati delatis, qui monasteria, xenodochia, altaria, templa sub Immaculati Conceptus titulo erexerint, aut sacramenti religione interposita, Immaculatam Deiparae Conceptionem strenue propugnare spoponderint. Insuper summopere laetati sunt decernere Conceptionis festum ab omni Ecclesia esse habendum eodem censu ac numero, quo festum Nativitatis, idemque Conceptionis festum cum Octava ab universa Ecclesia celebrandum, et ab omnibus inter ea, quae praecepta sunt, sancte colendum, ac Pontificiam Capellam in Patriarchali Nostra Liberiana Basilica die Virginis Conceptioni sacro quotannis esse peragendam. Atque exoptantes in fidelium animis quotidie magis fovere hanc de Immaculata Deiparae Conceptione doctrinam, eorumque pietatem excitare ad ipsam Virginem sine labe originali conceptam colendam et venerandam, gavisi sunt quam libentissime facultatem tribuere, ut in Lauretanis Litaniis, et in ipsa Missae praefatione Immaculatus ejusdem Virginis proclamaretur Conceptus, atque adeo lex credendi ipsa supplicandi lege statueretur. Nos porro tantorum Praedecessorum vestigiis inhaerentes non solum, quae ab ipsis pientissime sapientissimeque fuerant constituta, probavimus et recepimus, verum etiam memores institutionis Sixti IV. proprium de Immaculata Conceptione Officium auctoritate Nostra munivimus, illiusque usum universae Ecclesiae laetissimo prorsus animo concessimus.

Quoniam vero quae ad cultum pertinent, intimo plane vinculo cum ejusdem objecto conserta sunt, neque rata et fixa manere possunt, si illud anceps sit et in ambiguo versetur: idcirco Decessores Nostri Romani Pontifices omni cura Conceptionis cultum amplificantes, illius etiam objectum ac doctrinam declarare, et inculcare impensissime studuerunt. Etenim clare aperteque docuere, festum agi de Virginis Conceptione, atque uti falsam et ab Ecclesiae mente alienissimam proscripserunt illorum opinionem: qui non Conceptionem ipsam, sed sanctificationem ab Ecclesia coli arbitrarentur et affirmarent. Neque mitius cum iis agendum esse existimarunt, qui ad labefactandam de Immaculata Virginis Conceptione doctrinam excogitato inter primum atque alterum Conceptionis instans et momentum discrimine, asserebant, celebrari quidem Conceptionem, sed non pro primo instanti atque momento. Ipsi namque Praedecessores Nostri suarum partium esse duxerunt, et beatissimae Virginis Conceptionis fe-

stum, et Conceptionem pro primo instanti tamquam verum cultus objectum omni studio tueri ac propugnare. Hinc decretoria plane verba, quibus Alexander VII. Decessor Noster sinceram Ecclesiae mentem declaravit inquiens: „Sane vetus est Christi fidelium erga ejus beatissimam Matrem Virginem Mariam pietas sentientium, ejus animam in primo instanti creationis, atque infusionis in corpus fuisse speciali Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Jesu Christi ejus Filii humani generis Redemptoris, a macula peccati originalis praeservatam immunem, atque in hoc sensu ejus Conceptionis festivitatem solemni ritu colentium, et celebrantium.“ [1])

Atque illud in primis solemne quoque fuit iisdem Decessoribus Nostris, doctrinam de Immaculata Dei Matris Conceptione sartam tectamque omni cura, studio et contentione tueri. Etenim non solum nullatenus passi sunt, ipsam doctrinam quovis modo a quopiam notari atque traduci, verum etiam longe ulterius progressi perspicuis declarationibus, iteratisque vicibus edixerunt, doctrinam, qua Immaculatam Virginis Conceptionem profitemur, esse, suoque merito haberi cum ecclesiastico cultu plane consonam, eamque veterem, ac prope universalem et ejusmodi, quam Romana Ecclesia sibi fovendam, tuendamque susceperit, atque omnino dignam, quae in sacra ipsa Liturgia, solemnibusque precibus usurparetur. Neque his contenti, ut ipsa de Immaculato Virginis Conceptu doctrina inviolata persisteret, opinionem huic doctrinae adversam sive publice, sive privatim defendi posse severissime prohibuere, eamque multiplici veluti vulnere confectam esse voluerunt. Quibus repetitis luculentissimisque declarationibus, ne inanes viderentur, adjecere sanctionem: quae omnia laudatus Praedecessor Noster Alexander VII. his verbis est complexus:

„Nos considerantes, quod Sancta Romana Ecclesia de Intemeratae semper Virginis Mariae Conceptione festum solemniter celebrat, et speciale ac proprium super hoc Officium olim ordinavit juxta piam, devotam et laudabilem institutionem, quae a Sixto IV. Praedecessore Nostro tunc emanavit; volentesque laudabili huic pietati et devotioni, et festo, ac cultui secundum illam exhibito, in Ecclesia Romana post ipsius cultus institutionem nunquam immutato, Romanorum Pontificum Praedecessorum Nostrorum exemplo, favere, nec non tueri pietatem et devotionem hanc colendi et celebrandi beatissimam Virginem praeveniente scilicet Spiritus Sancti gratia, a peccato originali praeservatam, cupientesque in Christi grege unitatem spiritus in vinculo pacis, sedatis offensionibus et jurgiis, amotisque scandalis conservare: ad praefatorum Episcoporum cum Ecclesiarum suarum Capitulis, ac Philippi Regis, ejusque Regnorum oblatam Nobis instantiam, ac preces; Constitutiones, et Decreta, a Romanis Pontificibus Praedecessoribus Nostris, et praecipue a Sixto IV., Paulo V. et Gregorio XV. edita in favorem sententiae asserentis, Animam beatae Mariae Virginis in sui creatione et in corpus infusione, Spiritus Sancti gratia donatam, et a peccato originali praeservatam fuisse, nec non et in favorem festi et cultus Conceptionis ejusdem Virginis Deiparae, secundum piam istam sententiam, ut praefertur

[1]) Alexander VII. Const. Sollicitudo omnium Ecclesiarum VIII. Decembris 1661.

exhibiti, innovamus, et sub censuris, et poenis in eisdem Constitutionibus contentis observari mandamus."

„Et insuper omnes et singulos, qui praefatas Constitutiones, seu Decreta ita pergent interpretari, ut favorem per illas dictae sententiae, et festo seu cultui secundum illam exhibito, frustrentur, vel qui hanc eamdem sententiam, festum seu cultum in disputationem revocare, aut contra ea quoquo modo directe vel indirecte aut quovis praetextu, etiam definibilitatis ejus examinandae, sive Sacram Scripturam, aut Sanctos Patres, sive Doctores glossandi vel interpretandi, denique alio quovis praetextu seu occasione, scripto seu voce loqui, concionari, tractare, disputare, contra ea quidquam determinando, aut asserendo, vel argumenta contra ea afferendo et insoluta relinquendo, aut alio quovis inexcogitabili modo disserendo ausi fuerint; praeter poenas et censuras in Constitutionibus Sixti IV. contentas, quibus illos subjacere volumus et per praesentes subjicimus, etiam concionandi, publice legendi seu docendi, et interpretandi facultate, ac voce activa et passiva in quibuscunque electionibus, eo ipso absque alia declaratione privatos esse volumus; nec non ad concionandum, publice legendum, docendum et interpretandum perpetuae inhabilitatis poenas ipso facto incurrere absque alia declaratione; a quibus poenis nonnisi a Nobis ipsis, vel a Successoribus Nostris Romanis Pontificibus absolvi, aut super iis dispensari possint; nec non eosdem aliis poenis, Nostro, et eorumdem Romanorum Pontificum Successorum Nostrorum arbitrio infligendis, pariter subjacere volumus, prout subjicimus per praesentes, innovantes Pauli V. et Gregorii XV. superius memoratas Constitutiones sive Decreta."

„Ac libros, in quibus praefata sententia, festum seu cultus secundum illam in dubium revocatur, aut contra ea quomodocunque, ut supra, aliquid scribitur aut legitur, seu locutiones, conciones, tractatus, et disputationes contra eadem continentur; post Pauli V. supra laudatum Decretum edita, aut in posterum quomodolibet edenda, prohibemus sub poenis et censuris in Indice librorum prohibitorum contentis, et ipso facto absque alia declaratione pro expresse prohibitis haberi volumus et mandamus."

Omnes autem norunt, quanto studio haec de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione doctrina a spectatissimis Religiosis Familiis, et celebrioribus Theologicis Academiis ac praestantissimis rerum divinarum scientia Doctoribus fuerit tradita, asserta ac propugnata. Omnes pariter norunt, quantopere solliciti fuerint Sacrorum Antistites vel in ipsis ecclesiasticis conventibus palam publiceque profiteri, sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam ob praevisa Christi Domini Redemptoris merita nunquam originali subjacuisse peccato, sed praeservatam omnino fuisse ab originis labe, et idcirco sublimiori modo redemptam. Quibus illud profecto gravissimum, et omnino maximum accedit, ipsam quoque Tridentinam Synodum, cum dogmaticum de peccato originali ederet decretum, quo juxta Sacrarum Scripturarum sanctorumque Patrum ac probatissimorum Conciliorum testimonia statuit ac definivit, homines nasci originali culpa infectos, tamen solemniter declarasse, non esse suae intentionis in decreto ipso, tantaque definitionis amplitudine comprehendere beatam et immaculatam Vir-

ginem Dei Genitricem Mariam. Hac enim declaratione Tridentini Patres, ipsam beatissimam Virginem ab originali labe solutam pro rerum temporumque adjunctis satis innuerunt, atque adeo perspicue significarunt, nihil ex divinis literis, nihil ex traditione, Patrumque auctoritate rite afferri posse, quod tantae Virginis praerogativae quovis modo refragetur.

Et re quidem vera hanc de Immaculata beatissimae Virginis Conceptione doctrinam quotidie magis gravissimo Ecclesiae sensu, magisterio, studio, scientia ac sapientia tam splendide explicatam, declaratam, confirmatam, et apud omnes catholici orbis populos ac nationes mirandum in modum propagatam, in ipsa Ecclesia semper extitisse veluti a majoribus acceptam, ac revelatae doctrinae charactere insignitam illustria venerandae antiquitatis Ecclesiae orientalis et occidentalis monumenta validissime testantur. Christi enim Ecclesia sedula depositorum apud se dogmatum custos et vindex nihil in his unquam permutat, nihil minuit, nihil addit, sed omni industria vetera fideliter sapienterque tractando si qua antiquitus informata sunt, et Patrum fides sevit, ita limare, expolire studet, ut prisca illa caelestis doctrinae dogmata accipiant evidentiam, lucem, distinctionem, sed retineant plenitudinem, integritatem, proprietatem, ac in suo tantum genere crescant, in eodem scilicet dogmate, in eodem sensu eademque sententia.

Equidem Patres Ecclesiaeque Scriptores caelestibus edocti eloquiis nihil antiquius habuere, quam in libris ad explicandas Scripturas, vindicanda dogmata, erudiendosque fideles elucubratis summam Virginis sanctitatem, dignitatem, atque ab omni peccati labe integritatem, ejusque praeclaram de teterrimo humani generis hoste victoriam multis mirisque modis certatim praedicare atque efferre. Quapropter enarrantes verba, quibus Deus praeparata renovandis mortalibus suae pietatis remedia inter ipsa mundi primordia praenuntians et deceptoris serpentis retudit audaciam et nostri generis spem mirifice erexit inquiens „Inimicitias ponam inter te et mulierem, semen tuum et semen illius“ docuere, divino hoc oraculo clare aperteque praemonstratum fuisse misericordem humani generis Redemptorem, scilicet Unigenitum Dei Filium Christum Jesum, ac designatam beatissimam Ejus matrem Virginem Mariam, ac simul ipsissimas utriusque contra diabolum inimicitias insigniter expressas. Quocirca sicut Christus Dei hominumque mediator humana assumpta natura delens quod adversus nos erat chirographum decreti, illud cruci triumphator affixit, sic sanctissima Virgo arctissimo et indissolubili vinculo cum Eo conjuncta una cum Illo, et per Illum sempiternas contra venenosum serpentem inimicitias exercens, ac de ipso plenissime triumphans illius caput immaculato pede contrivit.

Hunc eximium singularemque Virginis triumphum, excellentissimamque innocentiam, puritatem, sanctitatem, ejusque ab omni peccati labe integritatem, atque ineffabilem caelestium omnium gratiarum, virtutum ac privilegiorum copiam et magnitudinem iidem Patres viderunt tum in arca illa Noe, quae divinitus constituta a communi totius mundi naufragio plane salva et incolumis evasit; tum in scala illa, quam de terra ad caelum usque pertingere vidit Jacob, cujus gradibus Angeli Dei ascendebant et descendebant, cujusque vertici ipse innitebatur Dominus; tum in rubo illo, quem in loco sancto Moyses undique ardere ac inter

crepitantes ignis flammas non jam comburi aut jacturam vel minimam pati, sed pulchre virescere ac florescere conspexit; tum in illa inexpugnabili turri a facie inimici, ex qua mille clypei pendent, omnisque armatura fortium; tum in horto illo concluso, qui nescit violari neque corrumpi ullis insidiarum fraudibus; tum in corusca illa Dei civitate, cujus fundamenta in montibus sanctis; tum in augustissimo illo Dei templo, quod divinis refulgens splendoribus plenum est gloria Domini; tum in aliis ejusdem generis omnino plurimis, quibus excelsam Deiparae dignitatem, ejusque illibatam innocentiam, et nulli unquam naevo obnoxiam sanctitatem insigniter praenunciatam fuisse Patres tradiderunt.

Ad hanc eandem divinorum munerum veluti summam, originalemque Virginis, de qua natus est Jesus, integritatem describendam iidem Prophetarum adhibentes eloquia non aliter ipsam augustam Virginem concelebrarunt, ac uti columbam mundam, et sanctam Jerusalem, et excelsum Dei thronum, et arcam sanctificationis, et domum, quam sibi aeterna aedificavit Sapientia, et Reginam illam, quae deliciis affluens et innixa super Dilectum suum, ex ore Altissimi prodivit omnino perfecta, speciosa ac penitus cara Deo, et nullo unquam labis naevo maculata. Cum vero ipsi Patres, Ecclesiaeque Scriptores animo menteque reputarent, beatissimam Virginem ab Angelo Gabriele sublimissimam Dei Matris dignitatem ei nuntiante, ipsius Dei nomine et jussu gratia plenam fuisse nuncupatam, docuerunt hac singulari solemnique salutatione nunquam alias audita ostendi, Deiparam fuisse omnium divinarum gratiarum sedem, omnibusque divini Spiritus charismatibus exornatam, immo eorumdem charismatum infinitum prope thesaurum, abyssumque inexhaustam, adeo ut nunquam maledicto obnoxia, et una cum Filio perpetuae benedictionis particeps ab Elisabeth divino acta Spiritu audire meruerit: benedicta Tu inter mulieres, et benedictus fructus ventris tui.

Hinc non luculenta minus, quam concors eorumdem sententia, gloriosissimam Virginem, cui fecit magna, qui Potens est, ea caelestium omnium donorum vi, ea gratiae plenitudine eaque innocentia emicuisse, qua veluti ineffabile Dei miraculum, imo omnium miraculorum apex, ac digna Dei mater exstiterit, et ad Deum ipsum pro ratione creatae naturae, quam proxime accedens omnibus, qua humanis, qua angelicis praeconiis celsior evaserit. Atque idcirco ad originalem Dei Genitricis innocentiam, justitiamque vindicandam, non Eam modo cum Heva adhuc virgine, adhuc innocente, adhuc incorrupta, et nondum mortiferis fraudulentissimi serpentis insidiis decepta saepissime contulerunt, verum etiam mira quadam verborum, sententiarumque varietate praetulerunt. Heva enim serpenti misere obsequuta et ab originali excidit innocentia, et illius mancipium evasit, sed beatissima Virgo originale donum jugiter augens, quin serpenti aures unquam praebuerit, illius vim potestatemque virtute divinitus accepta funditus labefactavit.

Quapropter nunquam cessarunt Deiparam appellare vel lilium inter spinas, vel terram omnino intactam, virgineam, illibatam, immaculatam, semper benedictam, et ab omni peccati contagione liberam, ex qua novus formatus est Adam, vel irreprehensibilem, lucidissimum, amoenissimumque innocentiae, immortalita-

tis ac deliciarum paradisum a Deo ipso consitum, et ab omnibus venenosi serpentis insidiis defensum, vel lignum immarcescibile, quod peccati vermis nunquam corruperit, vel fontem semper illimem, et Spiritus Sancti virtute signatum, vel divinissimum templum, vel immortalitatis thesaurum, vel unam et solam non mortis sed vitae filiam, non irae sed gratiae germen, quod semper virens ex corrupta infectaque radice singulari Dei providentia praeter statutas communesque leges effloruerit. Sed quasi haec, licet splendidissima, satis non forent, propriis definitisque sententiis edixerunt, nullam prorsus, cum de peccatis agitur, habendam esse quaestionem de sancta Virgine Maria, cui plus gratiae collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum; tum professi sunt, gloriosissimam Virginem fuisse parentum reparatricem, posterorum vivificatricem, a saeculo electam, ab Altissimo sibi praeparatam, a Deo, quando ad serpentem ait: inimicitias ponam inter te et mulierem, praedictam, quae procul dubio venenatum ejusdem serpentis caput contrivit; ac propterea affirmarunt, eandem beatissimam Virginem fuisse per gratiam ab omni peccati labe integram ac liberam ab omni contagione et corporis, et animae, et intellectus, ac semper cum Deo conversatam, et sempiterno foedere cum Illo conjunctam, nunquam fuisse in tenebris, sed semper in luce, et idcirco idoneum plane exstitisse Christo habitaculum non pro habitu corporis, sed pro gratia originali.

Accedunt nobilissima effata, quibus de Virginis Conceptione loquentes testati sunt, naturam gratiae cessisse ac stetisse tremulam pergere non sustinentem; nam futurum erat, ut Dei Genitrix Virgo non antea ex Anna conciperetur, quam gratia fructum ederet: concipi siquidem primogenitam oportebat, ex qua concipiendus esset omnis creaturae primogenitus. Testati sunt carnem Virginis ex Adam sumptam maculas Adae non admisisse, ac propterea beatissimam Virginem tabernaculum esse ab ipso Deo creatum, Spiritu Sancto formatum, et purpureae revera operae, quod novus ille Beseleel auro intextum variumque effinxit, eamdemque esse meritoque celebrari ut illam, quae proprium Dei opus primum exstiterit, ignitis maligni telis latuerit, et pulchra natura, ac labis prorsus omnis nescia, tamquam aurora undequaqua rutilans in mundum prodiverit in sua Conceptione Immaculata. Non enim decebat, ut illud vas electionis communibus lacesseretur injuriis, quoniam plurimum a ceteris differens, natura communicavit non culpa, imo prorsus decebat ut sicut Unigenitus in caelis Patrem habuit, quem Seraphim ter sanctum extollunt, ita matrem haberet in terris, quae nitore sanctitatis nunquam caruerit. Atque haec quidem doctrina adeo majorum mentes animosque occupavit, ut singularis et omnino mirus penes illos invaluerit loquendi usus, quo Deiparam saepissime compellarunt immaculatam, omnique ex parte immaculatam, innocentem et innocentissimam, illibatam et undequaque illibatam, sanctam et ab omni peccati sorde alienissimam, totam puram, totam intemeratam, ac ipsam prope puritatis et innocentiae formam, pulchritudine pulchriorem, venustate venustiorem, sanctiorem sanctitate, solamque sanctam, purissimamque anima et corpore, quae supergressa est omnem integritatem et virginitatem, ac sola tota facta domicilium universarum gratiarum Sanctissimi Spiritus, et quae solo Deo excepto, exstitit cunctis superior, et ipsis Cherubim et

Seraphim, et omni exercitu Angelorum natura pulchrior, formosior et sanctior, cui praedicandae coelestes et terrenae linguae minime sufficiunt. Quem usum ad sanctissimae quoque liturgiae monumenta atque ecclesiastica Officia sua veluti sponte fuisse traductum, et in illis passim recurrere, ampliterque dominari nemo ignorat, cum in illis Deipara invocetur et praedicetur veluti una incorrupta pulchritudinis columba, veluti rosa semper virens; et undequaque purissima, et semper immaculata semperque beata, ac celebretur uti innocentia, quae nunquam fuit laesa, et altera Heva, quae Emmanuelem peperit.

Nil igitur mirum, si de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione doctrinam judicio Patrum divinis literis consignatam, tot gravissimis eorumdem testimoniis traditam, tot illustribus venerandae antiquitatis monumentis expressam et celebratam, ac maximo gravissimoque Ecclesiae judicio propositam et confirmatam tanta pietate, religione et amore ipsius Ecclesiae Pastores, populique fideles quotidie magis profiteri sint gloriati, ut nihil iisdem dulcius, nihil carius, quam ferventissimo affectu Deiparam Virginem absque labe originali conceptam ubique colere, venerari, invocare et praedicare. Quamobrem ab antiquis temporibus Sacrorum Antistites, Ecclesiastici viri, regulares Ordines, ac vel ipsi Imperatores et Reges ab hac Apostolica Sede enixe efflagitarunt, ut Immaculata sanctissimae Dei Genitricis Conceptio veluti catholicae fidei dogma definiretur. Quae postulationes hac nostra quoque aetate iteratae fuerunt, ac potissimum felicis recordationis Gregorio XVI. Praedecessori Nostro, ac Nobis ipsis oblatae sunt tum ab Episcopis, tum a Clero saeculari, tum a Religiosis Familiis, ac summis Principibus et fidelibus populis.

Nos itaque singulari animi Nostri gaudio haec omnia probe noscentes, ac serio considerantes, vix dum licet immeriti arcano divinae Providentiae consilio ad hanc sublimem Petri Cathedram evecti totius Ecclesiae gubernacula tractanda suscepimus, nihil certe antiquius habuimus, quam pro summa Nostra vel a teneris annis erga sanctissimam Dei Genitricem Virginem Mariam veneratione, pietate et affectu ea omnia peragere, quae adhuc in Ecclesiae votis esse poterant, ut beatissimae Virginis honor augeretur, ejusque praerogativae uberiori luce niterent. Omnem autem maturitatem adhibere volentes constituimus peculiarem VV. FF. NN. S. R. E. Cardinalium religione, consilio ac divinarum rerum scientia illustrium Congregationem, et viros ex Clero tum saeculari, tum regulari theologicis disciplinis apprime excultos selegimus, ut ea omnia, quae Immacutatam Virginis Conceptionem respiciunt, accuratissime perpenderent, propriamque sententiam ad Nos deferrent. Quamvis autem Nobis ex receptis postulationibus de definienda tandem aliquando Immaculata Virginis Conceptione perspectus esset plurimorum Sacrorum Antistitum sensus, tamen Encyclicas Literas die 2. Februarii anno 1849. Cajetae datas ad omnes Venerabiles Fratres totius Catholici orbis Sacrorum Antistites misimus, ut, adhibitis ad Deum precibus, Nobis scripto etiam significarent, quae esset suorum fidelium erga Immaculatam Deiparae Conceptionem pietas ac devotio, et quid ipsi praesertim Antistites de hac ipsa definitione ferenda sentirent, quidve exoptarent, ut quo fieri solemnius posset, supremum Nostrum judicium proferremus.

Non mediocri certe solatio affecti fuimus, ubi eorumdem Venerabilium Fratrum ad Nos responsa venerunt. Nam iidem incredibili quadam jucunditate, laetitia ac studio Nobis rescribentes non solum singularem suam, et proprii cujusque Cleri, populique fidelis erga Immaculatum beatissimae Virginis Conceptum pietatem mentemque denuo confirmarunt, verum etiam communi veluti voto a Nobis expostularunt, ut Immaculata ipsius Virginis Conceptio supremo Nostro judicio et auctoritate definiretur. Nec minori certe interim gaudio perfusi sumus, cum VV. FF. NN. S. R. E. Cardinales commemoratae peculiaris Congregationis, et praedicti Theologi Consultores a Nobis electi pari alacritate et studio post examen diligenter adhibitum hanc de Immaculata Deiparae Conceptione definitionem a Nobis efflagitaverint.

Post haec illustribus Praedecessorum Nostrorum vestigiis inhaerentes, ac rite recteque procedere optantes indiximus et habuimus Consistorium, in quo Venerabiles Fratres Nostros Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinales alloquuti sumus, eosque summa animi Nostri consolatione audivimus a Nobis exposcere, ut dogmaticam de Immaculata Deiparae Virginis Conceptione definitionem emittere vellemus.

Itaque plurimum in Domino confisi advenisse temporum opportunitatem pro Immaculata sanctissimae Dei Genitricis Virginis Mariae Conceptione definienda, quam divina eloquia, veneranda traditio, perpetuus Ecclesiae sensus, singularis catholicorum Antistitum, ac fidelium conspiratio et insignia Praedecessorum Nostrorum acta, constitutiones mirifice illustrant atque declarant; rebus omnibus diligentissime perpensis, et assiduis, fervidisque ad Deum precibus effusis, minime cunctandum Nobis esse censuimus supremo Nostro judicio Immaculatam ipsius Virginis Conceptionem sancire, definire atque ita pientissimis catholici orbis desideriis, Nostraeque in ipsam sanctissimam Virginem pietati satisfacere, ac simul in Ipsa Unigenitum Filium suum Dominum Nostrum Jesum Christum magis atque magis honorificare, cum in Filium redundet quidquid honoris et laudis in Matrem impenditur.

Quare postquam nunquam intermisimus in humilitate et jejunio privatas Nostras et publicas Ecclesiae preces Deo Patri per Filium Ejus offerre, ut Spiritus Sancti virtute mentem Nostram dirigere, et confirmare dignaretur, implorato universae caelestis Curiae praesidio, et advocato cum gemitibus Paraclito Spiritu, eoque sic adspirante, ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad decus et ornamentum Virginis Deiparae, ad exaltationem Fidei catholicae, et Christianae Religionis augmentum, auctoritate Domini Nostri Jesu Christi, beatorum Apostolorum Petri et Pauli, ac Nostra declaramus, pronunciamus et definimus, doctrinam, quae tenet, beatissimam Virginem Mariam in primo instanti suae Conceptionis fuisse singulari omnipotentis Dei gratia et privilegio, intuitu meritorum Christi Jesu Salvatoris humani generis, ab omni originalis culpae labe praeservatam immunem, esse a Deo revelatam, atque idcirco ab omnibus fidelibus firmiter constanterque credendam. Quapropter si qui secus ac a Nobis definitum est, quod Deus avertat, praesumpserint corde sentire, ii noverint, ac porro sciant, se proprio judicio condemnatos, naufragium circa fidem passos esse, et ab unitate Ecclesiae defecisse, ac praeterea facto ipso suo semet poe-

nis a jure statutis subjicere, si quod corde sentiunt, verbo aut scripto, vel alio quovis externo modo significare ausi fuerint.

Repletum quidem est gaudio os Nostrum et lingua Nostra exultatione, atque humillimas maximasque Christo Jesu Domino Nostro agimus et semper agemus gratias quod singulari suo beneficio Nobis licet immerentibus concesserit hunc honorem atque hanc gloriam et laudem sanctissimae suae Matri offerre et decernere. Certissima vero spe et omni prorsus fiducia nitimur fore, ut ipsa beatissima Virgo, quae tota pulchra et Immaculata venenosum crudelissimi serpentis caput contrivit, et salutem attulit mundo, quaeque Prophetarum Apostolorumque praeconium, et honor Martyrum, omniumque Sanctorum laetitia et corona, quaeque tutissimum cunctorum periclitantium perfugium, et fidissima auxiliatrix, ac totius terrarum orbis potentissima apud Unigenitum Filium suum mediatrix et conciliatrix, ac praeclarissimum Ecclesiae sanctae decus et ornamentum, firmissimumque praesidium cunctas semper interemit haereses, et fideles populos, gentesque a maximis omnis generis calamitatibus eripuit, ac Nos ipsos a tot ingruentibus periculis liberavit; velit validissimo suo patrocinio efficere, ut sancta Mater catholica Ecclesia, cunctis amotis difficultatibus, cunctisque profligatis erroribus, ubicumque gentium, ubicumque locorum quotidie magis vigeat, floreat, ac regnet a mari usque ad mare et a flumine usque ad terminos orbis terrarum, omnique pace, tranquillitate, ac libertate fruatur, ut rei veniam, aegri medelam, pusilli corde robur, afflicti consolationem, periclitantes adjutorium obtineant, et omnes errantes discussa mentis caligine ad veritatis ac justitiae semitam redeant, ac fiat unum ovile et unus pastor.

Audiant haec Nostra verba omnes Nobis carissimi catholicae Ecclesiae filii, et ardentiori usque pietatis, religionis, et amoris studio pergant colere, invocare, exorare beatissimam Dei Genitricem Virginem Mariam sine labe originali conceptam, atque ad hanc dulcissimam misericordiae et gratiae Matrem in omnibus periculis, angustiis, necessitatibus, rebusque dubiis ac trepidis cum omni fiducia confugiant. Nihil enim timendum, nihilque desperandum Ipsa duce, Ipsa auspice, Ipsa propitia, Ipsa protegente, quae maternum sane in nos gerens animum, nostraeque salutis negotia tractans de universo humano genere est sollicita, et caeli terraeque Regina a Domino constituta, ac super omnes Angelorum choros Sanctorumque ordines exaltata adstans a dextris Unigeniti Filii Sui Domini Nostri Jesu Christi maternis suis precibus validissime impetrat, et quod quaerit invenit, ac frustrari non potest.

Denique ut ad universalis Ecclesiae notitiam haec Nostra de Immaculata Conceptione beatissimae Virginis Mariae definitio deducatur, has Apostolicas Nostras Literas, ad perpetuam rei memoriam exstare voluimus; mandantes ut harum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, et Sigillo personae in ecclesiastica dignitate constitutae munitis eadem prorsus fides ab omnibus adhibeatur, quae ipsis praesentibus adhiberetur si forent exhibitae, vel ostensae.

Nulli ergo hominum liceat paginam hanc Nostrae declarationis, pronunciationis, ac definitionis infringere, vel ei ausu temerario adversari et contraire.

Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei ac beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus se noverit incursurum.

Datum Romae apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicae millesimo octingentesimo quinquagesimo quarto, VI. Idus Decembris Anno 1854., Pontificatus Nostri Anno Nono.

Nr. 12.

1854. 9. Dec. SS. D. N. Pii Papae IX. Allocutio habita in Cons. Secr.

(ad Tit. I. et II. pluribus locis.)

Venerabiles Fratres. SINGULARI QUADAM perfusi laetitia exultamus in Domino, Venerabiles Fratres, cum Vos hodierno die lateri Nostro frequentes adstare videamus, quos Nostrum gaudium et coronam jure possumus nuncupare. Vos enim pars estis eorum, quibuscum communicamus labores et curas in pascendo humilitati Nostrae concredito Dominico grege universo, in tutandis juribus catholicae religionis, eique novis adjungendis sectatoribus, qui justitiae et veritatis Deum in sinceritate fidei colant et venerentur. Itaque quod olim Christus Dominus dixit Apostolorum Principi „tu aliquando conversus confirma fratres tuos,“ id ipsum Nobis, qui in ejus locum licet immerentes divina benignitate suffecti sumus, hac oblata opportunitate praestandum videtur, ut Vobis nimirum, Venerabiles Fratres, verba faciamus, non ut Vos aut commoneamus officii, aut languentes excitemus, quos inflammatos studio novimus divini Nominis gloriae propagandae, sed ut tamquam voce ipsi Beatissimi Petri, qui vivit vivetque in Successoribus suis, recreati atque erecti novo veluti robore muniamini ad quaerendam commissarum ovium salutem, ad Ecclesiae causam in tanta asperitate temporum animose ac fortiter sustinendam.

Neque vero deliberandum fuit, cujus potissimum adhibeamus patrocinium apud caelestem patrem luminum, ut eo adjuvante alloqui Vos fructuose possimus; siquidem cum ea de causa apud Nos conveneritis, ut conspirantibus animis studia curasque conferremus amplificando honori augustae Genitricis Dei Mariae, Sanctissimam ipsam Virginem Sapientiae Sedem ab Ecclesia nuncupatam iteratis precibus obsecravimus, ut impetrare Nobis radium velit sapientiae caelestis, qua collustrati ea Vobis loquamur, quae et incolumitati et prosperitati Ecclesiae Dei maximopere sint profutura. Jamvero ex hac tanquam arce religionis intuentibus Nobis errorum monstra, quae per catholicum orbem hac difficillima aetate grassantur, nihil opportunius visum est quam illa Vobis indicare, ut ad eadem debellanda vires exseratis vestras, Venerabiles Fratres, qui custodes praepositi estis, et speculatores domui Israeli.

Existere etiam nunc dolendum est impium incredulorum genus, qui omnem si fieri posset exterminatum vellent religionis cultum, eisque adnumerandi inprimis sunt clandestinarum societatum gregales, qui nefario inter se foedere conjuncti nullas non adhibent artes, ut quibusque violatis juribus rem et sacram et publicam perturbent, evertant; in quos profecto verba illa cadunt divini Reparatoris „vos ex patre diabolo estis, et opera patris vestri vultis facere.“

Hos si excipiamus, fatendum est praesentis aetatis homines generatim abhorrere ab incredulorum pravitate, et inclinationem quamdam animorum ostendere erga religionem et fidem. Sive enim facinorum ob atrocitatem, quae superiori praesertim saeculo perpetrata incredulis tribuenda sunt, quaeque animus meminisse reformidat, sive ob metum seditionum ac tumultuum, qui miserandum in modum convellunt, affligant nationes et regna, sive denique divini spiritus opera, qui spirat ubi vult, imminutum esse patet perditorum numerum, qui incredulitate se jactent et glorientur; contra vero commendari audimus interdum vitae ac morum honestatem, excitatumque praeterea novimus in animis hominum admirationis sensum catholicam erga religionem, quae quidem in omnium incurrit oculos tanquam lux solis.

Non exiguum hoc est bonum, Venerabiles Fratres, et quidam quasi ad veritatem progressus, sed tamen multa adhuc sunt, quae a veritate plane assequenda absterrent homines et remorantur.

Sunt enimvero plerique, qui rebus publicis tractandis praepositi fautores se religionis, et adsertores dicant, illam laudibus attollant, humanaeque societati quam maxime accommodatam, atque utilem praedicent; nihilominus ejus moderari disciplinam volunt, sacros ministros regere, sacrorum procurationem attingere, uno verbo civilis intra status limites coërcere nituntur Ecclesiam, eique dominari, quae tamen sui juris est, divinoque consilio nullius imperii terminis contineri debet, sed ad ultimas terras propagari, omnesque complecti gentes ac nationes, ut sempiternae illis beatitatis iter designet expediat. Et proh dolor! Dum haec loquimur, Venerabiles Fratres, in Subalpina ditione proposita lex est, qua regularia et Ecclesiastica instituta de medio tolluntur, et Ecclesiae jura plane conculcantur, atque, si fieri potest, delentur. Sed tamen de re tam gravi hoc ipso in loco alias agemus. Utinam vero qui libertati obsistunt catholicae religionis, agnoscant aliquando, quantopere publicae rei bono ipsa conducat, quae sua cuique civium observanda proponit, et inculcat officia ex coelesti quam accepit doctrina; utinam persuadere sibi tandem velint, quod olim Zenoni Imperatori scribebat sanctus Felix Praecessor Noster „nihil esse utilius Principibus, quam sinere Ecclesiam uti legibus suis, hoc enim illis esse salutare, ut cum de causis Dei agitur, regiam voluntatem Sacerdotibus Christi studeant subdere, non praeferre."

Sunt praeterea, Ven. Fr., viri quidam eruditione praestantes, qui religionem munus esse fatentur longe praestantissimum a Deo hominibus datum, humanam nihilominus rationem tanto habent in pretio, tantopere extollunt, ut vel ipsi religioni aequiparandam stultissime putent. Hinc ex vana ipsorum opinione theologicae disciplinae perinde ac philosophicae tractandae sunt; cum tamen illae fidei dogmatibus innitantur, quibus nihil firmius, nihil stabilius, istae vero humana explicentur atque illustrentur ratione qua nihil incertius, utpote quae varia est pro ingeniorum varietate, innumerisque fallaciis, et praestigiis obnoxia. Ita quidem rejecta Ecclesiae auctoritate difficillimis quibusque, reconditisque quaestionibus latissimus patuit campus, ratioque humana infirmis suis confisa viribus licentius excurrens turpissimos in errores lapsa est, quos hic referre

nec vacat nec lubet, quippe Vobis probe cognitos atque exploratos, quique in religionis et civilis rei detrimentum, illudque maximum redundarunt. Quamobrem istis hominibus, qui plus aequo vires efferunt humanae rationis ostendere oportet, plane id esse contrarium verissimae illi sententiae Doctoris gentium, „si quis putet se aliquid esse, cum nihil sit, ipse se seducit." Demonstrandum illis est quantae sit arrogantiae pervestigare mysteria, quae revelare nobis dignatus est clementissimus Deus, eademque assequi, complectique audere humanae mentis imbecillitate et angustiis, cum longissime ea vires excedant nostri intellectus, qui ex Apostoli ejusdem dicto captivandus est in obsequium fidei.

Atque hujusmodi humanae rationis sectatores, seu cultores potius, qui eam sibi certam veluti magistram proponunt, ejusque ductu fausta sibi omnia pollicentur, obliti certe sunt quam grave et acerbum ex culpa primi parentis inflictum sit vulnus humanae naturae, quippe quo et obfusae tenebrae menti, et prona effecta ad malum voluntas. Hinc celeberrimi ex antiquissima aetate philosophi quamvis multa praeclare scripserint, doctrinas tamen suas gravissimis erroribus contaminarunt; hinc assiduum illud certamen quod in nobis experimur, de quo loquitur Apostolus „sentio in membris meis legem repugnantem legi mentis meae." Nunc, quando ex originis labe in universos Adami posteros propagata extenuatum esse constet rationis lumen, et ex pristino justitiae atque innocentiae statu miserrime deciderit humanum genus, ecquis satis esse rationem ducat ad assequendam veritatem? ecquis in tantis periculis atque tanta virium infirmitate ne labatur, et corruat necessaria sibi neget ad salutem religionis divinae, et gratiae caelestis auxilia? quae quidem auxilia benignissime iis largitur Deus, qui humili prece eadem flagitent, cum scriptum sit „Deus superbis resistit: humilibus autem dat gratiam." Idcirco conversus olim ad Patrem Christus Dominus altissima veritatum arcana patefacta haud esse affirmavit prudentibus et sapientibus hujus saeculi, qui ingenio doctrinaque sua superbiunt, et praestare negant obsequium fidei, sed vero humilibus ac simplicibus hominibus, qui fidei divinae oraculo nituntur et conquiescunt. Salutare hoc documentum eorum animis inculcetis oportet, qui humanae rationis vim usque adeo exaggerant, illius ut ope mysteria ipsa scrutari audeant atque explicare, quo nihil ineptius, nihil insanius. Revocare illos contendite a tanta mentis perversitate exponentes nimirum, nihil esse praestabilius a providentia Dei concessum hominibus, quam fidei divinae auctoritatem, hanc nobis esse quasi facem in tenebris, hanc ducem quam sequamur ad vitam, hanc necessariam prorsus esse ad salutem, utpote quod „sine fide impossibile est placere Deo, et qui non crediderit condemnabitur."

Errorem alterum nec minus exitiosum aliquas catholici orbis partes occupasse non sine moerore novimus, animisque insedisse plerumque catholicorum, qui bene sperandum de aeterna illorum omnium salute putant, qui in vera Christi Ecclesia nequaquam versantur. Idcirco percontari saepe numero solent, quaenam futura post obitum sit eorum sors, et conditio, qui catholicae fidei minime addicti sunt, vanissimisque adductis rationibus responsum praestolantur, quod pravae huic sententiae suffragetur. Absit, Venerabiles Fratres, ut

misericordiae divinae, quae infinita est, terminos audeamus apponere; absit ut perscrutari velimus arcana consilia et judicia Dei, quae sunt abyssus multa, nec humana queunt cogitatione penetrari. Quod vero Apostolici Nostri muneris est, Episcopalem vestram et sollicitudinem et vigilantiam excitatam volumus, ut quantum potestis contendere, opinionem illam impiam aeque ac funestam ab hominum mente propulsetis, nimirum quavis in religione reperiri posse aeternae salutis viam. Ea qua praestatis solertia ac doctrina demonstretis commissis curae vestrae populis, miserationi ac justitiae divinae dogmata catholicae fidei neutiquam adversari. Tenendum quippe ex fide est extra Apostolicam Romanam Ecclesiam salvum fieri neminem posse, hanc esse unicam salutis arcam, hanc qui non fuerit ingressus, diluvio periturum; sed tamen pro certo pariter habendum est, qui verae religionis ignorantia laborent, si ea sit invicibilis, nulla ipsos obstringi hujusce rei culpa ante oculos Domini. Nunc vero quis tantum sibi arroget, ut hujusmodi ignorantiae designare limites queat juxta populorum, regionum, ingeniorum, aliarumque rerum tam multarum rationem et varietatem? Enimvero cum soluti corporeis hisce vinculis videbimus Deum sicuti est, intelligemus profecto quam arcto pulchroque nexu miseratio ac justitia divina copulentur; quamdio vero in terris versamur mortali hac gravati mole, quae hebetat animam, firmissime teneamus: ex catholica doctrina unum Deum esse, unam fidem, unúm baptisma; ulterius inquirendo progredi nefas est. Ceterum prout charitatis ratio postulat assiduas fundamus preces, ut omnes quaquaversus gentes ad Christum convertantur, communique hominum saluti pro viribus inserviamus, neque enim abbreviata est manus Domini, gratiaeque coelestis dona nequaquam illis defutura sunt, qui hac luce recreari sincero animo velint et postulent. Hujusmodi veritates defigendae altissime sunt fidelium mentibus, ne falsis corrumpi queant doctrinis eo spectantibus ut religionis foveant indifferentiam, quam ad exitium animarum serpere latius videmus ac roborari.

Praecipuos contra errores hactenus expositos, quibus maxime hoc tempore oppugnatur Ecclesia, vestram opponite, Venerabiles Fratres, et virtutem et constantiam, ad eosque profligandos, planeque delendos habeatis Ecclesiasticos viros necesse est laboris socios et adjutores. Immortaliter quidem gaudemus catholicum Clerum nihil praetermittere, nihil molestiarum defugere, ut officio suo, ac muneri cumulate satisfaciat; atque adeo non asperitate et longitudine itineris, non ullo incommodorum metu retardari quominus regiones pertingat terrarum marisque tractu disjunctissimas, ut efferatas ibi gentes ad humanitatem, et christianae legis disciplinam salubriter instituat; gaudemus pariter Clerum ipsum in teterrimae luis calamitate, quae tot oppida, tot frequentissimas urbes funestavit, adeo alacriter obivisse quaelibet charitatis officia, ut vitam profundere ad salutem proximorum pulchrum sibi ac decorum existimaverit. Quo sane argumento magis constabit, catholica in Ecclesia, quae unice vera est, inextinctum ardere pulcherrimum charitatis ignem, quem Christus venit mittere in terram, ut accendatur. Vidimus enim religiosas mulieres in adjutandis aegris cum Clero certasse, neque mortis adspectu fuisse deterritas, quam pleraeque constantissime oppetiverunt: cujus inusitatae fortitudinis exemplo illi ipsi obstupefacti admiratione sunt, qui a catholic fide dissentiunt.

Est hoc Nobis jure laetandum, Venerabiles Fratres, verumtamen illud ad animi Nostri curam grave et acerbum, quibusdam in locis non deesse ex Clero aliquos, qui non semet exhibeant in omnibus ut ministros Christi, et dispensatores mysteriorum Dei. Hinc deest christiano populo divini verbi pabulum, unde nutriatur ad vitam, hinc infrequens sacramentorum usus, quibus tanta vis inest ad Dei gratiam vel conciliandam vel retinendam. Monendi hi quidem sunt, Venerabiles Fratres, ac vehementius excitandi, ut sacri ministerii partes recte ac fideliter explendas curent; docendi sunt quam gravi se culpa obstringant, qui, messis multa cum sit, laborare detrectent in agro Domini. Hortandi sunt, ut quanta sit divinae hostiae virtus ad propitiandum Deum, et flagitiorum poenas avertendas frequenter explicent fidelibus, ut iidem salutari Missae sacrificio religiose adesse, uberesque ex illo fructus percipere studeant. Sane quidem promptiores alicubi fideles essent ad pietatis actus exercendos, si vehementiora haberent a Clero et incitamenta et praesidia. Videtis hinc, Venerabiles Fratres, ad comparandos idoneos ministros Christi quanta sit Seminariorum necessitas et opportunitas; in quibus moderandis non civilis potestatis, sed Episcoporum dumtaxat versari debet cura et industria. Collectos ibi juvenes in spem religionis succrescentes ad pietatem doctrinamque sedulo informetis, ut duplici quasi instructi gladio boni olim milites esse queant ad praelianda praelia Domini. Tum in theologicis, tum vero in philosophicis etiam disciplinis probatae fidei scriptores eisdem proponatis, ne qua imbuantur opinione catholicae doctrinae minus consentanea.

Ita quidem Ecclesiae bono et incremento consultum per Vos erit, Venerabiles Fratres. Quo vero susceptae pro Ecclesia curae secundissimos habeant exitus, summa extet concordia opus est consensusque animorum, longeque dissidia quaelibet prohibeantur, quae solvunt charitatis vinculum, quaeque fovere solet vaferrimus nostri generis inimicus utpote sibi ad nocendum opportunissima. Repetendum memoria est veteres illos catholicae fidei propugnatores de pertinacissimis haeresibus retulisse victoriam, quum scilicet una secum, et cum Apostolica Sede tanquam cum duce suo conjuncti milites firmo animo erectoque in certamen descendissent.

Haec sunt, quae significanda Vobis duximus, Venerabiles Fratres, in hac cura et sollicitudine satis Apostolico ministerio faciendi, quod divina clementia et bonitate impositum est infirmitati Nostrae. Erigimur primum, ac recreamur spe caelestis auxilii, deinde ab explorato vestro religionis ac pietatis studio non mediocre Nobis pollicemur in tantis rerum difficultatibus adjumentum. Aderit Ecclesiae suae Deus, aderit communibus votis Nostris, aderit praesertim si oratrix pro nobis accedat Virgo Sanctissima Dei parens Maria, cujus immunitatem ab originalis noxae macula Vobis magno cum Nostro gaudio adstantibus et plaudentibus divino adjuvante Spiritu pronunciavimus. Eximium sane privilegium, quod Dei Matrem plane decebat, in communi nostri generis exitio sospitem atque incolumem evasisse. Atque hujus privilegii amplitudo plurimum quidem valitura est ad eos refellendos, qui deteriorem factam esse inficiantur ex primaeva culpa hominum naturam, viresque amplificant rationis ad negan-

dum vel minuendum revelatae religionis beneficium. Faxit tandem Virgo Beatissima, quae interemit ac perdidit universas haereses, ut hic etiam evellatur stirpitus, ac deleatur rationalismi error perniciosissimus, qui hac miserrima aetate non civilem modo societatem, sed vero etiam tantopere affligit et vexat Ecclesiam.

Reliquum nunc est, Venerabiles Fratres, ut quanto animi Nostri solatio summa Vos alacritate ex dissitis etiam terris properasse conspeximus ad Apostolicam hanc Sedem propugnaculum fidei, magistram veritatis, catholicae unitatis firmamentum, tanto perinde amoris studio anteaquam sedes repetatis vestras omnia Vobis precemur fausta felicia ac salutaria. Arbiter ille omnium rerum et bonorum auctor Deus det Vobis spiritum sapientiae et intellectus, ut prohibeatis ab ovium pernicie ubique latentes insidias, ac quidquid ad commoditatem vestrarum Ecclesiarum vel suscepistis jam, vel eritis suscepturi, id praepotenti numine suo bonus propitiusque confirmet; permissis autem vestrae curae fidelibus det illam mentem, ut abstrahere se nunquam velint a pastoris latere, sed vocem ipsius audiant, quoque ipse velit, accurrant. Adsit Vobis Virgo Sanctissima ab origine Immaculata; sit ipsa Vobis in dubiis rebus fidele consilium, in angustiis levamen, in adversis auxilium. Ad extremum levantes manus Nostras in caelum Vobis gregique vestro ex intimo cordis affectu benedicimus. Sit porro Apostolicae hujus benedictionis munus tamquam pignus certissimum charitatis erga Vos Nostrae, sit exploratissimum tamquam omen beatissimae vitae ac sempiternae, quam Vobis gregique vestro et optamus et poscimus a Supremo animarum pastore Christo Jesu, cui cum Patre et Sancto Spiritu sit et honor et laus et gratiarum actio per omnem aeternitatem.

Nr. 12.

1858. 3. Maj. SS. Domini Nostri Pii Papae IX. Epistola Encyclica ad omnes Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios de Missa parochiali.

(ad Tit. III. cap. 3. p. 80. 81.)

Pius Papa IX. Venerabiles Fratres. Salutem et Apostolicam Benedictionem. AMANTISSIMI REDEMPTORIS Nostri Christi Jesu Unigeniti Filii Dei tanta fuit erga homines benignitas et caritas, ut, veluti optime nostis, Venerabiles Fratres, humana indutus natura non solum saevissimos pro nostra salute cruciatus, atrocissimamque crucis mortem perpeti, verum etiam in augustissimo sui corporis, sanguinisque sacramento nobiscum semper morari, ac nos peramanter pascere et nutrire voluerit, quo ipse in caelum rediens ad dexteram Patris nos et sui numinis praesentia, et tutissimo spiritualis vitae praesidio communiret. Neque contentus nos tam insigni, ac plane divina dilexisse caritate, beneficia beneficiis cumulans, suique in nos amoris divitias profundens effecit, ut probe intelligeremus, quod cum dilexisset suos, in finem dilexit eos. Namque se aeternum Sacerdotem esse declarans secundum ordinem Melchisedech, suam in catholica

Ecclesia Sacerdotium perpetuo instituit, et illud idem Sacrificium, quod ipse ad universum humanum genus a peccati jugo, ac daemonis captivitate vindicandum et redimendum in ara crucis, pretiosissimo suo sanguine effuso, semel peregit, pacificans sive quae in caelis sunt, sive quae in terra, usque ad consummationem saeculi permanere decrevit, et quotidie fieri, ac renovari jussit per Sacerdotum ministerium, sola offerendi ratione diversa, ut salutares uberrimique suae passionis fructus in homines semper redundarent. Siquidem in incruento Missae sacrificio, quod conspicuo Sacerdotum ministerio peragitur, illa ipsa vivifica litatur victima, quae Deo Patri nos reconciliavit, quaeque omnem merendi, placandi, impetrandi ac satisfaciendi vim habens „illam nobis mortem Unigeniti per mysterium reparat, qui licet resurgens a mortuis jam non moritur, et mors ei ultra non dominabitur, tamen in semetipso immortaliter atque incorruptibiliter vivens pro nobis iterum in hoc mysterio sacrae oblationis immolatur.“ [1]) Atque haec est munda illa oblatio, quam nulla offerentium indignitas ac malitia inquinare unquam potest, et quam Dominus per Malachiam nomini suo, quod magnum futurum esset in gentibus, a solis ortu usque ad occasum in omni loco mundam offerendam esse praedixit. [2]) Quae quidem oblatio ineffabili prorsus fructuum ubertate redundans praesentem aeque ac futuram vitam complectitur. Ea enim oblatione placatus Deus gratiam, donumque poenitentiae concedens, crimina et peccata etiam ingentia dimittit, ac licet peccatis nostris graviter offensus ab ira ad misericordiam, a justae animadversionis severitate ad clementiam traducitur; ea temporalium poenarum reatus et obligatio dissolvitur; ea defunctorum in Christo animae nondum ad plenum purgatae sublevantur; ea obtinentur quoque temporaria bona, si tamen potioribus non officiant; ea Sanctis, et in primis Immaculatae Sanctissimaeque Dei genitrici Virgini Mariae eximius quidam honor, cultusque conciliatur. Quocirca ex Apostolorum traditione divinum Missae sacrificium offerimus „pro communi Ecclesiarum pace, pro recta mundi compositione, pro imperatoribus, militibus, sociis, pro iis, qui infirmitatibus laborant, qui afflictionibus premuntur, et universim pro omnibus, qui opis indigent, et pro defunctis in purgatorio degentibus, maximum hoc credentes adjumentum illis animabus fore, pro quibus oratio defertur, dum sancta et perquam tremenda coram jacet victima. [3])

Cum igitur nihil sit majus, nihil salutarius, nihil sanctius, nihil divinius incruento Missae sacrificio, quo idem corpus, idem sanguis, idem Deus et Dominus noster Jesus Christus Deo pro omnium salute in altari per Sacerdotes offertur et immolatur, iccirco sancta mater Ecclesia tanto divini sui Sponsi ditata thesauro nunquam destitit omnem curam, operam, diligentiamque in id conferre, ut tam tremendum mysterium a Sacerdotibus, quanta maxima fieri posset, interiore cordis munditia ac puritate perageretur, debitoque sacrarum caeremoniarum, ac rituum apparatu, cultuque celebraretur, ut ipsius mysterii magnitudo et majestas vel externa quoque specie magis eluceat, et fideles ad rerum divinarum, quae in tam admirabili ac venerando Sacrificio occultae continentur,

---

[1]) S. Gregor. M. Dialog. lib. 4. cap. 58. [2]) Malach. cap. 1. [3]) S. Cyrill. Hierosol. Cateches. 23. Mystag. 5. de sacra Liturg.

contemplationem excitentur. Ac pari sollicitudine, studioque ipsa pientissima Mater nunquam cessavit suos fideles filios commonere, hortari, et inflammare, ut ea, qua oportet, pietate, veneratione ac devotione ad hoc divinum Sacrificium frequentissime convenirent, praecipiens, ut eidem omnibus de praecepto festis diebus ipsi interesse omnino deberent, animis ad illud, oculisque religiosissime intenti, quo divinam exinde misericordiam, omniumque bonorum copiam sibi felicissime comparare possent.

Jam vero cum omnis Pontifex ex hominibus assumptus, pro hominibus constituatur in iis, quae sunt ad Deum, ut offerat dona et sacrificia pro peccatis, tum pro egregia vestra sapientia apprime cognoscitis, Venerabiles Fratres, sacrosanctum Missae sacrificium ab animarum pastoribus esse applicandum pro populo eorum curae commisso, et hujusmodi obligationem ex Divino praecepto descendere juxta Concilii Tridentini doctrinam, cum idem Concilium disertissimis, gravissimisque verbis edoceat „praecepto divino mandatum esse omnibus, quibus animarum cura commissa est, oves suas agnoscere, pro his sacrificium offerre.“ [1]) Notissimae quoque Vobis sunt felicis recordationis Benedicti XIV. Decessoris Nostri Literae die 19. Augusti anni 1744 datae, quibus de hac obligatione copiose, sapienterque loquens, ac Tridentinorum Patrum mentem uberius explicans et confirmans, ad omnes controversias, quaestiones dubitationesque amovendas, clare aperteque declaravit et constituit, parochos, aliosque omnes animarum curam actu habentes debere Missae sacrificium pro populo sibi concredito peragere omnibus Dominicis aliisque de praecepto festis diebus, et illis etiam, quibus ipse in nonnullis Dioecesibus dierum de praecepto festorum numerum imminuens permiserat populis in servilia opera incumbere, sed caverat tamen, ut ipsi populi obligationi de Sacro audiendo satisfacere deberent. [2]) Non mediocri certe jucunditate perfundimur, Venerabiles Fratres, cum ex relationibus, quas de vestrarum Dioecesium statu cum summa vestri nominis laude, ac pari animi Nostri gaudio ad Nós, et hanc Apostolicam Sedem veluti officii vestri ratio postulat, mittendas curatis, agnoscamus, animarum curatores hujusmodi sui muneris obligationem diligenter implere Dominicis et aliis, qui adhuc ex praecepto servantur diebus, quibus Missae sacrificium pro populo sibi tradito celebrare haud omittunt. Sed minime ignoramus, pluribus in locis id a parochis jamdiu praetermitti solere aliis illis diebus, qui antea veluti festi de praecepto erant colendi juxta Constitutionem felicis memoriae Urbani VIII. Decessoris pariter Nostri, [3]) et quibus haec Apostolica Sedes annuens variis Sacrorum Antistitum postulationibus, ac prae oculis habens causas, rationesque ab ipsis expositas, dum imminuit festos de praecepto dies, non solum permisit, ut populi servilibus operibus vacare possent, verum etiam indulsit, ut ipsi ab obligatione audiendi Sacrum essent exempti. Ubi enim haec benigna Sanctae Sedis Indulta in lucem prodierunt, statim plurium regionum parochi existimantes, se hisce diebus ita reductis solutos esse ab obligatione peragendi

[1]) Concil. Trid. Sess. 23. cap. 1. De Reformat. [2]) Bened. XIV. Lit. Encycl. „Cum semper oblatas“ die 19. Augusti 1744. [3]) Urban. VIII. Constit. „Universa per orbem“ Idib. Septembr. 1642.

Sacrum pro populo, obligationem ipsam implere plane neglexerunt. Hinc porro invaluit consuetudo, ut earumdem regionum parochi commemoratis diebus sacrosanctum Missae sacrificium pro populo applicare cessaverint, nec defuere qui ejusmodi consuetudinem tueri ac defendere non dubitarunt.

Nos igitur de spirituali universi Dominici gregis Nobis divinitus commissi bono vel maxime solliciti, ac non parum dolentes, ex hujusmodi praetermissione fideles illorum locorum populos maximis spiritualibus fructibus privari, tanti momenti negotio occurrere statuimus, cum praesertim noscamus, hanc Apostolicam Sedem docuisse, parochos diebus festis etiam reductis debere Sacrum pro populo celebrare. Et sane quamvis Romani Pontifices Decessores Nostri enixis Sacrorum Antistitum petitionibus, ac variis pluribusque fidelium populorum indigentiis, et gravibus rerum temporum ac locorum rationibus permoti festos de praecepto dies imminuendos censuerint, ac simul benigne concesserint, ut populi hisce diebus servilia opera libere exercerent, quin Sacrum audire deberent, tamen iidem Praedecessores Nostri in hisce Indultis tribuendis integram inviolatamque legem esse voluerunt, ut scilicet praedictis diebus nihil in Ecclesiis unquam innovaretur quoad consuetum divinorum officiorum ordinem et ritum, utque omnia eo prorsus modo peragerentur quo antea peragi solebant, cum enunciata Urbani VIII. Constitutio plene vigeret, qua festi de praecepto dies servandi fuerant praescripti. Ex quo parochi vel facile intelligere poterant, se illis diebus minime expeditos esse ab obligatione applicandi pro populo Missam, quae potissima ritus pars est, animo praesertim reputantes Pontificia rescripta eo plane, quem prae se ferunt, sensu esse omnino accipienda, et illa strictissimae esse interpretationis. Accedit etiam, ut haec Sancta Sedes in plurimis peculiaribus casibus de hujusmodi parochorum onere consulta haud omiserit per suas praesertim Congregationes sive Concilii, sive Fidei propagandae, sive sacrorum Rituum, sive etiam per sacram Poenitentiariam saepissime respondere et edicere, parochos eidem oneri esse obnoxios applicandi pro populo Missam illis etiam diebus, qui de festorum ex praecepto dierum numero fuerant sublati.

Itaque rebus omnibus maturo examine perpensis, atque in consilium adhibitis nonnullis Venerabilibus Fratribus Nostris S. R. E. Cardinalibus Nostrae Congregationis Tridentinis Decretis tuendis, interpretandisque praepositae, hanc Vobis, Venerabiles Fratres, Encyclicam Epistolam scribendam esse censuimus, ut certam et constantem normam legemque constituamus ab omnibus parochis sedulo, diligenterque observandam. Quamobrem hisce Literis declaramus, statuimus atque decernimus, parochos, aliosque omnes animarum curam actu gerentes sacrosanctum Missae sacrificium pro populo sibi commisso celebrare, et applicare debere tum omnibus Dominicis, aliisque diebus, qui ex praecepto adhuc servantur, tum illis etiam, qui ex hujus Apostolicae Sedis indulgentia ex dierum de praecepto festorum numero sublati, ac translati sunt, quemadmodum ipsi animarum curatores debebant, dum memorata Urbani VIII. Constitutio in pleno suo robore vigebat, antequam festivi de praecepto dies imminuerentur, et transferrentur. Quod vero attinet ad festos translatos dies id unum excipi-

mus, ut scilicet quando una cum solemnitate divinum officium translatum fuerit in Dominicum diem, una tantum Missa pro populo sit a parochis applicanda, quandoquidem Missa, quae praecipua divini officii pars est, una simul cum ipso officio translata existimari debet.

Nunc veró paterni animi Nostri caritate illorum parochorum tranquillitati prospicere volentes, qui ob assertam consuetudinem memoratis diebus Missam pro populo applicare omiserunt, eosdem parochos ab omnibus quibusque praeteritis omissionibus Auctoritate Nostra Apostolica plenissime absolvimus. Et quoniam non desunt animarum curatores, qui peculiare aliquod reductionis, uti dicunt, Indultum ab hac Apostolica Sede obtinuere, concedimus, ut ipsi hujusce Iudulti beneficio perfrui pergant juxta tamen conditiones in Indulto expressas, et donec parochorum officium exercuerint in paroeciis, quas in praesentiarum regunt et administrant.

Dum autem haec statuimus et indulgemus, in eam profecto spem erigimur fore, Venerabiles Fratres, ut parochi majore usque animarum studio et amore incensi huic obligationi applicandi Missam pro populo diligentissime ac religiosissime satisfacere glorientur, serio considerantes uberrimam caelestium praesertim munerum, ac bonorum copiam, quae ex hac incruenti, divinique Sacrificii applicatione in christianam plebem eorum curae commissam abunde redundat. Cum vero Nos minime lateat, peculiares casus contingere posse, in quibus pro re ac tempore aliqua hujus obligationis remissio parochis sit tribuenda, sciatis velimus, ab omnibus Nostram Concilii Congregationem unice esse adeundam ad hujusmodi obtinenda indulta, illis dumtaxat exceptis, qui a Nostra Congregatione fidei propagandae praeposita pendent, cum opportunas utrique Congregationi contulerimus facultates.

Nihil plane dubitamus, Venerabiles Fratres, quin pro eximia vestra episcopali sollicitudine omnibus et singulis vestrarum Dioecesium parochis, nulla interposita mora, sedulo manifestare velitis, quae in hisce Nostris Literis de eorum obligatione applicandi pro populo sibi commisso sacrosanctum Missae sacrificium suprema Nostra auctoritate confirmamus, ac denuo constituimus, volumus, praecipimus et mandamus. Ac persuasissimum quoque Nobis est, Vos maximam adhibituros esse vigilantiam, ut animarum curatores hanc etiam sui muneris partem diligenter impleant, ac studiose observent quae a Nobis in hisce Literis statuta atque sancita sunt. Optamus autem ut harum Literarum exemplar in Tabulario episcopalis cujusque Vestrum Curiae perpetuo asservetur.

Cum autem, Venerabiles Fratres, probe noscatis, sacrosancto Missae sacrificio magnam fidelis populi contineri eruditionem, ne intermittatis unquam parochos praesertim, aliosque divini verbi praecones, et eos quibus demandatum est munus erudiendi christianum populum, monere, hortari, ut fidelibus populis tam sancti tamque admirabilis Sacrificii necessitatem, praestantiam, magnitudinem, finem, fructus studiosissime et accuratissime exponant explicent, ac simul fideles ipsos excitent, inflamment, quo eidem Sacrificio ea qua par est fide, religione ac pietate frequentissime intersint, ut divinam misericordiam, et omne, quo indigent, beneficiorum genus sibi comparare queant. Neque desinatis, om-

nem operam et industriam impendere, ut vestrarum Dioecesium Sacerdotes ea morum integritate, gravitate, eaque totius vitae innocentia, sanctitate emineant, quae illos omnino decet, quibus unis datum est divinam consecrare Hostiam, ac tam sanctum, tamque tremendum perficere Sacrificium. Quocirca omnes sanctissimo Sacerdotio initiatos etiam atque etiam monete, urgete, ut serio meditantes ministerium quod acceperunt in Domino, illud impleant, et continenter, memores dignitatis, ac caelestis potestatis qua praediti sunt, virtutum omnium splendore, ac salutaris doctrinae laude refulgeant, summaque animi contentione in divinum cultum, divinasque res et animarum salutem incumbant, ac seipsos hostiam vivam et sanctam Domino exhibentes, et mortificationem Jesu in suo corpore semper circumferentes puris manibus, et mundo corde placationis Hostiam rite offerant Deo pro sua ac totius mundi salute.

Denique nihil Nobis gratius, Ven. Fr., quam hac etiam uti occasione, ut iterum testemur, et confirmemus praecipuam, qua Vos omnes in Domino prosequimur, benevolentiam, ac simul Vobis addamus animos, ut majore usque alacritate pergatis omnes gravissimi pastoralis vestri muneris partes strenue ac sedulo obire, et intentissimo studio dilectarum ovium saluti incolumitatique consulere.

Pro certo habete, Nos paratissimos esse ad ea omnia libentissime agenda, quae ad majorem Vestram ac Dioecesium vestrarum utilitatem procurandam conducere posse noverimus. Interim vero caelestium omnium munerum auspicem, ac studiosissimae Nostrae in Vos voluntatis testem accipite Apostolicam Benedictionem, quam intimo cordis affectu Vobis ipsis, Venerabiles Fratres, cunctisque Clericis, Laicisque fidelibus cujusque Vestrum vigilantiae commissis amantissime impertimur.

Datum Romae apud Sanctum Petrum die 3. Maji Anno 1858. Pontificatus Nostri Anno Duodecimo.

Nr. 14.

E declarationibus Apostolicis de sacro et civili principatu Sanctae et Apostolicae Sedis.

(ad Tit. II. cap. 2. p. 42. 43.)

I. Ex Literis Encyclicis SS. D. N. Pii PP. IX. de die 19. Januar. 1860.
Pius Papa IX. Ven. Fratres, Salutem et Apostolicam Benedictionem. NULLIS CERTE VERBIS explicare possumus, VV. FF., quanto solatio, quantaeque laetitiae Nobis fuerit inter maximas Nostras amaritudines singularis ac mira vestra, et fidelium, qui Vobis commissi sunt, erga Nos et hanc Apostolicam Sedem fides, pietas et observantia, atque egregius sane in ejusdem Sedis juribus tuendis et justitiae causa defendenda consensus, alacritas, studium et constantia. Etenim ubi primum ex Nostris Encyclicis Literis die 18. Junii superiori anno ad Vos datis, ad deinde ex binis Nostris Consistorialibus Allocutionibus, cum summo animi vestri dolore cognovistis gravissima damna, quibus sacrae civilesque res in Italia affligebantur, atque intellexistis nefarios rebellionis motus et ausus

contra legitimos ejusdem Italiae Principes, ac sacrum legitimumque Nostrum et hujus S. Sedis principatum, Vos, Nostris votis curisque statim obsecundantes, nulla interjecta mora, publicas in vestris Dioecesibus preces omni studio indicere properastis. Hinc non solum obsequentissimis aeque ac amantissimis vestris Literis ad Nos datis, verum etiam tum pastoralibus Epistolis, tum aliis religiosis doctisque scriptis in vulgus editis episcopalem vestram vocem cum insigni vestri ordinis ac nominis laude attollentes, ac sanctissimae nostrae religionis justitiaeque causam strenue propugnantes, vehementer detestati estis sacrilega ausa contra civilem Romanae Ecclesiae principatum admissa. Atque ipsum principatum constanter tuentes, profiteri et docere gloriati estis, eumdem singulari Divinae illius omnia regentis ac moderantis Providentiae consilio datum fuisse Romano Pontifici, ut ipse nulli civili potestati unquam subjectus supremum Apostolici ministerii munus sibi ab ipso Christo Domino divinitus commissum plenissima libertate, ac sine ullo impedimento in universum orbem exerceat. Atque Nobis carissimi catholicae Ecclesiae filii, vestris imbuti doctrinis, vestroque eximio exemplo excitati, eosdem sensus Nobis testari summopere certarunt et certant. Namque ex omnibus totius catholici Orbis regionibus innumerabiles paene accepimus tum ecclesiasticorum tum laicorum hominum cujusque dignitatis, ordinis, gradus et conditionis Literas etiam a centenis catholicorum millibus subscriptas, quibus ipsi filialem suam erga Nos, et hanc Petri Cathedram devotionem ac venerationem luculenter confirmant, rebellionem, aususque in nonnullis Nostris Provinciis admissos vehementer detestantes, Beati Petri patrimonium omnino integrum inviolatumque servandum, atque ab omni injuria defendendum esse contendunt; ex quibus insuper non pauci id ipsum, vulgatis apposite scriptis, docte sapienterque asseruere. Quae praeclarae vestrae, ac fidelium significationes, omni certe laude ac praedicatione decorandae ita Nos commoverunt, ut non potuerimus non laete exclamare: „Benedictus Deus Pater Domini Nostri Jesu Christi, Pater misericordiarum et Deus totius consolationis, qui consolatur Nos in omni tribulatione nostra.“ Etc.

II. Ex Decreto Apostolico de die 26. Mart. 1860. Pius Papa IX. Ad perpetuam rei memoriam. CUM CATHOLICA ECCLESIA a Christo Domino fundata et instituta, ad sempiternam hominum salutem curandam, perfectae societatis formam vi divinae suae institutionis obtinuerit, ea proinde libertate pollere debet, ut in sacro suo ministerio obeundo nulli civili potestati subjaceat. Et quoniam ad libere, ut par erat, agendum iis indigebat praesidiis quae temporum conditioni ac necessitati congruerent; idcirco singulari prorsus divinae providentiae consilio factum est, ut cum Romanum corruit Imperium et in plura fuit regna divisum, Romanus Pontifex, quem Christus totius Ecclesiae suae caput centrumque constituit, civilem assequeretur principatum. Quo sane a Deo ipso sapientissime consultum est, ut in tanta temporalium Principum multitudine ac varietate Summus Pontifex illa frueretur politica libertate, quae tantopere necessaria est ad spiritualem suam potestatem, auctoritatem et jurisdictionem toto orbe absque ullo impedimento exercendam. Atque ita plane decebat, ne catholico orbi ulla oriretur occasio dubitandi, impulsu fortasse civilium potestatum,

vel partium studio duci quandoque posse in universali procuratione gerenda Sedem illam, ad quam propter potiorem principalitatem necesse est omnem Ecclesiam convenire.

Facile autem intelligitur quemadmodum ejusmodi Romanae Ecclesiae Principatus, licet suapte natura temporalem rem sapiat, spiritualem tamen induat indolem vi sacrae, quam habet, destinationis, et arctissimi illius vinculo quo cum maximis Rei Christianae rationibus conjungitur. Quod tamen nil impedit quominus ea omnia, quae ad temporalem quoque populorum felicitatem conducunt, perfici queant, quemadmodum gesti a Romanis Pontificibus per tot saecula civilis regiminis historia luculentissime testatur.

Cum porro ad Ecclesiae bonum et utilitatem respiciat Principatus, de quo loquimur, mirum non est quod Ecclesiae ipsius hostes persaepe illum convellere et labefactare multiplici insidiarum et conatuum genere contenderint: in quo tamen nefaria illorum molimina, Deo Ecclesiam suam jugiter adjuvante, in irritum serius ocius ceciderunt. Jam vero novit universus orbis quomodo luctuosis hisce temporibus infestissimi catholicae Ecclesiae et hujus Apostolicae Sedis osores abominabiles facti in studiis suis, ac loquentes in hypocrisi mendacium hanc ipsam Sedem proculcatis divinis humanisque juribus, civili, quo potitur, Principatu spoliare nequiter adnitantur, idque assequi studeant non manifesta quidem, uti alias, aggressione, armorumque vi, sed falsis aeque ac perniciosis principiis callide inductis, ac popularibus motibus malitiose excitatis. Neque enim erubescunt nefandam populis suadere rebellionem contra legitimos principes, quae ab Apostolo clare aperteque damnatur ita docente: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit. Non est enim potestas nisi a Deo: quae autem sunt, a Deo ordinatae sunt. Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit. Qui autem resistunt, ipsi sibi damnationem acquirunt. [1]) Dum vero pessimi istiusmodi veteratores temporalem Ecclesiae dominationem aggrediuntur ejusque venerandam auctoritatem despiciunt, eo impudentiae deveniunt, ut suam in Ecclesiam ipsam reverentiam et obsequium palam jactare non desinant. Atque illud vel maxime dolendum, quod tam prava agendi ratione sese polluerit non nemo etiam ex iis, qui, uti Catholicae Ecclesiae filii, in ipsius tutelam atque praesidium impendere debent auctoritatem, qua in subjectos sibi populos potiuntur. In subdolis ac perversis, quas lamentamur, machinationibus praecipuam habet partem Subalpinum Gubernium, a quo pridem omnes norunt quanta et quam deploranda eo in regno damna ac detrimenta Ecclesiae ejusque juribus, sacrisque Ministris fuerint inlata, de quibus in Consistoriali potissimum Allocutione die 22. Januarii 1855 habita vehementer doluimus. Post despectas hactenus Nostras ea de re justissimas reclamationes Gubernium ipsum eo temeritatis modo progressum est, ut ab irroganda universali Ecclesiae injuria minime abstinuerit, civilem impetens Principatum, quo Deus hanc B. Petri Sedem instructam voluit ad Apostolici ministerii libertatem, uti animadvertimus, tuendam atque servandam. Etc.

---

[1]) Ep. ad Rom. c. XIII. v. 1. et seq.

III. SS. Domini Nostri Pii Papae IX. Allocutio habita in Consistorio Secreto die 18. Martii 1861. JAMDUDUM CERNIMUS, Venerabiles Fratres, quo misero sane conflictu ob invicem pugnantia inter veritatem et errorem, inter virtutem et vitium, inter lucem et tenebras principia, hac miserrima nostra praesertim aetate civilis exagitetur societas. Namque alii ex una parte tuentur quaedam modernae, uti appellant, civilitatis placita, alii ex altera justitiae sanctissimaeque nostrae religionis jura propugnant. Ac primi postulant, ut Romanus Pontifex cum Progressu, cum Liberalismo, uti vocant, ac recenti civilitate se reconciliet et componat. Alteri vero merito efflagitant, ut immobilia et inconcussa aeternae justitiae principia integra et inviolata custodiantur, et saluberrima divinae nostrae religionis vis omnino servetur, quae et Dei gloriam amplificat, et opportuna tot malis, quibus humanum genus affligitur, affert remedia, quaeque est unica veraque norma, qua filii hominum in hac mortali vita omni virtute instituti ad beatae aeternitatis portum perducuntur. Sed hodiernae civilitatis patroni hujusmodi discrimini haud acquiescunt, quandoquidem sese veros et sinceros religionis amicos affirmant. Ac nos fidem eis adhibere vellemus, nisi tristissima sane facta, quae ante omnium oculos quotidie versantur, contrarium prorsus ostenderent. Et quidem una est vera ac sancta super terram religio ab ipso Christo Domino fundata et instituta, quae virtutum omnium fecunda parens et altrix, ac vitiorum expultrix, et animorum liberatrix, veraeque felicitatis index, appellatur Catholica Apostolica Romana. Quid autem sentiendum de iis, qui extra hanc salutis arcam vivunt, jam alias declaravimus in Consistoriali Nostra Allocutione diei 9. Decembris anni 1854. atque hic eamdem doctrinam confirmamus. Jam vero ab iis, qui pro religionis bono Nos ad hodiernae civilitati dexteram porrigendam invitant, quaerimus utrum facta talia sint, quae Christi hic in terris Vicarium ab Ipso ad caelestis suae doctrinae puritatem tuendam, atque ad agnos ovesque eadem doctrina pascendas et confirmandas divinitus constitutum possint inducere, ut sine gravissimo conscientiae piaculo, et maximo omnium scandalo se cum hodierna civilitate consociet, cujus opera tot nunquam satis deploranda eveniunt mala, tot teterrimae opiniones errores et principia promulgantur, quae catholicae religioni ejusque doctrinae omnino adversantur. Atque inter haec facta nemo ignorat quomodò vel ipsae solemnes Conventiones inter hanc Apostolicam Sedem et Regios Principes rite initae penitus destruantur, veluti nuper Neapoli accidit. Qua quidem de re in hoc amplissimo vestro consessu etiam atque etiam querimur, Ven. FF., et summopere reclamamus eo prorsus modo, quo contra similes ausus et violationes alias protestati sumus.

Haec autem moderna civilitas dum cuique acatholico cultui favet, ipsosque infideles a publicis muneribus obeundis minime prohibet, et catholicas scholas illorum filiis recludit, irascitur adversus Religiosas Familias, adversus Instituta catholicis scholis moderandis fundata, adversus quamplurimos cujusque gradus ecclesiasticos Viros amplissima etiam dignitate insignitos, quorum non pauci vitam in exilii incerto aut in vinculis misere agunt, et adversus etiam spectatos laicos viros, qui Nobis et huic Sanctae Sedi addicti religionis justitiaeque causam alacriter defendunt. Haec civilitas dum acatholicis institutis ac per-

sonis subsidia largitur, catholicam Ecclesiam justissimis suis possessionibus spoliat, et omnia adhibet consilia ac studia ad salutarem ipsius Ecclesiae efficaciam imminuendam. Insuper dum omnem tribuit libertatem quibusque verbis et scriptis, quae Ecclesiam omnesque ipsi ex corde devotos aversantur, ac dum licentiam animat, alit et fovet, eodem tempore se omnino cautam moderatamque exhibet in reprehendenda violenta et immiti interdum agendi ratione contra eos adhibita, qui optima vulgant scripta; et omnem in puniendo exercet severitatem, si ab his moderationis fines vel leviter praeteriri arbitretur.

Hujusmodi igitur civilitati posset ne unquam Romanus Pontifex amicam protendere dexteram, et cum ea foedus concordiamque ex animo inire? Vera rebus vocabula restituantur, et haec Sancta Sedes sibi semper constabit. Siquidem ipsa verae civilitatis continenter fuit patrona et altrix; atque historiae monumenta eloquentissime testantur ac probant, omnibus aetatibus ab eadem Sancta Sede in disjunctissimas quasque et barbaras terrarum orbis regiones veram rectamque fuisse invectam morum humanitatem, disciplinam, sapientiam. At cum civilitatis nomine velit intelligi systema apposite comparatum ad debilitandam ac fortasse etiam delendam Christi Ecclesiam, nunquam certe quidem haec Sancta Sedes et Romanus Pontifex poterunt cum hujusmodi civilitate convenire. Quae enim, uti sapientissime clamat Apostolus, participatio justitiae cum iniquitate, aut quae societas luci ad tenebras? Quae autem conventio Christi ad Belial? [1])

Qua igitur probitate perturbatores, et seditionis patroni suam vocem attollunt ad exaggerendos conatus frustra ab ipsis adhibitos, ut se cum Romano Pontifice componant? Hic enim, qui suam omnem vim haurit ex aeternae justitiae principiis, quonam pacto posset illa unquam deserere, ut sanctissima debilitetur fides, atque adeo Italia in discrimen adducatur amittendi maximum suum splendorem et gloriam, qua undeviginti ab hinc saeculis refulget ob centrum et sedem, qua praestat, catholicae veritatis? Neque objici potest, hanc Apostolicam Sedem in rebus civilis principatus clausas habuisse aures illorum postulationibus, qui liberiorem administrationem exoptare significarunt. Ut vetera omittamus exempla, de hac nostra infelici aetate loquemur. Ubi enim Italia a legitimis suis Principibus liberiores institutiones obtinuit, Nos paternum animum gerentes filiorum partem Pontificiae Nostrae ditionis in civilem administrationem cooptavimus, et opportunas dedimus concessiones, propriis tamen prudentiae modis ordinatas, ne munus paterno animo concessum per malorum hominum operam veneno inficeretur. At vero quid inde factum est? Effrena licentia innocua Nostra largitate potita est, et Aulae, quo publici Ministri ac Deputati convenerant, limina sanguine respersa, et impia manus in eum sacrilege conversa qui beneficium concesserat. Quod si recentissimis hisce temporibus consilia circa civilem procurationem Nobis data fuerunt, haud ignoratis, Ven. Fratres, illa a Nobis admissa fuisse, eo tamen excepto ac rejecto, quod non ad civilem administrationem respiciebat, sed eo spectabat, ut spolia-

[1]) Epist. II. ad Corinth. 6. 14. 15.

tionis parti jam patratae assentiremur. Nihil vero est cur de consiliis bene acceptis, deque Nostris sinceris ad illa exsequenda promissis loquamur, cum usurpationum moderatores alta voce profiterentur, se non quidem reformationes, sed absolutam rebellionem, omnemque a legitimo Principe sejunctionem omnino velle. Atque ipsi erant gravissimi facinoris auctores et antesignani, qui suis clamoribus omnia replebant, non vero populus, ut de illis merito dici possit quod Venerabilis Beda de Pharisaeis et Scribis Christi inimicis ajebat [1]) „Non haec aliqui de turba sed Pharisaei calumniabantur et Scribae, sicut Evangelistae testantur.“

Sed Romani Pontificatus oppugnatio non solum eo spectat, ut haec Sancta Sedes et Romanus Pontifex legitimo suo civili principatu omnino privetur, sed eo etiam tendit, ut infirmetur, et si fieri unquam posset, plane tollatur salutaris catholicae religionis virtus: ac propterea impetit Dei ipsius opus, redemptionis fructum, et sanctissimam illam fidem, quae pretiosissima est haereditas in nos derivata ex ineffabili sacrificio, quod in Golgotha consummatum est. Atque ita se rem habere satis superque demonstrant tum commemorata jam facta, tum ea, quae in dies evenire videmus. Quot enim in Italia Dioeceses ob illata impedimenta suis Episcopis orbatae, plaudentibus modernae civilitatis patronis, qui tot christianos populos sine pastoribus derelinquunt, et illorum bonis potiuntur, ut ea in pravos etiam usus convertant! Quot sacrorum Antistites in exilio versantur! Quot (cum incredibili animi Nostri dolore dicimus) apostatae, qui non Dei sed Satanae nomine loquentes, ac impunitate ipsis a fatali regiminis systemate concessa fidentes, et conscientias exagitant, et infirmos ad praevaricandum impellunt, et misere lapsos in turpissimis quibusque doctrinis obfirmant, et Christi vestem lacerare contendunt, cum minime reformident Nationales, uti dicunt, Ecclesias, aliasque id genus impietates proponere ac suadere! Postquam vero ita religioni insultaverint, quam per hypocrisim invitant ut cum hodierna civilitate conveniat, non dubitant pari cum hypocrisi Nos excitare ut cum Italia reconciliemur. Scilicet, cum omni fere civili Nostro principatu spoliati gravissima Pontificis et Principis onera sustineamus piis catholicae Ecclesiae filiorum largitionibus quotidie amantissime ad Nos missis, cumque gratis invidiae et odii signum facti simus eorum ipsorum opera, qui conciliationem a Nobis postulant; id vellent praeterea, ut palam declararemus, usurpatas Pontificiae Nostrae ditionis Provincias in liberam usurpatorum proprietatem cedere. Qua sane audaci et hactenus inaudita postulatione quaererent, ut ab hac Apostolica Sede, quae semper fuit et erit veritatis justitiaeque propugnaculum, sanciretur, rem injuste violenterque direptam posse tranquille honesteque possideri ab iniquo aggressore; utque ita falsum constitueretur principium, fortunatam nempe facti injustitiam nullum juris sanctitati detrimentum afferre. Quae postulatio iis etiam repugnat solemnibus verbis, quibus in magno et illustri Senatu nuperrimis hisce diebus declaratum est, Romanum Pontificem esse Repraesentatorem praecipuae vis moralis in humana

[1]) Lib 1. c. 48. in c. 11. Lucae.


societate. Ex quo illud consequitur, eum nullo modo posse vandalicae spoliationi consentire, quin fundamentum violet illius moralis disciplinae, cujus ipse veluti prima forma et imago dignoscitur.

Jam vero quicumque vel errore deceptus vel timore perculsus praebere velit consilia injustis perturbatorum civilis societatis votis consentanea, necesse est ut hisce potissimum temporibus sibi omnino persuadeat, illos nunquam contentos fore, nisi viderint omne auctoritatis principium, omne religionis frenum, omnemque juris justitiaeque regulam de medio tolli. Atque hujusmodi subversores in civilis societatis calamitatem illud jam tum voce tum scriptis assequuti sunt, ut humanas mentes perverterint, moralem sensum debilitaverint, et injustitiae horrorem eripuerint; atque omnia conantur ut cunctis persuadeant, jus ab honestis gentibus invocatum nihil aliud esse, nisi injustam voluntatem, quae debeat omnino contemni. Heu! vere luxit et defluxit terra et infirmata est, defluxit orbis; infirmata est altitudo populi terrae. Et terra infecta est ab habitatoribus suis: quia transgressi sunt leges, mutaverunt jus, dissipaverunt foedus sempiternum. (Is. 24. 4. 5.)

Verum in tanta tenebrarum obscuritate, qua Deus inscrutabili suo judicio gentes sinit offundi, Nos omnem Nostram spem fiduciamque plane collocamus in ipso clementissimo misericordiarum Patre et Deo totius consolationis, qui Nos consolatur in omni tribulatione Nostra. Ipse namque est, qui Vobis, Venerabiles Fratres, concordiae et unanimitatis inter Vos spiritum ingerit, et quotidie magis ingeret, ut Nobiscum arctissime aeque ac concordissime conjuncti parati sitis una Nobiscum sortem illam subire, quae arcano divinae suae providentiae consilio cuique nostrum reservata sit. Ipse est, qui caritatis vinculo inter se, et cum hoc catholicae veritatis et unitatis centro conjungit Sacrorum christiani orbis Antistites, qui fideles sibi commissos evangelicae veritatis doctrina instituunt, eisque iter in tanta caligine tuto sequendum monstrant, nuntiantes virtute prudentiae populis sanctissima verba. Ipse super omnes catholicas gentes effundit spiritum precum, et acatholicis aequitatis sensum inspirat, ut rectum de hodiernis eventibus ferant judicium. Haec autem tam mira in universo catholico orbe precum consensio, tamque unanimes erga Nos amoris significationes, tot sane variisque modis expressae (quod in anteactis aetatibus haud facile queat inveniri) manifestissime ostendunt, quemadmodum hominibus recte animatis opus omnino sit tendere ad hanc beatissimi Principis Apostolorum Cathedram, lucem terrarum orbis, quae magistra veritatis et nuntia salutis semper docuit, et usque ad consummationem saeculi immutabiles aeternae justitiae leges docere nunquam desinet. Tantum vero abest, ut Italiae populi ab hisce luculentissimis filialis erga Apostolicam hanc Sedem amoris et observantiae testimoniis abstinuerint, ut immo quamplura centena ipsorum millia Nos amantissimis literis adiverint non eo quidem consilio ut conclamatam a veteratoribus reconciliationem peterent, sed ut Nostras molestias, poenas, angores summopere dolerent, suumque erga Nos affectum omnimode confirmarent, et nefariam sacrilegamque civilis Nostri ejusdemque Sedis principatus spoliationem etiam atque etiam detestarentur.

Cum porro ita se res habeant, antequam loquendi finem faciamus, coram Deo et hominibus clare aperteque declaramus, nullam prorsus adesse causam quare cum quopiam Nos reconciliari debeamus. Quoniam vero, licet immerentes, Illius hic in terris vice fungimur, qui pro transgressoribus rogavit veniamque petiit, probe sentimus a Nobis parcendum iis qui Nos oderunt, ac pro ipsis orandum ut divinae gratiae auxilio resipiscant, atque ita illius, qui Christi hic in terris vicariam gerit operam, benedictionem promereantur. Libenter utique pro illis oramus, iisque, statim ac resipuerint, ignoscere ac benedicere parati sumus. Interim tamen non possumus inertes haerere, veluti qui nullam de humanis calamitatibus curam capiunt; non possumus non vehementer commoveri et angi ac uti Nostra non reputare maxima damna et mala iis nequiter illata qui persecutionem patiuntur propter justitiam. Quocirca dum intimo moerore conficimur, Deumque obsecramus, gravissimum supremi Nostri Apostolatus munus implemus loquendi, docendi et damnandi quaecumque Deus Ejusque Ecclesia docet et damnat, ut ita cursum Nostrum consummemus, et ministerium verbi, quod accepimus a Domino Jesu, testificari Evangelium gratiae Dei.

Itaque si injusta a Nobis petantur, praestare non possumus: si vero postuletur venia, illam ultro libenterque, uti nuper declaravimus, impertiemur. Ut autem hujusce veniae verbum eo proferamus modo, qui Pontificiae Nostrae dignitatis sanctitatem omnino decet, flectimus ante Deum genua, et triumphale nostrae redemptionis amplectentes vexillum, Christum Jesum humillime deprecamur, ut Nos eadem sua repleat caritate, ut eo prorsus modo ignoscamus quo Ipse suis pepercit inimicis, antequam sanctissimum suum spiritum in aeterni Patris Sui traderet manus. Atque ab Ipso impensissime exposcimus, ut quemadmodum post veniam ab Eo tributam, inter densas tenebras, quibus universa terra fuit obducta, inimicorum suorum mentes illustravit, qui horrendi facinoris poenitentes revertebantur percutientes pectora sua, ita in hac tanta nostrae aetatis caligine velit ex inexhaustis infinitae suae misericordiae thesauris caelestis ac triumphatricis suae gratiae effundere dona, quibus omnes errantes ad unicum suum ovile redeant. Quaecumque autem futura sint investigabilia divinae suae providentiae consilia, ipsum Christum Jesum Ecclesiae suae nomine rogamus, ut Vicarii sui causam, quae Ecclesiae suae causa est, judicet, eamque contra hostium suorum conatus defendat, ac gloriosa victoria exornet et augeat. Ipsum item exoramus ut perturbatae societati ordinem tranquillitatemque restituat, et optatissimam pacem tribuat ad justitiae triumphum, quem ab Eo unice expectamus. In tanta enim trepidatione Europae totiusque terrarum orbis, et eorum, qui arduō funguntur munere moderandi populorum sortes, Deus unus est, qui Nobiscum et pro Nobis pugnare possit: *Judica nos Deus, et discerne causam nostram de gente non sancta: da pacem Domine in diebus nostris, quia non est alius, qui pugnet pro nobis, nisi tu Deus Noster.*




C 5042.15
Acta et decreta Concilii Provinciae
003487773
Widener Library
3 2044 081 793 432